38.

724.

COMMENTARIUS PERPETUUS

IN EPISTOLAM

PAULI

AD

PHILIPPENSES.

COMMENTARIUS PERPETUUS

IN EPISTOLAM

PAULI

AD

PHILIPPENSES.

EDIDIT

WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL.

LUGDUNI BATAVORUM ET AMSTELODAMI,
APUD
S. ET J. LUCHTMANS ET J. MÜLLER.

1838.

TYPIS C. A. SPIN.

PRAEFATIO.

Cum PAULI Epistolam ad Philippenses *semel iterumque discipulis meis interpretarer, requirebam saepe in aliorum Commentariis, quod gravitatem eius ac suavitatem luculenter explicaret. Itaque periclitari incepi, quantum ego explere possem desiderii, si aliam in formam redigerem, quae in schola tradidissem. Sed manum operi vix admoveram, cum animadvertebam, quae ad institutionem iuventutis Academicae satis absoluta et perfecta essent, ad communem hominum Virorumque adeo Doctorum usum non valere. Quamobrem ante biennium et quod superat novum fere laborem aggressus, quantum in occupationum mearum multitudine subsecivi habebam temporis eo impendi, ut Commentarium scriberem, quem nunc iuris publici facere mihi contingit.*

Si quis forte, considerata Epistolae PAULI *brevitate, Commentarii miratur amplitudinem, hunc omnem reprehensionem differre velim, donec ab eius redierit lectione. Etenim, ut hunc in librum diligenter congessi, quae ei ornatui fore videbantur, sic sedulo arcendum duxi, quidquid eum oneraret. Disputationes dico de quaestionibus*

multis levioribus, quas Interpretes identidem proposuerunt; excursiones in locos, ab harum Literarum argumento remotos; supervacaneam denique, quae haud raro largis veluti manibus effunditur, doctrinam. Et ne Commentarius in molem excresceret, intra fines Interpreti Grammatico constitutos, subsistere malui, quam, alienam in provinciam egressus, de mente PAULI, *quam explicueram, cum Theologis disceptare.*

Verumtamen variae fuerunt causae, cur modum excedere cogerer, quem mihi ipse posuissem. Et primum quidem, ne mihi obiiceretur, quod tralaticium est, qui lucis petendae causa ad Interpretum libros accesserint, haud raro ab iis deseri, Commentarium *scribere constitui* perpetuum, *quo et nullum vocabulum formulamve loquendi relinquerem intactam, et tam singularum sententiarum, quam universae orationis nexum ubique explicarem. Deinde ad veram interpretationem a falsa bene distinguendam data opera passim redarguendae erant potestates, quas plerique Lexicographi aliique Viri Docti verbis tribuerant. Quod multum praesertim facessebat negotii, quoties erroribus patrocinabatur* Traditio, *quam dicunt,* Exegetica, *ab Ecclesiae Patribus ad Reformatores, a Reformatoribus ad hanc nostram aetatem propagata. Debellari vero illa non poterat, nisi argumentorum et rationum, quae suis eam praesidiis destituerent, copia et usu. Et ubi Interpretes alii aliter a via discesserant, accurata variarum opinionum et recensio requirebatur, et refutatio, ne contradicendi locus*

pateret. Sed Commentarium quoque ita instruere conabar, ut sua se forma lectoribus commendaret, quod profecto nesciebam, quomodo sine uberioris, quam vulgo adhiberi solet, orationis apparatu assecuturus essem.

Quid hoc Commentario scribendo effecerim, Virorum Doctorum iudicio relinquendum est. Persuasissimum mihi habeo, me id summopere egisse, ut interpretandi rationem non sequerer dubiam, fluxam, a cuiusvis libidine pendentem, sed certam, stabilem, vere Grammaticam, eo denique ducentem, ut, firmiter modo teneatur, Literae Sacrae variam in partem desinant esse flexibiles. Imprimis hoc posui, singulis vocabulis unam tantum esse notionem, quae ubique locorum sibi constet, et nunc quidem omnino, nunc vero ita, ut suus ei modus pro orationis argumento adhibendus sit. Atque sic demum viam mihi ingressus esse videbar Literas Sacras sibi ipsas, ut oportet, interpretes faciendi. Pauli *autem* Epistolam, *quamquam graves subinde difficultates me impediverint, quominus mihi ipse satisfacerem, hoc tamen Commentario illustratam esse puto. Sed spero quoque, me aliis scriptorum Sacrorum atque etiam exterorum locis quodammodo profuisse. Nemini certe ingratum fecero praecipuis eorum, quibus nonnihil lucis attulisse mihi videor, in* Indicem *coniiciendis operi subiunctum.* Verborum *autem et* Rerum *conspectum dedi, qui ipse iam indicet, quid de iis sentiam. Ceterum sicubi forte mihi tribuisse deprehendar, quod ante me occupatum est, sciant velim lectores, nec omnia legendi mihi fuisse copiam, nec memoriam etiam, quae*

lecta ita suggereret, ut ab his alienis mea ubique discernerem. Quidquid vero aliunde acceptum esse memineram, candide fideliterque ad suos retuli auctores. Sed ut ab aliorum inventa cupide reprehendendo, sic ab ambitiose laudando liberum me tenere studui. Et in omni interpretandi periculo legem mihi praescripsi nullis partibus serviendi, sed unum illud indagandi verum, quod ut iuventutem persequi docerem, Divini numinis benignitas me in hunc locum constituit.

Multum debeo Viris Doctis et Amicis, qui opem mihi praestiterunt ad exempla, quae deinceps prelo exirent, legenda et corrigenda. Pauca igitur operarum fuerunt menda, quae sublata non esse viderem, cum Commentarium typis expressum percurrerem oculis. Sed nonnulla mihi in mentem venerunt, quae locis suis demta vel addita vellem, priusquam liber ad editionem excuderetur. Haec breviter indicavi in eius fine. Erroribus autem committendis, non dubito, quin hominem me esse ostenderim: sed quotquot suae quoque humanitatis meminerint, lenes me iudices habiturum spero atque confido.

Scripsi Leidae
d. 12 Novembris 1838.

COMMENTARIUS PERPETUUS

IN

EPISTOLAM PAULI

AD

PHILIPPENSES.

INTROITUS.

In Orientali Europae tractu, ubi nunc pagus exiguus cernitur, *Filiba*, Turcarum dominationi subiectus, urbs olim fuit, primum propter aquarum scaturigines, quae illo in loco manabant, *Κρηνίδες*, tum *Δάτος* dicta, postremum *Philipporum* nomine insignita, quod PHILIPPUS *Macedo* eam expugnaverat, ornaverat et munitionibus sepserat, quibus *Thracum* incursiones a regno suo arceret (1). Magnam ei celebritatem attulit proelium, in agro confini, a Triumviris cum CASSIO et BRUTO de Republica gestum. Paulo post, cum multi, ex *Italia* profugi, hic sedem fixerant, colonia Romanorum facta et a CAESARE AUGUSTO iure Italico donata

(1) DIOD. *Sic. Bibl.* Lib. XVI. cap. 8. Excerpta ex STRAB. *Geogr.* Lib. VII. Tom. I. p. 481. Ed. FALC. APPIAN. *de bell. civ.* Lib. IV. cap. 105. PAUSAN. Lib. VI. cap. 4. Qui tamen inter se non ab omni parte consentiunt. Sed vide quoque LUC. HOLSTEN. *Not. et castigat in* STEPH. *Byzant. de urb.* p. 341, 342. VAN HAMELSVELD, *Aardrijksk. des Bijbels.* Tom. VI. p. 224 sqq. MANNERT, *Geogr. der Griech. und Röm.* Tom. VII. p. 217 sqq.

est (1). Huc spectant sine dubio LUCAE verba *Act.* XVI: 12: *Εὐθυδρομήσαμεν — — εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολώνια* (2): quis vero eorum sensus sit, quaestio Virorum Doctorum est, nondum omnino sublata. Et in duas quidem partes distribuendi sunt Interpretes, prouti voci *πρώτη* notionem vel primariam tribuunt, vel secundariam. Haud pauci igitur, hoc illi praeferentes, *Philippos* hîc urbem *clarissimarum unam* appellari contenderunt (3). Quod ut tuerentur, provocarunt ad LUC. XV: 22; 1 TIM. I: 15 et alios locos, in quibus Adiectivum *praecipuum* significat. Sed animadversum vellem, hanc significationem in orationem cadere graviorem, in tenuem, quali LUCAS utitur, narrationem non item (4). Multo minus cum loquendi usu convenit, quod CASAUBONO (5) aliisque placuit, Articulum *τῆς* hîc vim habere Pronominis *ταύτης*, ut LUCAS *Philippos* primariam *huius tractus Macedoniae*

(1) PLINIUS, *Hist. nat.* Lib. IV. cap. 11. DIO CASS. Lib. LI. cap. 4. REIM. *Digest.* Lib. XXXVI. Tit. 1. § 32. Lib. L. Tit. 15. § 6, 8.

(2) Libri veteres, qui ab Editione recepta discedunt, uti et numero pauciores sunt, et auctoritate ceteris inferiores, ita nullam habent varietatem, quin manum prodat correctoris. In aliis enim interpretandi causa Substantivum *κεφαλή* pro Adiectivo *πρώτη* substitutum est; in aliis, ad difficultatem tollendam, Articulus *τῆς*, sive ante, seu post vocem *μερίδος*, omissus. GRIESBACHIUS quidem, *Nov. Test. Gr.* Ed. 2, hanc omissionem illa probabiliorem indicat: sed secundum usum, qui his in libris maxime regnat, repetitionem Articuli auctori ipsi tribuendam esse docet GERSDORFIUS, *Beiträge zur Sprach-Characteristik* etc. Tom. I. p. 295 sqq. Nullo autem antiquitatis testimonio se commendant Virorum Doctorum coniecturae, quas proposuit BOWYERUS, *Conjecturen über das N. T.* ad h. l.

(3) HOOG, *de coetus Christ. Philipp. prim.* p. 7 et qui ab eo laudantur.

(4) Nequidquam igitur provocant etiam nonnulli ad *Luc.* II: 2. Locus autem ille mihi non amplius inexplicabilis esset, si loquendi suppeteret usus ad probandam hanc interpretationem: *Haec recensio prima habita est, cum praesidebat* etc. Sic enim LUCAS monendo lectore sibi voluisset: *Haec recensio, Iudaeis prima, effecta est, cum* etc. Sed hîc plura dicere nihil attinet.

(5) Annot. in *Bibl. Crit.* ad h. l.

urbem dixerit. Frustra enim apud scriptores orationis solutae quaerentur loci similes, unde interpretatio illa Articuli probari possit. Quid? quod WINERUS (1) luculenter docuit, hunc eius usum libris Novi Testamenti perperam obtrudi. Et perspicue tradit LIVIUS (2), *Amphipolin* ab AEMILIO PAULO caput primae regionis *Macedoniae* factam esse. Temere autem nonnulli cum WETSTENIO (3) sumserunt, principatum ab *Amphipoli*, post proelium Philippense, ad *Philippos* venisse. Magis se haud dubie commendat interpretatio, Viris Doctis hodie fere communis, ut appellatio *primae urbis honoris* tantum habenda sit *titulus*, iuris Italici causa in *Philippos* delatus (4). Sed recte se RETTIGIUS (5) huic sententiae opponens, nullum vetustatis esse ait monumentum, unde constet, hunc honoris titulum ulli urbi, quae non *Asiae* esset *minoris*, obtigisse; nec nummum alicubi antiquum repertum esse, aut lapidem, qui eum in fronte ferret. Deinde, cum appellationi *primae urbis* vel *urbis iuris Italici* plus insit, quam *coloniae;* LUCAS sane, si nihil aliud sibi vellet, quam eum nunc vulgo dicentem faciunt, vocem κολώνια Adiectivo πρώτη praepositurus fuisse videtur (6). Ergo transeundum est in eorum partem, qui notam hîc Geographicam legi putantes, primariam notionem Adiectivi πρώτη retinere iubent. Neque hi tamen omnes inter se conveniunt, aut in medium afferunt, quod quis tuto sequi possit. Utique stare nequit iudicium BERTRAMI CORNE-

---

(1) *Grammat. des Neutest. Sprachidioms.* Ed. 4. p. 134, 135.

(2) *Hist.* Lib. XLV. cap. 29.

(3) *Nov. Test. Graece* ad h. l.

(4) MYNSTER, *Kleine Theol. Schrift.* p. 170. HEMSEN, *der Apostel* PAULUS, *sein Leben* etc. herausgeg. von LÜCKE. p. 665 sqq. MATTHIES, *Erklär. d. Briefes Pauli a. d. Philipp.* p. 1, 2. CREDNER, *Einleit. in d. N. T.* Tom. I. Part. 2. p. 418, 419.

(5) *Quaestiones Philipp.* p. 5, 6.

(6) ULPIAN. CELS. et PAUL. *Digest.* Lib. L. Tit. 15. § 1, 6, 8. Cf. CREUZER, *Abriss d. Röm. Antiquit.* p. 261 sqq.

LII (1), quod probavit GROTIUS (2), commate, quod vocibus *πόλις* et *κολώνια* interiectum est, deleto, verba LUCAE sic explicari debere: *venienti a sinu Strymonico primam urbem, quae sit colonia, esse Philippos.* Nam ut voces *πόλις* et *κολώνια* sic sumi possint, iis interponere necesse est Participium *οὖσα* vel simile quid, quo posterior prioris definiendae vim accipiat: nunc inde, quod hoc desideratur, mentem auctoris fuisse apparet: *urbs eademque colonia.* Hunc autem scopulum evitantes incidimus in alium, si LUCAM, HEINRICHSIO (3) duce, narrantem facimus: *inde ab urbe maritima Neapoli interiora petentibus, rectamque inter Strymonem ac Nessum fluvios viam legentibus, Philippos primum occurrere:* quippe quo oratio terminis, aliunde in eam importatis, temere circumscribitur. Est vero insuper, quod et huic sententiae, et ceteris, quas memoravimus, obstet: satis probabilem nempe iis non indicari causam, cur huic loco auctor, praeter morem suum, ampliorem *Philipporum* descriptionem adiecerit. Sed omnis tollitur difficultas, si viam ingredimur a TILLIO (4) aliisque monstratam et nuperrime a RETTIGIO commendatam. Hic enim ex SCYLACE (5) et STRABONE (6) probavit, *Neapolin*, LUCAE tempore, *Thraciae* fuisse urbem, non *Macedoniae adiectae.* An vero ex testimoniis SCYMNI (7), PTO-

(1) Laudat. a CASAUB. ad h. l.

(2) *Annot. in N. T.* ad h. l. Consensit etiam VALCKENAR. *Select. e Schol. Ed.* WASSENB. ad h. l.

(3) *Nov. Test. Graece perp. annot. illustr.* ad h. l. et *Prolegom.* in *Ep. ad Philipp.* p. 2.

(4) SAL. VAN TIL, *Comment. in quatuor* PAULI *Epp.* p. 249, 250.

(5) *Geographi Graec. min.* Vol. I, p. 279. Ed. GAIL.

(6) l. supra c. PLINII autem, ad quem etiam provocat RETTIGIUS, uti non possumus testimonio, quoniam *Philippos* aeque ad *Thraciam* refert ac *Neapolin.*

(7) *Orbis descriptio* vs. 655 sqq. in *Geogr. Gr. min.* Vol. II. p. 302.

LEMAEI (1), quin et DIONIS CASSII (2), ut ille vult, etiam sequatur, hanc urbem *Macedoniae* exstitisse, postquam universa *Thracia*, VESPASIANO regnante, in provinciae formam redacta esset, mihi nondum plane exploratum videtur. GALENUS certe haud obscure significasse videtur, se *Neapolin* confinem in *Thracia* ponere. Scripsit enim: *Ὡς ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διαβαλὼν εἰς τὴν Μακεδονίαν καὶ σχεδὸν ὅλην αὐτὴν ὁδοιπορήσας ἐν Φιλίπποις ἐγενόμην, ἥπερ ἐστὶν ὅμορος τῇ Θρᾴκῃ πόλις, ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν πλησίον θάλατταν — — κατελθὼν, ἔπλευσα πρότερον μὲν εἰς Θάσον* etc. (3). Quidquid autem huius rei est, effecit RETTIGIUS, a vero non aberrasse LUCAM scribendo, *Philippos primam* esse urbem *Macedoniae.* Minoris tamen ponderis, ad hanc interpretationem vocis *πρώτη* confirmandam, POLYBII (4) et PAUSANIAE (5) verba sunt, ab eo allata: quippe quibus loci illius, cuius ratione habita alter *primus* vocatur, expressa inest notatio, apud LUCAM non reperiunda. Sed quid tandem laboremus in exemplis orationis similis aliunde quaerendis? Si mentem attendimus ad praecedentia: *εὐθυδρομήσαμεν εἰς Νεάπολιν, ἐκεῖθέν τε εἰς Φιλίππους*, res ipsa loquitur, sequentibus *ἥτις ἐστὶ πρώτη* etc. *Philippos* primam dici urbem *inde a Neapoli.* Iam hanc urbem primam dici *regionis illius*, *quae pars Macedoniae est*, id est, *Macedoniae adiectae*, intelligimus cum ex repetitione Articuli, tum ex usu vocis *μερίδος* (6). Utrum autem vox composita *ἥτις* nihil amplius denotet quam simplex *ἥ*; an vero significet, appellatione *primae urbis* non tribui *Philippis*

---

(1) *Geograph.* Lib. III. cap. 13. (2) Lib. XLVII. cap. 35.

(3) *De simpl. Medic. temperam. et facult.* Lib. IX. cap. 2. Vol. XII. p. 173. KUHN.

(4) POLYBII verba iam descripsit RAPHELIUS, *Annot. Phil. in N. T.* ad h. l. ubi et loci allati sunt HERODOTI, sed haud majoris ponderis.

(5) Lib. I. cap. 3. Vol. I. p. 12. Ed. SIEBELIS.

(6) Cf. *Int. Graec.* Psalm. L: 18. *Dan.* IV: 20. item 2 *Cor.* VI: 15.

quod huius solius urbis situ suo proprium fuerit, sed quod ea cum aliis nonnullis, in *Macedonia* ad *Thraciae* fines sitis, habuerit commune, quaestio est mihi nondum explorata (1). Hoc quidem si probari meretur, persuasum mihi est, auctorem sibi velle: *Neapoli non commorati sumus; sed eam praetervecti tetendimus Philippos, quae ab hac parte urbs prima Macedoniae adiectae est eademque colonia Romanorum.* Illud vero si tutius videtur, necesse tantum est verba *ab hac parte* delere. Ut autem non dubito, quin omnia, quae LUCAM dicentem feci, orationi eius revera insint, sic nullo ille, me iudice, verbo utitur supervacaneo.

(1) Quod scripsi, in *Annot. in loca nonn. N. T.* p. 131. Simplex ὅς et Compositum ὅστις saepe promiscue usurpari, sententia est communi fere Virorum Doctorum iudicio probata. Ipse quoque postea in locos incidi orationis solutae, in quibus ὅστις nihil aliud significare posse putabam, quam ὅς, ut apud LUCIAN. Opp. Tom. III. p. 216 REITZ. ubi legimus *Παρέδωκε τὴν ἀρχὴν — — — Πτολεμαίῳ τῷ υἱῷ, — — — ὅστις διεδέξατο* (sic enim scribendum) *τὴν πατρῴαν βασιλείαν.* At haud scio tamen, an huiusmodi etiam in locis aliquid inter Simplex et Compositum intersit, quod nos a Veterum aetate remotos lateat. Deinde dicere nequeo, quam saepe deprehendere mihi visus sim, alterum ab altero revera distinguendum esse. Sed scriptoribus exteris brevitatis causa praetermissis, nonnihil disputare lubet de sacris. Ergo duplex talium locorum in N. T. nisi fallor, reperi genus, alterum orationem propriam continens, alterum figuratam. In illo voci ὅστις aliquid subiectum vidi pluribus commune, uti *Rom.* XVI: 6, 12. In hoc legitur quidem, quod de uno tantum accipi potest, sed re tamen aliunde translata, ut *Matth.* II: 6, ubi verba *ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου*, si quis circumlocutione uti vult, sic explicanda videntur: *qui talis erit pastor, ut pascat populum meum:* quemadmodum verba PAULI 1 *Tim.* III: 15 *ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος*: *quae talis Ecclesia est, ut sit Ecclesia Dei viventis.* Eadem ratio probabiliter est *Phil.* I: 28. II: 20. III: 7. Iam his in locis omnibus pro ὅστις quidem scribere licet vocem ὅς, quippe generalia aeque ac singularia significantem: sed quis, quaeso, pro Simplici substituere ausit Compositum *Matth.* II: 9 et *Gal.* III: 16, ut illic legatur *ὁ ἀστὴρ, ὅντινα εἶδον;* hic vero *ὅστις ἐστὶ Χριστός*? Ceterum cf. disputatio BLOMFIELDII ad AESCHYLI *Prometh. vinct.* vs. 362, quae desiderium tamen minus explet, quam censere videtur BERNHARDYUS, *Wissenschaftl. Syntax der Griech. Sprache* p. 442.

Ad *Macedoniam* PAULUS eiusque socii (vs. 9) Divinitus vocati erant: iam eos in regionem se contulisse narrat, quae pars *Macedoniae*, quamquam olim non fuisset, nunc tamen esset. Urbem autem, ubi CHRISTI praedicandi initium facturi essent, iis eligere licuerat, sed bene et prudenter eos elegisse ostendit. *Neapolin* praetervecti erant, quippe extra provinciae sibi demandatae fines positam. Primam intraverant *Macedoniae* urbem, quam, ab hac *Thraciae* parte (vel a *Thracia*) venientes, intrare poterant, *Philippos*. Nec vero primam tantum elegerant urbem sibique proximam, sed causae CHRISTI feliciter propagandae, cum Romanorum colonia esset, celebritate sua insigniter etiam accommodatam.

Iam haec urbs *Macedoniae* adiectae, ut tristem posteritati reliquerat memoriam libertatis civilis in agro subiacenti exstinctae; sic intra muros suos libertatis melioris et stabilioris lucem afferri vidit, quae hinc super Europam exoriretur, ut tenebras teterrimas fugaret. Duce igitur Providentia Dei PAULUS cum sociis suis eam intrabat ad civitatem hominum, qui vinculis vitiositatis excussis ad vitam beatorum adspirarent, CHRISTO condendam (1). Nec conatibus optatus deerat successus. Quamvis enim vix dies aliquot hîc commorati erant, quum, novae doctrinae odio in forum rapti, magistratuum iussu virgis caederentur carcerique iniicerentur; habuerunt tamen et feminas, et mares, qui se baptismi ritu, praeeunte maxime LYDIA *Thyatirensi*, Sacris Christianis initiandos praebebant (2). Et ut illi CHRISTUM publice professi erant, sic malorum sibi imminentium metu se absterreri non patiebantur, quominus in fide interposita perseverarent (3). Constituta haec societas est anno quinquagesimo secundo vel tertio aerae vulgaris. Quinque vel sex annis

---

(1) *Act.* XVI: 9 sqq.

(2) Ibid. 15, 33, 40. 1 *Thess.* II: 2.

(3) *Phil.* I: 5—7.

post PAULUS ad eam confirmandam et amplificandam rediisse atque hinc alteram ad *Corinthios* Epistolam scripsisse videtur, cum iter faciebat in Graeciam. Graecia relicta tertio advenit, mensibus aliquot exactis, atque hinc, post Paschatis dies, se *Troadem* contulit (1). Caritate autem *Philippenses* complexus est, quanta nullos, quorum fama ad posteritatem penetravit, alios. Illi vero vicissim cum doctrina, quam ab eo acceperant, religiose observanda, tum succurrendo inopiae eius, ostenderunt, quanto studio eum prosequerentur (2). Societatem eorum brevi, et incrementa haud contemnenda cepisse, et probabiliter ordinatam esse, haud leviter Viri Docti inde cogunt, quod collegium Episcoporum et Diaconorum ei praefuit, cum PAULUS Epistolam suam scribebat (3).

Nimirum hanc Epistolam ab Apostolo profectam esse, omnium adhuc omnino, si EVANSONUM (4) excipimus, fert sententia, et communi Veterum testimonio adeo probatum est, ut ne-

---

(1) *Act.* XX: 2, 3, 6. *Phil.* III: 18. Ergo *Neapolin* PAULUS iterum praetervectus est. Nec se unquam eo contulisse dicitur. Enimvero consulto factum videtur, ut CHRISTUM hac in urbe non annunciaret. An forte, quod locorum, quorum incolae ad humanitatis saltem principia pervenerant, longe maior sibi suppetebat copia, quam ut *Thraciam* ferocissimam doctrina divina illustrare periclitaretur? Si hoc verum est, *Nicopolis Tit.* III: 12 *Thraciae* certe non fuit. BERTHOLDTUM, *Hist.-krit. Einl. in sämmtl. Kan. und Apokr. Schr. des A. und N. T.* Tom. VI. p. 3375 sqq. verba LUCAE temere tentasse, apparet iam ex formula εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ *Act.* XX: 16. Ceterum eandem secutus sum temporis notationem, quam ille p. 3399 et plerique V.V. D.D. mihi praeiverunt. Cf. RHEINWALD, *Comment. üb. d. Brief* PAULI *a. d. Philipp.* p. 10, 11.

(2) *Phil.* II: 12. IV: 1, 14 sqq. 2 *Cor.* XI: 9. Haud male ad *Philippensium* exemplar imaginem Veterum Christianorum nuper adumbravit auctor libri: *The Church at Philippi, or the doctrines and conduct of the early Christians*, maxime pag. 64 sqq.

(3) *Phil.* I: 1.

(4) *De strijdigh. der vier alg. aang. Evangelisten* enz. *Uit het Eng. door* VAN HAMELSVELD. pag. 244 sqq.

mini intelligentiori dubium relinquatur (1). Unde Epistola *Philippos* missa sit, in quaestione non fuit ante OEDERUM et PAULUM, quorum alter eam *Corinthi* scriptam esse putavit (2), alter *Caesareae* (3). Sed ad OEDERUM refellendum monere iam satis est cum WOLFIO (4), Apostolum *Corinthi* nunquam in vinculis fuisse, *Phil.* I: 12 sqq. ab eo memoratis: PAULI in coniecturam incurrunt verba cap. I: 19 sqq. II: 17 sqq. ubi auctor, et fieri posse, ait, ut his ex vinculis ad mortem ducatur, et se tamen in spe esse fore, ut brevi liberatus *Philippos* veniat. Item nec *Corintho* convenit descriptio adversariorum Apostoli cap. I: 15 sqq. nec *Caesareae* commercium, quod *Philippenses* cum urbe, in qua nunc versaretur, habuisse significavit cap II: 19 sqq. Tum nulla his in Literis apparent vestigia, quae aut *Corinthum*, aut *Caesaream* prodant. *Romam* vero nobis monstrant singula, quae in medium attulimus. Praeterea *Roma* Epistolam scriptam esse, et salutatio docet, cap. IV: 22 eorum nomine facta, qui ex domo *Caesaris* erant; et illud, nisi fallor, quod cap. I: 13 commemorationi Praetorii de *ceteris omnibus* adiectum est; et una Veterum omnium vox, quam nobis etiam refert Epistolae subscriptio. Plura si quis cupit, BERTHOLDTUM (5) imprimis

---

(1) POLYCARPI *Ep. ad Philipp.* cap. 3, 11. apud COTEL. *Patr. Apost.* Tom. II. p. 185, 189. IGNATIO *adscr. Ep. ad Philipp.* cap. 1. ibid. p. 117. IRENAEUS, *contra Haereses.* Lib. IV. cap. 18. § 4. CLEMENS *Alex. Paedagog.* Lib. I. cap. 6. ORIGENES, *contra Celsum.* Tom. I. p. 458. DE LA RUE. *Praefat. Comment. in Ep. ad Rom.* Tom. IV. p. 458, 459. TERTULLIAN. *de resurrect. carnis.* cap. 23. *contra Marcion.* Lib. V. cap. 20. EUSEBIUS, *Hist. Eccles.* Lib. III. cap. 3. Lib. V. cap. 2 etc.

(2) OEDERI, Progr. *de temp. et loc. scr. Ep. ad Philipp.* Onoldi 1731.

(3) PAULI, Progr. *de temp. script. prioris ad Tim. atq. ad Philipp. epist. Paulinae.* Jenae 1799.

(4) *Curae Phil. et Crit. in X poster. Pauli Epist.* p. 168 sqq. 270 sqq.

(5) l. c. p. 3405 sqq.

adeat, HEMSENIUM (1) et MATTHIESIUM (2): sed haec sufficere videntur ad refutanda commenta, quae, ut recte monet PALMIUS (3), importuno debentur studio novae opinionis in medium afferendae.

Cur PAULUS hanc Epistolam scripserit, dictu difficile non est. Sectatores CHRISTI *Philippenses*, audita Apostoli sibi carissimi captivitate, EPAPHRODITUM, honoratiorem sua in societate virum, *Romam* legaverant, qui officia ei praestaret et inopiae succurreret, qua, non dubitabant, quin ille premeretur. Iam EPAPHRODITUS exsecutus quae sibi mandata erant, reditum parabat. At hunc sine literis mittere PAULI nec gratus ferebat animus, nec propensio in *Philippenses*, nec studium etiam, quo flagrabat, rei Christianae quavis data occasione promovendae. Nostra tamen memoria de eo disputatum est, utrum Literae illae ab Apostolo ipso formam acceperint, quam nunc lectoribus Novi Testamenti ostendunt; an vero aliorum culpa duae coaluerint Epistolae, altera *Philippensibus* universis scripta, altera sigillatim hominibus amicitiae vinculo arctius cum Apostolo coniunctis, vel Episcopis et Diaconis. Illud contendit HEINRICHSIUS, primus controversiae auctor (4). Hoc PAULO placuit, vestigia eius ita sequenti, ut secessionem a communi sententia magis plausibilem facere conaretur (5). Sed haec cum opinionum quoque commenta sint, ingeniosa quidem, sed digna tamen, quae oblivioni tradantur (6); tempus perdere nolo repetendo, quae Viri Docti ad ea redarguenda dixerunt (7). Tria

(1) l. c. p. 672 sqq. (2) l. c. p. 4 sqq.

(3) *Bijbel.* Praef. ad h. Epist. Cf. CREDNERUS p. 424.

(4) l. c. p. 31 sqq.

(5) *Heidelb. Jahrb.* Tom. V. Part. 7. p. 702 sqq.

(6) Iudicium hoc est CREDNERI l. c. p. 425.

(7) KRAUSIUS, *Opusc. Theol.* p. 1 sqq. quem secuti sunt BERTHOLDT. p. 3418 sqq. SCHOTT. *Isag. Historico-crit. in libros N. T. Sacros.* p. 282 sqq. HEMSEN. p. 680 sqq. MATTHIES. p. 16 sqq. Dissentiunt quidem illi inter se, sed de rebus levioris ponderis.

tantum breviter monere lubet, quibus utraque evertitur coniectura. Primum nempe orationis et divisiones et traiectiones fingere coacti sunt, quarum nullum plane vestigium in libris Veterum apparet. Deinde qui eorum in partes transeat, ignominiosam Apostolo timiditatem, simulationem aliaque plura tribuere necesse habet, quae longissime ab illo fuerunt remota. Denique nihil plane, quod duarum Epistolarum confusionem quodammodo prodere videtur, his in Literis exstat praeter initium capitis III, quod tamen ipsum, etiamsi eius interpretatio difficilior sit, sententiae communis deserendae causam non praebere, suo loco, ut spero, demonstrabitur. Novi, me nondum attigisse testimonium notissimum POLYCARPI, PAULUM *absentem Philippensibus scripsisse Epistolas*. Sed nemo facile hoc testimonio, quomodocunque illud acceperit, abutetur ad contendendum, duorum scriptorum PAULI, alterum cunctis CHRISTI sectatoribus missum esse, alterum amicis tantum familiaribus, vel totius societatis rectoribus (1). Multo magis se commendat

---

(1) Testimonium POLYCARPI, *Epist. ad Phil.* cap. 3 sic se habet: *ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς, εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν.* Quod ut cum MATTHIESIO sumamus de *Epistolis* PAULI *ad communem aliorum et Philippensium usum scriptis*, non permittit Pronomen *ὑμῖν.* Viam paulo tutiorem ingrediuntur, qui, secundum popularem dicendi rationem, Plurale pro Singulari positum esse contendunt; vel potius mentem auctoris cum SCHOTTO ita explicant, ut universe dicat, Apostolum aliquando Literas ad *Philippenses* dedisse. Sed hoc probari nequit verbis, quibus POLYCARPUS cap. 11 apud Interpretem Latinum utitur: *qui estis* (laudati) *in principio Epistolae eius.* Singulare enim inservit ad unam illam indicandam Epistolam, quae incipit a *Philippensibus* laudandis; non ad negandum, PAULUM plus semel ad eos scripsisse: quod ipsum haud incredibile est. Cf. BERTHOLDT. p. 3421 sqq. qui tamen minus recte assentitur HAENLEINIO, *Handb. der Einl. in d. Schr. des N. T.* Tom. III. p. 472, verba PAULI cap. III: 1, 18 Literas spectare antea ab eo *Philippos* missas. Annotatio vero THEODORETI, *Comm.* in cap. III: 1: *Οὐκ ἄλλην αὐτοῖς ἐπιστολὴν γέγραφεν*, vereor, ut magis ratiocinatione nitatur, ex eo profecta, quod huius Interpretis aetate una tantum PAULI ad

coniectura GROTII, auctorem cap. III: 1 finire voluisse Epistolam, sed postea, cum temporis aliquanto plus haberet, addidisse ea, quae sequuntur. Quare mirandum non est, haud paucos fuisse Interpretes, qui calculum ei adiicerent (1). Equidem tamen Apostolo consilium tribuere non ausim Epistolae, quam hominibus scribebat, qui munificentiam suam ei nuper denuo probaverant, antea finiendae, quam verbis expressis gratias pro dono sibi allato egisset. Tum vero infra, ut mihi persuasum est, docebitur, GROTII sententiam haud secus perversa niti interpretatione verborum cap. III: 1, quam HEINRICHSII et PAULI opiniones (2). Itaque negare quidem nolumus, auctorem, priusquam inchoatum absolveret, scribendi intercapedinem, eamque plus semel fecisse; sed nulla esse videtur causa, cur ea, quae capp. III et IV nobis tradita sunt, additamentum potius Epistolae quam complementum habeamus.

Pervenimus nunc ad huius Epistolae argumentum. Quod ut bene intelligatur, quaestio est, qualem ea societatem *Philippensium* Christianam lectoribus proponat: a falsis iam doctoribus in errores inductam, an lenociniis eorum nondum corruptam; vitiis gravioribus contaminatam, an illibatam; opibus affluentem, an rerum egentem et pauperem. Primum quod attinet, quatuor illi praesertim recensendi loci sunt, in quibus homines memorantur cavendi vel fugiendi: *Phil.* I: 15-18, vs. 28, cap. III: 2-4, vs. 18, 19. Sed mentem PAULI cap. I: 15-18, cum narret tantum molestias sibi *Romae* creatas, hîc explorare non opus est. Nec

---

Philippenses exstitit Epistola, quam testimoniorum antiquiorum auctoritate et fide.

(1) KRAUSIUS l. c. HOOG l. c. p. 60, 61. RHEINWALD. l. c. p. 54, 55; alii. Iam STEPHANUS LE MOINE bipartitam habuit Epistolam PAULI in *Variis Sacris.* Tom. II. p. 332, 343.

(2) Cff. BERTHOLDT. p. 3434, 3435. HEMSEN. p. 693, 694. SCHINZ, *die christl. Gem. zu Philippi.* p. 79 sqq.

negotium facessunt, qui vs. 28 *ἀντικείμενοι* appellantur, quippe quos rei Christianae adversarios, non falsos eius doctores fuisse, omnis Apostoli docet oratio. Huiusmodi doctores demum cap. III: 2-4 notantur, et triplicis quidem, nisi fallor, generis: pars a CHRISTI professione ad Iudaeorum superstitionem reversi; pars intra societatem hominum ei consecratam superstitione illa doctrinam veram corrumpentes; pars denique circumcisione aliisque rebus externis adeo confisi, ut eum contemnere et spernere non desinerent. Hinc vero non sequitur, *Philippenses* eo iam tempore, quo PAULUS hanc Epistolam scriberet, obnoxios fuisse machinationibus et fraudibus, quibus illi causam Divinam alibi aggrederentur. Et nullum profecto est indicium, unde studium salutis ex legum Mosaicarum rituumque cultu sibi quaerendae, quo Iudaismi vindices flagrarent, in sectatorum CHRISTI *Philippensium* mentes irrepsisse colligamus. Quod tanto argumentorum pondere, CREDNERO etiam et WETTIO Iudicibus, probavit SCHINZIUS, ut dici non possit contra (1). Praeterea satis ille mihi de eo persuasit, inter homines, qui *Philippis* CHRISTUM profiterentur, non ita multos fuisse Iudaeorum ex stirpe exortos. Ut enim ipsorum Iudaeorum ibi degentium paucitas inde apparere videtur, quod *Synagogen* non habuerunt (2); ita valde mirandum est, si hac in urbe frequentes ad CHRISTUM accesserint, nullum plane Veteris Testamenti locum a PAULO in Literis suis excitatum esse. Negligendum quoque non puto, PAULUM *Rom.* XV: 27, *Macedoniae* et *Achaiae* incolas, qui doctrinam CHRISTI accepissent, dixisse *τὰ ἔθνη*;

---

(1) SCHINZIUS p. 54 sqq. alibi. CREDNER p. 421. DE WETTE, *Lehrb. der Hist.-Krit. Einl. in die Kan. Bücher des N. T.* Ed. 3. p. 231.

(2) Cff. *Act.* XVII: 1 ibique GROT. et XVI: 13, ubi tamen Graeca aliter exponi nequeunt, quam: *ubi solebat precatio esse.* Nequidquam hic disputant V.V. D.D. de *Proseuchis* seu aedibus sacris Iudaeorum. Quod autem vs. 16 cum GRIESBACHIO legendum est: *εἰς τὴν προσευχὴν* significat *ad precationem supra dictam.* Cf. VITRINGA, *de Synag. Vet.* p. 119 sqq.

quod haud dubie a potiori parte factum est. At quod SCHINZIUS contendit (1), societatem *Philippensium* Christianam ex Proselytis gentibusque exteris, non admixta Iudaeorum propagine, congregatam esse, vereor tamen, ne modum superet. Equidem certe contrarium inde effici posse puto, quod societas illa initium cepit ab instituendis mulieribus, quae die sabbati ad precationem convenerant; Iudaei vero novam doctrinam nusquam oppugnasse dicuntur. Deinde *Philippensibus*, si unis ex Proselytis et gentibus concreti essent, haud scio sane, an supervacanea fuissent monita cap. III: 2 sqq. quibus a Iudaismo sectando cohiberentur. Nec facile crediderim, PAULUM hos CHRISTI sectatores, tanto animi ardore, quantum hic ostendit, contra Iudaismi vindices confirmaturum fuisse, nisi ex *Epaphrodito* vel aliunde sciret, eiusmodi corruptores iam incautos quosvis ad viam veri deserendam sollicitare (2). Ceterum Apostoli verbis vs. 18, 19 nihil inesse video, cur homines ibi notati doctores falsi fuisse censeantur. Quare nec Interpretibus haud paucis (3) concedere possum, vim iis proponi perniciosam, quam Iudaismi superstitio habeat ad mores depravandos; nec BERTHOLDTO (4) assentior, cum reprehendi putat conatus Sadducaeismi in societatem recens conditam importandi. At cum SCHOTTO tamen et SCHINZIO (5) non improbamus monitum eius, Apostolum, si hoc loco eosdem reprehenderet ac supra vs. 2 sqq. scripturum non fuisse: *οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω.* Sed haec etiam verba, aeque

---

(1) p. 57, 75 al.

(2) Haetenus consentio cum MATTHIESIO. p. 13.

(3) STORRIUS, *Interpr. Ep.* PAULI *ad Phil.* ad h. l. *Opusc. Acad.* Vol. I. p. 301 sqq. FLATTUS, *Vorles. üb. d. Br.* PAULI *an die Philipp. Kol. Thess. u. an Phil.* ad h. l. HEINRICHS. et RHEINWALD. ad h. l. Antiquiores mitto, quos iam praecessit THEODORETUS.

(4) l. c. p. 3403 coll. p. 3112 sqq.

(5) SCHOTT. p. 279. SCHINZ. p. 62, 63 coll. 70.

ac praecedentia πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσι, talia sunt, ut PAULI oratio magis inserviisse videatur ad malum imminens cavendum, quam praesens repellendum. *Philippensibus* igitur, ne quem aliquando exempli vis ab honesto detrahat, homines, nisi fallor, denunciantur, longe lateque vagantes, qui vita dissoluta nomen, quod gerunt, Christianum dedecorant crucisque CHRISTI magis adversarii quam sectatores dici merentur. Sic PAULI mentem iam explicarunt Veteres, praeeunte CHRYSOSTOMO (1), cuius haec verba sunt: *Ἐπειδή τινες ἦσαν ὑποκρινόμενοι μὲν τὸν χριστιανισμὸν, ἐν ἀνέσει δὲ ζῶντες καὶ τρυφῇ (τοῦτο γὰρ ἐναντίον τῷ σταυρῷ)· διὰ τοῦτο ταῦτα οὕτως ἔλεγε.* Lurconum autem commemorationi cum nulla PHILIPPENSIUM objurgatio adspergatur, inde jam apparet, eos praestitisse *Corinthiis*, *Ephesiis* aliisque, quorum nonnullos certe in Bacchum et Venerem procliviores fuisse novimus (2). Avaritiae quoque iis obiiciendae nullam esse puto causam nisi in minus recta interpretatione verborum cap. II: 2 sqq. et IV: 10 (3). Immo virtutibus ita splenduerunt, ut cum luminibus aetheris comparari possent (4). Negari tamen nequit, hanc lucem quodammodo obscuratam esse arrogantia, superbia, vana gloriae cupiditate, quae lites et contentiones excitarent, pacem et tranquillitatem turbantes et veteratoribus quibusvis ac nebulonibus societatis eorum corrumpendae viam aperientes. Quamobrem PAULUS eos hac in Epistola ad modestiam, caritatem mutuam, concordiam maxime adhortatur (5). Dissensiones autem unde exstiterint, definiri nequit; sed qui eas cum EICHHORNIO (6) partium

---

(1) *Hom. in Ep.* PAULI *ad Phil.* ad h. l. Opp. Tom. XI. MONTEF.

(2) HORNIUS, *Introduct. to the crit. stud. and knowledge of the Holy Script.* Vol. IV. p. 378. Ed. 7.

(3) Cf. MYNSTERUS. p. 174.

(4) Cap. II: 15.

(5) Cap. I: 27. II: 1 sqq. 14. III: 16. IV: 2, 5.

(6) *Einleit. in das N. T.* Tom. III. Part. 1. p. 307 sqq.

imputant studio, quo Iudaeorum gentiumque exterarum propago, duas in factiones divisa, se duci pâssa sit, nullum habent argumentum probabile ad causam suam defendendam. Atque sic nobis ad alteram quoque, quam proposuimus, quaestionem, vitiisne gravioribus *Philippensium* societas contaminata, an illibata fuerit, satis respondisse videmur. Neque in tertia diu morari necesse est. Qui enim homines illos opibus affluxisse dicunt, maioris, quam par est, et dona eorum aestimant, et lautam LYDIAE aliorumque, quos LUCAS memoravit, conditionem (1). Contra qui eos rerum egentes et pauperes fuisse contendunt, abutuntur imprimis testimonio PAULI 2 *Cor.* VIII: 2 sqq. quod cum generatim spectet *Macedones*, eosque cum *Corinthiis* fortunatis comparatos, exceptionem haud dubie patitur (2). Cetera, quae utriusque partis fautores ex hac eius Epistola petunt, argumenta (3) interpretatione verborum nituntur minus probanda. Utique si in lite, quae semper sub iudice manebit, medium tenere praestat, ratio sic concludenda est, *Philippenses*, quamquam plerique minus essent opulenti, habuisse tamen, quo egestati aliorum succurrerent.

Imagine sectatorum CHRISTI *Philippensium* adumbrata; ipsius PAULI Epistolae conspectum quoque praebeamus oportet. Apostolus igitur, salute *Philippensibus* dicta, iam inde a principio animum explicat in eos valde propensum. Se nempe ab illo die, quo primum doctrinam CHRISTI acceperint, de fide eorum laetari et in omni sua precatione caussam eorum apud Deum agere declarat. cap. I: 3–6. Quod ne quis miretur, se eos semper in corde ferre scribit et nihil magis desiderare, quam ut oculis eos intueatur. vs. 7, 8. Tum se hoc iis praecipue Divinitus exoptare monet, ut ma-

(1) BERTHOLDT. p. 3400. CREDNER. p. 420.

(2) MICHAËLIS, *Bijvoegs. en Verbeter. tot de inleiding* etc. Tom. II. p. 238. SCHINZ. p. 74.

(3) Cap. I: 7. II: 25, 30. IV: 6, 10, 19.

iores perpetuo progressus faciant, tam in veri rectique sensu, quam in omni pietate et virtute. vs. 9-11. His propositis lectores gravi cura et sollicitudine liberat narrando, captivitatem suam rei Christianae minus nocere quam prodesse, et quamquam sibi melius sit mori quam vivere, sibi tamen persuasum esse fore, ut ad commune bonum periculo capitis eripiatur iisque reddatur. vs. 12-26. Huic autem consolationi admonitionem adiicit, suum ad exemplum fortiter et communiter contra adversarios CHRISTI standum et perseverandum esse in fide moribus illustrata, unde ipse et *Romae*, et *Philippis* capere possit, de quo gaudeat. vs. 27-30. Iam hinc facile transgressus ad reprehendendam superbiam, arrogantiam, vanam gloriae cupiditatem, quibus lites et contentiones excitari audivisset, mentes omnium ad illustre erigit spectaculum vitae CHRISTI, cuius contemplatio modestiam docet, caritatis mutuae aliarumque virtutum tanquam matrem et nutricem. cap. II: 1-11. Remuneratione autem CHRISTI, quae obedientiam eius secuta est, commemorata, *Philippenses* adhortatur ad hanc quoque obedientiam, sine improbatione iussorum Dei aut disceptatione, religiose praestandam, ut integritate sua ac simplicitate tanquam lumina in tenebris splendeant, sibique gloriandi causam afferant ad Iudicii supremi diem. vs. 12-16. Tum eos gaudere iubet, si ante diem illum, et his quidem ex vinculis, ad supplicium ducatur. vs. 17, 18. Sed spem tamen ostendit fore, ut brevi TIMOTHEUM, sibi adhuc necessarium, *Philippos* mittere et ipse paulo post, ex captivitate liberatus, illuc venire possit. vs. 19-24. Interea se EPAPHRODITUM misisse ait, valde eum commendans, utpote virum, de causa CHRISTI optime meritum iisque omnino deditum atque devotum. vs. 25-30. Iam in memoriam redit hominum Iudaismum iactantium: quare *Philippenses* excitat, ut, de unius CHRISTI communione gavisi, hos corruptores observent, ne a via avertantur. cap. III: 1, 2. Deinde iis bonorum, quorum veri

CHRISTI sectatores participes sunt, commonefactis, copiose, quid ipse olim sectatus sit et nunc maxime sectetur, exponit: vs. 3-14. Tum lectoribus suis praecipit, ut, secum perfectionis Christianae studiosi, hoc suum exemplum et alia similia sequantur. vs. 15-17. Quod quo altius infigatur animis, vitam deplorat et exitum eorum, qui, CHRISTI nomen simulate gerentes, nihil aliud quam terrestria quaerunt. vs. 18, 19. Se vero et omnes, qui CHRISTUM revera profitentur, ab illis distinguens, beatitatis ostendit exspectationem, qua praediti ad coelestia tendunt et *Philippenses*, ne a CHRISTO discedant, sibi cavere iubet. vs. 20, 21. cap. IV: 1. Nunc duabus mulieribus concordiam commendat et quemdam muneris socium advocat, ut iis opituletur. vs. 2, 3. Atque sic ab universis ad singula transgressus esse videtur; sed tanquam e deverticulo in viam redit, et lectores generatim, incitamentis etiam a religionis doctrina petitis, ad varia pietatis et virtutis adhortatur officia. vs. 4-9. Nec liberalitatem *Philippensium* silentio praetermittere volens, gratias iis agit pro dono, quod, post alia, nuper ab EPAPHRODITO accepit; verum ita tamen, ut omni suo desiderio satisfactum esse declaret. vs. 10-18. Postremum iis bona veri nominis precatus, laudatione Dei et salutatione Epistolam concludit. vs. 19-23.

Et haec quidem rerum, de quibus PAULUS ad *Philippenses* scripsit, capita sunt praecipua, ut infra locorum etiam interpretatione, quorum sensum Interpretes vulgo aliter proponunt, probare conabor. Quod post BOLTENIUM BERTHOLDTUS (1) voluit, Apostolum sermone Aramaeo usum esse, et plane incredibile est, si ad familiaritatem ab eo cum Graeco sermone contractam ipsamque dicendi rationem attendimus, et in omnia incurrit, quae nobis tradunt Veteres. In oratione tamen cernitur auctor, Hellenistarum, qui dicuntur, vestigia prope secutus. Parum ea habet diligentiae illius accuratae,

(1) l. c. p. 3436, 3437.

librorum propriae, quos Graecorum Philosophi posteritati reliquerunt. Passim se produnt verborum notiones et sententiarum structurae, Iudaeis CHRISTI et Apostolorum tempore usitatae, si quando Graece aut loquebantur soli, aut mutuo colloquebantur. Hebraismos frequenter dicta bene Graeca excipere, maiorum memoria a nonnullis temere negatum aut in dubitationem vocatum est, ut hodie inter omnes constat. Magnam sane mirandi causam haberemus, si PAULUS aliam scribendi secutus esset rationem. Ad hanc a pueris institutus erat. Hanc familiarem ei fecerat lectio Interpretationis Veteris Testamenti Alexandrinae. Huc quotidiano ducebatur popularium suorum usu. Sed PAULI oratio, quamquam ingenium spirans Hebraeum, vituperatione tamen digna non est, quam, testibus iam Ecclesiae Patribus, multorum subiit iudicio (1). Hebraismi enim magnam partem dicendi reddunt formulas, antiquissimis temporibus tritas, quas morum Orientalium stabilitas servavit et ad posteritatem propagavit. Plurimi eorum debentur hominibus, qui, ut fert populorum infantia, voluptatem inde ceperunt, quod mentis cogitata quam maxime adspectabilia faciebant. Haud raro etiam gratam quandam in iis regnare videmus negligentiam, quali etiamnum in vita communi utimur, cum variata oris flexione, oculorum motu, gestibus corporis supplere solemus, quod ipsi sermoni deest. Atque hanc negligentiam cum PAULO magis, quam multi putant, communem habuerunt in *Dialogis* suis PLATO, in *Epistolis* CICERO aliique scriptores veteres, quorum oratio vulgo quidem exemplar elegantiae praebere censetur. Nemo autem ignorat, hunc Apostolum Graeci sermonis proprietatem minus crebro neglexisse, quam, excepto LUCA, ceteros Novi Testamenti scriptores. Et nitoris, quod relinquebat, desiderium orationis vi et nervis compensavit (2).

---

(1) RICHARD SIMON, *Hist. crit. du texte du N. T.* p. 303 sqq.
(2) Cf. monita egregia WINERI p. 13 sqq.

Ceterum haec Epistola ad *Philippenses*, obiter lecta, facilior videtur intellectu, quam comprobat eventus, si quis orationem explicare vel in alium sermonem convertere aggreditur. Deinde, ut verbis utar GROTII, quamquam et ipsa *Romae* in vinculis scripta, laetior alacriorque et blandior ceteris est. Recte quoque BERTHOLDTUS (1) varios ei inesse monet locos, quorum eloquentia vere Oratoria lectoris animum graviter afficiat. Sed vereor, ne Interpretes hoc magis senserint, quam ad difficultates minuendas vel tollendas adhibuerint.

Restat, ut de tempore dicamus, quo haec Epistola scripta sit. Iam supra vidimus, factum illud esse, cum PAULUS *Romae* captivus teneretur. Nunc vero, ut rem accuratius definiamus, aggredienda quaestio est, utrum Apostolus hac in urbe semel tantum, an bis captivitatem subierit. Et recentiori quidem memoria Viri Docti fere communiter hoc illi praetulerunt (2). Iis vero haud scio, an se nemo diligentius opposuerit, quam nuper WOLFIUS (3). Equidem ut iam diu dubitavi, an credendum sit, quod vulgo sumunt, PAULUM ex vinculis liberatum, atque tunc doctrinae Christianae propagandae causa in *Hispaniam* aliasque regiones profectum esse; donec *Romae*, in carcerem iterum coniectus, plecteretur capite; ita nuper, re penitius perspecta, leviora mihi visa sunt argumenta, quibus haec sententia nititur. Quod enim tradidit CLEMENS *Romanus* (4), PAULUM venisse [*ἐπὶ*]

---

(1) l. c. p. 3404.

(2) Cff. scriptores excitati a SCHOTTO l. c. p. 199, 200, imprimis MYNSTERUS, *de ult. ann. mun. Apost. a* PAULO *gesti.* l. c. p. 189 sqq.

(3) E. F. R. WOLF, *de alt.* PAULI *Apost. captivit. Dissert. Exeg-crit.* quae num tota iam in lucem edita sit, ignoro: mihi duae tantum allatae sunt Particulae.

(4) *Ep. ad Corinth.* cap. 5. l. c. Tom. I. p. 148, 149 haec leguntur: *Διὰ ζῆλον [ὁ] Παῦλος ὑπομονῆς βραβεῖον [ἀπέσχ]εν, ἑπτάκις δεσμὰ φορέσας, [ῥαβ]δευθεὶς, λιθασθεὶς, κῆρυξ [γενό]μενος ἔν τε τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐν [τῇ] δύσει, τὸ γενναῖον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλα-*

τὸ τέρμα τῆς δύσεως, si de *profectione eius in Hispaniam* accipi debet, mirandum est, nec EUSEBIUM, neque alium Ecclesiae Patrem illud usurpasse ad iter in *Hispaniam* Apostolo vindicandum. At huic interpretationi sequentia: *καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου* omnino obstant, quippe quae cum praecedentibus ita composita sunt, ut, qui *profectionem in Hispaniam* iis significari contendit, dicere etiam cogatur, quod nemo dixerit intelligens, *in Hispania Apostolum occisum esse*. Nec, si quis contra disputare vult, multum praesidii dabit coniectura, appellatione *τῶν ἡγουμένων* notatos esse TIGELLINUM et SABINUM, qui ultimo NERONIS anno praefecti praetorio fuissent: quod et alii haud sine causa negarunt, et nuperrime NEANDER, generatim tantum *civitatis* intelligi posse monens *magistratus* (1). Gravius vero est, quod cum NEANDRO communiter urgent omnes, a loquendi usu prorsus recedere, qui formulam *τὸ τέρμα τῆς δύσεως*, de *Roma* sumat, a *termino Occidentis* longe remota. Et nescirem sane, quid respondendum esset, nisi huius formulae explicationem pendere viderem a praecedentibus, quibuscum illa arctissime cohaeret. Nunc vero Auctorem, postquam scripsisset de PAULO: *praeco factus in Oriente atque Occidente eximiam fidei suae accepit gloriam, quippe qui homines qualescunque* (2) *probitatem docuerat*, his verbis, ratione eorum

---

θεὶν, δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον, κ[αὶ ἐπὶ] τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου. Totam orationem, ut cuivis copia iudicandi esset, descripsi.

(1) *Gesch. d. Pflanz. und Leit. der Christ. Kirche durch die Apostel.* Tom. I. p. 390.

(2) Formula *ὅλον τὸν κόσμον*, quae superioribus *ἔν τε τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐν (τῇ) δύσει* respondet, sine dubio Hyperbolen continet, nihil amplius significantem quam *varios variarum regionum homines*, vel, si quis mavult, *longe lateque*, uti *Rom.* I: 8. Eodem sensu PAULUS ab *Interprete* ORIGENIS in *Gen. Hom. XIII.* Tom. I. p. 95 DELARUEI *in totius orbis terrae latitudine Ecclesias collocasse* dicitur.

habita,, continuo adiecisse puto *et cum ad terminum Occidentis venisset*, ut terminum non significaret *Europae* in Occidente constitutum, *Hispaniam*, sed *Apostolo* ibi ad causam CHRISTI agendam positum, *Romam*.

CLEMENTEM excipiat EUSEBIUS. Hic igitur, relato testimonio LUCAE *Act.* XXVIII: 30, 31, sic narrare pergit (1): *Τότε μὲν οὖν ἀπολογησάμενον, αὖθις ἐπὶ τὴν τοῦ κηρύγματος διακονίαν λόγος ἔχει στείλασθαι τὸν Ἀπόστολον, δεύτερον δ' ἐπιβάντα τῇ αὐτῇ πόλει, τῷ κατ' αὐτὸν τελειωθῆναι μαρτυρίῳ.* Sed ad huic narrationi, quam se traditioni, quae dicitur, debere ait (2), faciendam fidem, nihil habet praeter unum alterumque locum, ex 2 *Epist. ad Tim.* petitum. Alibi vero ipse fidem ei derogat scribendo: *Τί δεῖ περὶ Παύλου λέγειν, ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκότος τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, καὶ ὕστερον ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος μεμαρτυρηκότος* (3); quod, et se mutuatum esse monet ab ORIGENE, qui rursus PAULI usus erat verbis *Rom.* XV: 19., et satis perspicue approbat, continuo adiiciens: *Ταῦτα Ὠριγένει κατὰ λέξιν ἐν τρίτῳ τόμῳ τῶν εἰς τὴν γένεσιν ἐξηγητικῶν σαφῶς εἴρηται.* At hoc qui posteritati tradat, negare necesse est, Apostolum ex vinculis, quae portaret, postquam ad *Illyriam* usque doctrinam CHRISTI pertulisset, liberatum et ulterius profectum esse. Ergo nihil aliud nobis restat quam conclusio, EUSEBIUM, aut sibi ipsum minus constitisse, aut, quod probabilius est, testimonium ORIGENIS nunc praetulisse traditioni ita dictae, quam supra narrasset et ratiocinatione confirmasset. Quod si sumimus, duo simul scriptores magnae auctoritatis se opponunt sententiae, quae nunc maxime vulgaris est.

---

(1) *Hist. Eccles.* Lib. II. cap. 22.

(2) De formula *λόγος ἔχει* EUSEBIO familiari et certorum auctorum testimonio opposita vide REUTERDAHL, *de fontt. Hist. Eccles. Euseb.* p. 30, 33, 57, 63 alibi.

(3) Lib. III. cap. 1.

Ceterorum, ad quos provocari solet, testimonia NEANDER nullius vel exigui ponderis esse declarat. Sed, ne rem leviori manu tractasse videar, obiter inspiciamus, quid illi testentur. ATHANASIUS (1) igitur et CYRILLUS *Hieros.* (2) ostendere volentes, quam plane se PAULUS causae CHRISTI devoverit, *studium* ei tribuunt vel *consilium Hispaniae*, postquam *Romae* fuisset, adeundae. Eos autem non referre quod a certis auctoribus acceperint, sed quod legerint *Rom.* XV: 24, 28, ipsa, quibus utuntur, verba luculenter docent. Ex eodem fonte EPIPHANIUS (3) hausit haec sua: *ὁ μὲν γὰρ Παῦλος καὶ ἐπὶ τὴν Ἱσπανίαν ἀφικνεῖται*, quemadmodum ex 1 *Pet.* I: 1, quae proxime sequuntur: *Πέτρος δὲ πολλάκις Πόντον τε καὶ Βιθυνίαν ἐπεσκέψατο*. Quid? quod tres illi scriptores PAULI quidem attingunt iter in *Hispaniam*, alteram vero eius captivitatem non item. Neque amplius quid habet HIERONYMUS in locis a MYNSTERO indicatis (4): alibi tamen hanc captivitatem non praetermittit (5). CHRYSOSTOMUS (6) et THEODORETUS (7) nunc alterutrum, nunc utrumque memorant. At hi quoque testimonia Veterum non afferunt fide digna, sed meris utuntur ratiocinationibus, quarum argumentum iis praebuerunt *Epistolae ad* TIMOTHEUM, *ad* TITUM, item *ad Hebraeos*, maxime vero *Rom.* XV. Quod ipsi, nunc locis nominatim excitandis, nunc verbis Novi Testamenti describendis, et tota sua oratione tam perspicue produnt, ut non intelligam, quomodo quis a partium studio alienus hoc negare possit. Similiter, ut illustre afferam ex-

---

(1) *Epist. ad Drac. Opp.* Tom. I. p. 956. Paris 1627.

(2) *Catech. XVII. Opp.* p. 253. Ox. 1703.

(3) *Haeres. XXVII.* Tom. I. p. 107. Col. 1682.

(4) *Comm. in Jes.* cap. 11 et *in Amos.* cap. 5. *Opp.* Tom. III. p. 104, 1412. MARTIN.

(5) *De Viris Illustr.* cap. 5 in FABRICII *Bibl. Eccles.* p. 33 sqq.

(6) *Opp.* Tom. II. p. 516. VII. p. 725. XII. p. 2. MONTEF.

(7) *Comment.* ad *Psalm.* CXVI: 1. *Phil.* I: 25, 26. 2 *Tim.* IV: 17.

emplum, verbis *Act.* II: 9 sqq. TERTULLIANUS (1) abusus est ad fingendam narrationem, suo iam tempore *Persas*, *Medos*, *Elamitas* ceterosque, qui ibi memorantur, religionem Christianam accepisse. At in causa satis plana quid opus est exemplis? Ex disputatis vero non tantum sequitur, exigui vel nullius ponderis esse, quae Patres Ecclesiae supra memorati tradiderint; sed ne ad eos quidem antiquioris aetatis pervenisse testimonia, quorum usu dictis suis fidem facerent. Multo minus audiri merentur scriptores recentioris temporis, qui nihil aliud retulerunt, quam quod a Patribus illis acceperant (2). Alteram autem captivitatem PAULI num homines abusu nonnullorum locorum Novi Testamenti demum commenti sint, postquam fama novi itineris eius, ex *Rom.* XV exorta, serpere incepisset, equidem dicere non ausim. Sed fingendi libidinem ipsi Veteres prodere videntur indicando, narrationem de extremis PAULI rebus et bipartitam fuisse et sensim sensimque amplificatam et ornatam, ut eum insulas etiam maris mediterranei adiisse et Palaestinam denuo vidisse traderent (3).

Progrediamur ad testimonium LUCAE *Act.* XXVIII: 30, 31: *Ἔμεινε δὲ διετίαν ὅλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι, καὶ ἀπεδέχετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτὸν, κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ διδάσκων τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάσης παῤῥησίας, ἀκωλύτως.* Cur auctor commentarium suum non ulterius persecutus sit, plane incertum est: sed

(1) *Adv. Judaeos.* cap. 7. cf. MOSHEM. *Comm. de reb. Christian. ante Const. M.* p. 204, 205.

(2) Locorum iudicium habet SPIERIUS in *Hist. crit. de Hispanic.* PAULI *Apost. itinere*, ut docent *Supplem. ad nov. act. Erudit. Lips.* Tom. V. p. 216 sqq.

(3) JABLONSKIUS, quamquam ipse PAULUM ex captivitate liberatum esse putat, CLEMENTEM tamen *Romanum* jam auctorem fuisse coniicit rumoris falsi, Apostolum iter in *Hispaniam* fecisse. Vide eius *Opusc.* Ed. TE WATER. Tom. III. p. 302.

haec sine dubio scripsit, ut res PAULI, biennio exacto, mutationem subiisse significaret. Quaestio igitur est, utrum mutationem in melius significaverit, an vero in peius. Atqui oratio eius memoriam continet eventus fausti, cui alius opponi nequit quam infaustus. Ergo in mente eius non fuit: *solutus vero postea vinculis et Roma profectus doctrinam* CHRISTI *denuo libere propagavit;* sed hoc sibi voluit: *coniectus vero postea in carcerem est et impeditus, quominus consuetudinem haberet cum aliis, quos* CHRISTI *sectatores faceret.* Sic enim verba eius *ἔμεινε ἐν ἰδίῳ μισθώματι, ἀπεδέχετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους* et *διδάσκων ἀκωλύτως* habent, quae sibi respondeant; altera vero interpretatione non item (1).

Quae cum ita sint, praecipua mihi sublata videntur, quibus Viri Docti nova PAULI itinera, postquam vinculis solutus esset, alteramque eius captivitatem probare student. Cetera, ad quae provocant, argumenta, vel incerta temporis, quo Apostolus necatus esse dicitur, nituntur notatione, vel mera constant ratiocinatione de rebus nonnullis, in Novo Testamento traditis. At haec tamen haud pauci multo habent graviora, quam ea, de quibus adhuc disputavimus. Imprimis urgeri solet difficultas *Epistolas ad* TIMOTHEUM et TITUM in concordiam redigendi cum notitiis, quae in *Actis Apostolorum* et alibi de vita PAULI exhibentur. Sed lectu dignissima sunt, quae post alios nuper WOLFIUS sententiae suae adversariis respondit. Neque omnes, quos ille solvere non potuit, nodi, me quidem iudice, adeo impediti sunt, ut Viri Docti vulgo censent (2). Unum tantum alterumque esse puto,

(1) Recte quoque WOLFIUS. Part. I. p. 10 LUCAM, si significare vellet, PAULUM *Roma* discessisse, verbis *ἔμεινε δὲ* additurum fuisse censet *ἐν Ῥώμῃ.*

(2) Unum afferre lubet exemplum. TROPHIMUM *Ephesium* vulgo censent PAULO affuisse, cum *Hierosolymis* in captivitatem incideret. Hinc sequitur, cum ad TIMOTHEUM (2 *Tim.* IV: 20) scribere non potuisse: TROPHIMUM *autem*

quod probabiliter explicari non posse videatur, nisi PAULUM *Roma* discessisse sumamus. Verum an illud propterea sumere liceat, cum ne in ipsis quidem Veterum libris testimonia exstent veri nominis, equidem valde dubito. Et dubito multo magis, quoniam LUCAM novimus in narrando ea usum esse brevitate, ut pro rebus gestis PAULI partem tantum illarum scripto mandaret. Quid? quod et in Novo Testamento non prorsus desiderantur loci, qui indicio esse videntur, PAULUM

Mileti aegrotantem reliqui, nisi post captivitatem illam novum in *Asiam* fecisset iter, cujus socius TROPHIMUS esset. Interpretes igitur, pars, hunc locum explicari non posse monuerunt ab eo, qui Apostolum *Roma* discessisse neget, pars verba *Τρόφιμον δὲ ἀπέλιπον ἐν Μιλήτῳ ἀσθενοῦντα* reddiderunt: TROPHIMUM *autem Mileti reliquerunt aegrotantem*, vel *Μελίτῃ* pro *Μιλήτῳ* substituendum coniecerunt, vel alia haud minus aliena commenti sunt. Sed si ad vim Praepositionis in Participio *προεωρακότες*, quam nec librarii scribentes *ἑωρακότες*, neque alii, quantum novi, viderunt, attendimus animum, et Graeca: *ἦσαν γὰρ προεωρακότες Τρόφιμον τὸν Ἐφέσιον ἐν τῇ πόλει Act.* XXI: 29 exponimus: TROPHIMUM *enim Ephesium viderant, cum antea in urbe erat*, res omnis in vado est. Nam inde apparet, PAULUM sibi comitem non habuisse TROPHIMUM, cum *Hierosolymis* captivus fierat, sed cum antea hac in urbe commoraretur, illuc delatus *Epheso* atque ita occasionem nactus TROPHIMI secum ducendi, ut nobis tradit LUCAS *Act.* XVIII: 19—22. Iam vero Iudaeos *ἀπὸ τῆς Ἀσίας*, id est *Ionia oriundos*, hoc in memoriam revocasse, cum postea denuo urbem adiisset, idem nobis refert auctor cap. XXI: 27—29, oratione quidem ipsa sic instituta, ut rem minus proponat recens, quam dudum factam. Apostolum autem, cum postremum *Hierosolyma* proficisceretur, sociorum alios, in quibus esset TROPHIMUS, in *Ionia* reliquisse, dum alios secum sumeret, et ex verbis *συνείπετο δὲ αὐτῷ ἄχρι τῆς Ἀσίας*, et ex utrorumque distinctione *Act.* XX: 4 sqq. intelligimus. ARISTARCHUS igitur, qui cum eo *Romam* navigasse dicitur cap. XXVII: 2, *Hierosolyma* venisse videtur, dum ille iam *Caesareae* degebat in custodia. Sed quidquid huius rei est, persuasum mihi habeo LUCAM, si cap. XXI narrare vellet, PAULUM a Iudaeis cum TROPHIMO *Ephesio* eo visum esse tempore, quo postremum hac in urbe versaretur, scripturum tantum fuisse *ἦσαν δὲ ἑωρακότες*, non vero *προεωρακότες*, quod tanquam digito monstrat tempus dudum exactum, ut in *Cod. Alex.* 3 *Esr.* V: 63, ubi *οἱ πρεσβύτεροι οἱ προεωρακότες τὸν πρὸ τούτου οἶκον* sunt *senes, qui templum viderant ab hostibus iam diu deletum.*

mansisse captivum, donec ad supplicium duceretur (1). Sed fines mihi constitutos non permittere video, ut, argumentis sigillatim ponderandis, hanc disputationem ulterius persequar. Neque angustum huius loci spatium rationem habere sinit eorum, qui difficultatibus supra memoratis abutuntur ad fidem *Epistolarum* PAULI *ad* TIMOTHEUM et TITUM, quam tota agnovit antiquitas, negandam vel in dubium vocandam. Satis mihi profecto est, in *Epistola* eius *ad Philippenses* nihil exstare, unde Apostolum, aut vinculis, quibus nunc premeretur, solutum esse, aut CHRISTI annunciandi causa novum postea suscepisse iter, aut *Romae* in captivitatem rediisse intelligamus. TIMOTHEUS quidem 2 *Tim.* IV: 9, 11, 21 *Romam* a PAULO captivo arcessitur, in hac vero Epistola ei *Romae* affuisse dicitur; sed si repetimus quod alii bene multi coniecerunt, hunc virum Iuvenem arcessitum esse, quoniam ex urbe profectus esset, postquam PAULUS ad *Philippenses* scripsisset, nulla amplius restat repugnantia. Nec repugnant inter se loci 2 *Tim.* IV: 9, 11, 21 et *Phil.* I: 25. II: 24,

---

(1) Et hic uti lubet exemplo, quamquam haud prorsus novo. PAULUS igitur *Act.* XX: 24, 25 se paratum declarat ad moriendum pro CHRISTO, sibique persuasum esse fore, ut *Ephesios* aliorumque locorum incolas, quibus regnum Divinum annunciasset, non amplius conveniat. Haec vox eius *Ephesios* (vs. 38) acerbo dolore afficit. Aliquanto post (cap. XXI: 11) AGABUS praedicit, eum *Hierosolymis* a Iudaeis vinctum traditumque iri in Romanorum manus, quo posteriori dicto supplicium captivitatem secuturum significari videtur. PAULUS certe hoc ita accipit, cum se (vs. 13) nec vincula aiat, neque adeo, postulante CHRISTI causa, mortem detrectare. Ipsa autem in urbe JESUS, ei per somnum visus, (cap. XXIII: 11), non vaticinatur eum liberatum iri, sed *Romam*, ut ibi quoque doceat, profecturum, nihil tamen ultra pollicens. Et similiter Genius coelestis (cap. XXVII: 24) necesse tantum dicit, eum se sistere pro tribunali Caesaris. Iam per se quidem haec non probant, Apostolum usque ad mortem captivum mansisse et *Romam* terminum laboris sui habuisse: sed si ille, vinculis liberatus, nova pro CHRISTO itinera suscepit et vel ad *Hispaniam* pervenit, valde mirandum est, LUCAM iis, quae traderet, nusquam adiecisse verbum, quo verus rerum exitus explicaretur.

dummodo sumamus, quod haud improbabile est, Apostolum, aliquamdiu sperasse fore, ut mortem effugeret; postea vero, mutata rerum facie, mortem sibi prope instantem vidisse. Ceterum sequi nón vereor interpretes, qui PAULUM hanc Epistolam scripsisse putant biennio captivitatis suae, quod LUCAS memoravit, ad finem vergente.

INTERPRETATIO

EPISTOLAE PAULI

AD

PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM.

VERSUS 1.

Epistolam PAULUS sic orditur more suo, ut prima voce se ab aliis distinguat. Omnes novimus Virum, ex stirpe *Iudaea* exortum, *Tarsi*, urbe *Ciliciae*, natum, *Hierosolymis* educatum a GAMALIELE, tandem ad CHRISTI partes perductum, ut Regnum Divinum, cuius ille Princeps est, longe lateque propagaret. Una agitur quaestio, cur *Παῦλος* dictus sit, non vero *Σαούλ*, quod nomen eius germanum legitur, *Act.* IX: 4, 17 locisque pluribus. Et alii aliud, quo caussam appellationis explicarent, attulerunt in medium. Sed ERASMUS (1) viam monstravit inveniendi, quod simplex adeoque verum et probandum est. Nimirum vox originis Hebraeae *Σαούλ* (שָׁאוּל) iam *Tarsi* formam *Graecam Σαῦλος* accepisse, haec vero, cum Apostolus *Graecorum* familiaritate utebatur, in vocem *Παῦλος*, iis cognitam literisque et sono affinem, mutata esse videtur, ut Viri nomen eius instituto conveniret. Quod ab eo tempore factum esse, quo ille SERGIUM PAULUM ad CHRISTUM profitendum perduxisset, per-

(1) In *Comm.* ad *Rom.* I: 1.

spicue docet LUCAS in *Actis Apostolorum*, qui inde a cap. XIII vs. 13 constanter *Παῦλος* scripsit, non vero *Σαῦλος*, ut in narratione sua superiori. Sed ex verbis tamen *Σαῦλος δὲ, ὁ καὶ Παῦλος* vs. 9 intelligimus, nomen antiquum hoc eventu non adeo sublatum esse, quam paulatim in desuetudinem abiisse.

Auctori PAULO adiicitur *Τιμόθεος*, socius Apostoli et adiutor, isque nomen gerens *Graecum*, quoniam ex patre *Graeco* natus erat, qui uxorem duxerat *Iudaeam*, uti traditur 2 *Tim.* I: 5 et *Act.* XVI: 1. Quo ex loco, cum Adverbium ἐκεῖ potius ad vocem propiorem *Λύστραν*, quam ad remotiorem *Δέρβην* referendum sit, etiam apparet, TIMOTHEUM non *Derbaeum* fuisse, ut nonnulli monuerunt Interpretes et Lexicographi, sed *Lystrensem*. Et hac de causa vs. 2 non a *Derbaeis*, sed a *Lystrensibus* et *Iconii* incolis probatus esse dicitur, ut vidit etiam CREDNERUS (1). Veteres autem ita indicasse intelligimus ex verbis Interpretis *Syri Act.* XX: 4 ܘܛܝܡܬܐܘܣ ܕܡܢ ܠܘܣܛܪܐ, quod testimonium minus recte sprevit GROTIUS. Nam vox interiecta *Δερβαῖος* omnino vetat praecedentem *Θεσσαλονικέων* cum sequente *Τιμόθεος* connectere. Sententiae autem aliorum, TIMOTHEUM ibi aeque ac CAIUM *Derbaeum* vocari, obstat orationis structura. LUCAS igitur locum natalem ceterorum PAULI comitum memorasse videtur, TIMOTHEI, quippe supra iam plus semel memorati et omnibus cogniti, non item.

Ad quaestionem, cur auctor scribendo *Παῦλος καὶ Τιμόθεος* huius Viri nomen suo nomini adiunxerit, recte GROTIUS ita factum esse respondit, quod ille, cum in utroque *Philippos* itinere PAULUM esset comitatus, carus haberetur a *Philippensibus*. Eiusdem caritatis causa nomen Viri Iuvenis quinque aliis PAULI Epistolis praepositum est. Neque igitur eo communis esse dicitur omnis scriptio, sed haec mera est

---

(1) l. c. p. 427.

salutatio, ut iam apparet ex cap. II: 19 sqq. ubi TIMOTHEUS a PAULO laudatur et commendatur. Nusquam autem clarius mentem suam Apostolus explicat, quam *Gal.* I: 2, nomini suo adiiciens: *καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἀδελφοί.*

Sequitur *δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ*: appellatio sane secundum Graecos minus honorifica, sed qua delectati sunt viri, quibus negotium causae CHRISTI propagandae mandatum erat. Iure meritoque ERNESTUS (1) hominem risit sui temporis, qui de ea haud minus insulse philosophatus erat, quam ORIGENES ad *Rom.* I: 1, acriter hoc nomine reprehensus a BEZA (2). Nam ab Hebraeis desumta, qui MOSEM, IOSUAM eorumque similes עבד יהוה vocabant, nihil aliud significat, quam *ministros* IESU CHRISTI. Quaesiverunt Interpretes, cur PAULUS se hoc loco *δοῦλον* dicere maluerit, quam *Ἀπόστολον*. Simplicitate autem sua se valde commendat sententia GROTII, eum modeste titulo usum esse, qui TIMOTHEO aeque ac sibi conveniret. Sed haec tamen stare nequit, quoniam in fronte *Epistolae ad Colossenses* et *alterius ad Corinthios* legimus: *Παῦλος Ἀπόστολος καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφός.* Quod alii, praeeunte AMBROSIASTRO (3) dicunt, PAULUM se *Apostolum* non appellasse, quia *Philippensibus* scriberet, nulla graviori reprehensione dignis, magis quoque probabile videtur, quam revera est, ut lectio docere poterit Epistolarum eius ad *Thessalonicenses*, quarum in principio Apostoli titulum itidem frustra quaerimus. Fortasse ita scripsit, ut TIMOTHEO, quem propediem *Philippos* missurus erat, eandem pararet auctoritatem, qua pollebat ipse.

Iam nunc transiens auctor ad appellandos homines, quibus Epistolam missurus erat, primum generatim scripsit *πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις.*

---

(1) *Opera Philol. et crit.* p. 242, 243.

(2) *Nov. Test.* ad *Rom.* I: 1.

(3) *Commentaria in omn.* B. PAULI *Apost. Epp.* quae olim AMBROSIO *Mediolan.* adscripta et cum eius operibus edita sunt.

Quae verba STORRIUS interpretatur *omnibus*, CHRISTO IESU *sacris*, *Philippensibus*. Sed uti huic interpretationi minus favet positio verborum ἐν Φιλίπποις; sic ea nititur falsa opinione, verba ἁγίοις ἐν Χριστῷ sumenda esse pro ἁγίοις Χριστῷ. Quare sine causa dubitat FLATTUS, utrum Praepositio ἐν hîc *Dativum* denotet, an idem valeat ac διά. At hoc, quamquam et RHEINWALDO placet, haud secus quam illud improbandum est. Nimirum etiamsi concedamus locos esse, ubi Particula ἐν, aut pro διὰ posita sit, aut *Dativi* vim habeat; nemo tamen demonstraverit, formulam dicendi, quae hîc occurrat, postulare, ut alterutra notio voci illi tribuatur. Immo sententiam, verba ἁγίοις ἐν Χριστῷ et ἁγίοις διὰ Χριστοῦ in Novo Testamento permutari, et nulla, quantum novi, exempla commendant, et improbabilem faciunt loci similes, uti 1 *Cor.* I: 2. Alterum autem ἁγίοις Χριστῷ, ut nusquam me legere memini, ita ne scribi quidem potuisse puto. Nam ubi homines ἅγιοι vocantur, per breviloquentiam sic dicuntur pro ἅγιοι Θεῷ vel τῷ Θεῷ, ut ex *Rom.* XII: 1, *Ephes.* I: 4 coll. 1 et aliunde intelligimus. Hinc vero sequitur, *Dativum*, cum iam indicetur nomine ἅγιοι, non amplius quaerendum esse in adiectis ἐν Χριστῷ. Et sane nihil in tali oratione est, quod vulgarem notionem Praepositionis ἐν deserere iubeat. Contra vero ea ad *arctam*, quam quis *cum* CHRISTO habeat, *necessitudinem* significandam retinenda est, ut post alios recte monuit MATTHIESIUS. Itaque verba πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ sic explicamus: *omnibus*, *qui Deo consecrati sunt necessitudine*, *quae inter eos et* CHRISTUM *intercedit*. Quod, cum de necessitudine inter *ipsum* CHRISTUM et eius sectatores accipiendum sit, valde etiam differt ab interpretatione HEINRICHSII et aliorum: *qui doctrinam Christianam profitentur*. Hi autem non solum reprehendendi sunt, quod ipsum CHRISTUM cum eius confundunt doctrina, sed etiam, quod verba ἐν Χριστῷ referunt ad Participium, ut temere putant, omissum οὖσιν, non vero ad nomen ἁγίοις, quocum

uno connecti debent. Ceterum *ἁγίους* esse homines sanctitatis causa ab iis separatos, qui extra societatem CHRISTI versentur, Deoque consecratos, satis superque docet SURINGAR in Disputatione *de diversis vocum* קדוש, *ἅγιος et affinibus significationibus:* cuius praecipua capita excerpta sunt in *Thesauro Linguae Graecae*, qui nuper *Parisiis* in lucem edi incepit. De Traiectione *Χριστῷ Ἰησοῦ* monere sufficit, eam in Novo Testamento frequentem esse, quia nomen *Χριστοῦ* non proprium sit, sed *appellativum.*

Universis CHRISTI sectatoribus eos, qui *Philippis* (1) ceteros dignitate praestabant, sigillatim adiicit PAULUS scribendo *σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις,* id est, *una cum Episcopis et Diaconis.* Quod si cum CHRYSOSTOMO aliisque antiquis Interpretibus ita mutatur, ut ex duabus vocibus *σὺν ἐπισκόποις* una fiat *συνεπισκόποις, coëpiscopis;* oratio serie sua privatur et perturbatur contra loquendi usum, 1 *Cor.* I: 2. 2 *Cor.* I: 1. reperiundum (2). Iam alteri, qui ab auctore salutantur, homines fuerunt, quos Apostoli sibi ad regundam sectatorum CHRISTI multitudinem, cum *Hierosolymis*, tum alibi adsciverant. Eosdem autem, qui dicerentur *ἐπίσκοποι,* nomen quoque gessisse *πρεσβυτέρων*, expressis iam verbis monuerunt THEODORETUS aliique Veteres, cui monitioni fidem facit illud, quod PAULUS TIMOTHEO scripsit 1 *Tim.* III: 2 sqq. ubi, in recensione omnium, quibus cura rerum Christianarum imposita erat, *τοῖς πρεσβυτέροις* silentio missis, soli memorantur *ἐπίσκοποι* (3). Accedunt loci Novi Testamenti,

---

(1) *Philippis* inquam. Haud dubie enim orationem sic restringere jubent praecedentia *τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις*: ut nequidquam contendant HAMMONDUS, *Epist. s. Apost. et Apoc. s. Joann.* etc. Ed. CLERICO, aliique, variarum urbium Episcopos hic comprehendi numero plurali.

(2) Cf. WHITBYUS, *verklar. v. de geh. Heil. Schrift. door eenig. van de voorn. Eng. Godgel.* ad h. l. et *Observ. Phil.-Crit.* p. 275.

(3) Itidem missis *ἐπισκόποις* solos *πρεσβυτέρους* memorant testes antiquissimi, CLEMENS *Romanus* et POLYCARPUS l. c. Tom. I. p. 177. Tom. II. p. 186. Notandum quoque est, Interpretem *Syrum* hoc in loco vocem *ἐπι-*

partim iam ab ipso THEODORETO excitati, in quibus nomina *ἐπισκόπων* et *πρεσβυτέρων* inter se permutantur, uti *Act.* XX: 17, 28. *Tit.* I: 5, 6, 7. 1 *Pet.* V: 1, 2. Hinc sequitur, plures fuisse antiquissimo tempore, qui hominibus Christianis unius loci vel urbis, si minus uni eorum coetui, *Episcoporum* nomine, quod *dignitatem* denotaret, praefecti essent; dum iidem ab *aetate Presbyteri* vocarentur. Neque vis huius conclusionis infringitur appellatione *τοῦ ἐπισκόπου* in numero singulari 1 *Tim.* III: 2. *Tit.* I: 7. Hunc enim Singularem esse *collectivum*, qui idem valeat ac Pluralis, et ipsum docet orationis argumentum, et comparatio locorum similium 1 *Tim.* II: 11 sqq. *Tit.* II: 2 sqq. Ceterum credibile quidem est, hos sacrorum antistites haud sine praeside communia tractasse; sed hoc munus uni cuidam ad vitam delatum esse viro, adeoque EPAPHRODITO, qui ceteros regeret et per excellentiam *Episcopi* nomen ferret, clari nonnulli Interpretes cupidius sumserunt. *Διακόνους* quod attinet, VITRINGA (1) quidem, ad CHRYSOSTOMUM aliosque provocans, probare conatus est, hîc ita dictos esse homines, qui *societati Christianae generatim ministrarent*, *et distinguendi essent a septem Diaconis Hierosolymitanis*, quos memorat LUCAS *Act.* VI: 1 sqq. Sed mirandum non est, paucissimos tantum fuisse, quibus magni Viri sententia placeret. Nam argumenta, quae ad causam suam tuendam attulit, nullius vel admodum exigui ponderis sunt (2). Auctoritatis si ratio habetur, CHRYSOSTOMO opponendus est CYPRIANUS, multo antiquior, qui Diaconos sui temporis eosdem esse monuit, quos *post ascensum Domini in coelos Apostoli sibi constituissent* (3). PAULUS igitur Episcopis adiunxit viros,

---

σκόποις reddidisse ܩܫܝ̈ܫܐ *senioribus* vel *Presbyteris:* unde MICHAËLIS. l. c. Tom. I. p. 653 vetustatem huius Interpretationis arguit.

(1) *De Synag. Vet.* p. 920 sqq.

(2) Cff. RHENFERDI *Opp. Philol.* pag. 365 sqq.

(3) Ep. LXV. Opp. p. 113. BALUZ.

quibus negotium mandatum erat *curae pauperum gerendae:* quod munus fuisse Diaconorum, *Hierosolymis* creatorum, etiam apparet ex formula *διακονεῖν τραπέζαις*, quae nihil aliud significat, quam *victum pauperibus ministrare*. Cff. *Rom.* XV: 25. *Hebr.* VI: 10.

Restat ut explicemus, cur PAULUS hac in Epistola salutem dicat Episcopis et Diaconis, quod alibi nobis non occurrit. Sed quamvis non dubito, quin hoc satis gravi de causa factum sit, memoriam tamen eius obliteravit vetustas temporis. Alii nunc aliud auctori tribuerunt consilium: nimirum ut sacrorum antistitibus maiorem auctoritatem afferret; vel rectoribus multitudinis sigillatim salutandis officium praestaret EPAPHRODITO, eorum aut principi, aut socio; vel gratum faceret iis, qui donum sibi allatum collegissent et misissent; vel animos ad concordiam excitaret. Quibus aliisque coniecturis si meam interponere licet, equidem PAULUM omnium CHRISTI sectatorum salutationi expressis verbis salutationem Episcoporum et Diaconorum addidisse puto, ut idem illud, quod his in Literis frequenti asseveratione declaravit, ab initio iam plena in luce collocaretur: videlicet sibi non tantum caros esse homines, quorum liberalitate gauderet, quales Episcopi imprimis et Diaconi fuisse videntur, sed se *omnibus omnino* bene velle. Quamobrem Episcopis et Diaconis multitudinem praemisit, ceterum, ut bene monet LAUNAEUS (1), iure etiam meritoque, si quidem societatis Christianae causa Episcopi creantur et Diaconi, haec vero propter illos non exsistit.

VERS. 2.

Salutationis altera pars hoc in versu sic legitur: *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Ipsa tamen haec sententia plena est et absoluta.

(1) P. DE LAUNAY, *Paraphr. et exposit. sur les Epistr. de St.* PAUL.

Nam Pronomen *ὑμῖν*, cuius usu PAULUS a tertia persona ad secundam transgreditur, aliunde pendere necesse est quam voces *πᾶσι — διακόνοις*. Sequi igitur oportet Interpretes, qui iis cogitando addunt *Χαίρειν*, id est *salutem dicunt*, quod nunc in fronte epistolarum, quas homines Christiani scripserint, occurrere novimus, uti *Act.* XV: 23. *Jac.* I: 1; nunc reticeri monuerunt RAPHELIUS (1), STORRIUS aliique. Iam distinctione Editionis receptae ita mutata, ut versui 1. cum VATERO et LACHMANNO (2) *punctum* subiiciamus, orationem porro imperfectam sic supplemus *Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἔσται*, quod verbum etiam 2 *Ioann.* 3 scriptum, sed in omnibus PAULI Epistolis omissum est, et ad votum enunciandum inservit. Ambiguitatem autem verborum sequentium, *ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ*, cuius mentionem passim fecerunt VALLA et ERASMUS (3), ita tollendam esse, ut Genitivus *Κυρίου* non ad Pronomen *ἡμῶν*, sed ad Praepositionem *ἀπό* referatur, evidenter docet collatio locorum similium, uti *Gal.* I: 3. 2 *Tim.* I: 2. *Tit.* I: 4. Quae cum ita sint, auctor verbis expressis dicit: *favor vobis et pax sit a Deo, Patre nostro et Domino*, IESU CHRISTO. Et hoc in dicto si animadverterimus duo, *pace*, ad Hebraeorum morem, denotari *quidquid bonum*, *felix faustumque est*, et *favoris pacisque* coniunctione *effectum causae* postponi, sensum eius esse intelligemus: *Favorem suum et omnem beatitatem hinc affluentem vobis impertiat Deus*, *Pater noster et Dominus*, IESUS CHRISTUS. Ut Deus autem *Pater noster* appellatur propter *caritatem*, qua sectatores CHRISTI complexus est; sic *Domini* titulo significari *Principem Regni Divini*, infra ostendemus.

---

(1) *Annotat. Philol. in N. T.* ad *Rom.* I: 7.

(2) In *Edd. Nov. Test.* ad h. l.

(3) In *Bibl. crit.* ad *Rom.* I: 7. 1 *Cor.* I: 2. 2 *Cor.* I: 2. alibi.

VERS. 3, 4, 5.

Horum versuum, cum arcte cohaereant, comprehendenda interpretatio est. Interpretationem vero priusquam aggrediamur, rationem, qua illi cohaereant, commonstrare debemus. Quaestio agitur de nexu versus 4 cum praecedenti et sequenti. Hac autem de re ardua disputatio est, quoniam in plerisque PAULI scriptis, ubi nonnulla verborum occurrunt, quae hîc leguntur, oratio plus uno nomine ab huius Epistolae differt oratione. Cuius diversitatis et immemores esse videntur, qui cum CHRYSOSTOMO Adverbium *πάντοτε*, vel etiam voces *ἐν πάσῃ δεήσει μου* cum vers. 3 connectunt, et qui postrema *μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος* a praecedentibus avellunt, ut nuperrime a SCHOLZIO (1) factum est. Utique quidquid aliis in locis est, quod huius simile sit, omne illud, nisi fallor, suadet, ut distinctionem Editionis receptae tueamur. Imprimis huc spectat quod occurrit *Rom.* I: 9, 10: *Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεὸς — — ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι, πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος* etc. Illa enim omnino docent, in Epistola ad *Philippenses*, si PAULUM PAULI interpretem facere volumus, verba *πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου* et secum mutuo, et cum sequentibus *μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος* connectenda esse. Neque aliud effici potest ex oratione 1 *Cor.* I: 4, quippe quae et nihil de *precatione* pro sectatoribus CHRISTI facta, aut de *memoria* eorum habita continet, et ita constituta est, ut auctori mentem alienam affingere necesse sit, nisi Particulam *πάντοτε* ad verbum *εὐχαριστῶ* referamus. Quod ipsum obstat quoque comparationi locorum *Col.* I: 3. 1 *Thess.* I: 2. *Phil.* 4, quamquam in his nec *memoria* hominum Christianorum, nec *precatio* divini in eos favoris silentio praetermittitur. Iam primis huius versus verbis et postremis connexis, sequitur, media *ὑπὲρ*

(1) *Nov. Test. Graec.* ad. h. l.

πάντων ὑμῶν cum utrisque etiam cohaerere. Atque uti hic nexus aliunde apparet, ita eum sibi ipsa postulat oratio. Nimirum vehementer frigent verba πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου, si ea subiungimus praecedentibus ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν: Particula vero πάντοτε, si sola illuc refertur, inepte redundat. Deinde vocibus πάντοτε, πάσῃ, πάντων ea est et originis et notionis affinitas, ut uno tenore legendae sint: atqui hoc incommode fit, nisi media ὑπὲρ πάντων ὑμῶν cum postremis μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος copulantur. Tum Articulus τὴν Accusativo δέησιν praepositus arguit, hoc nomine generali illud ἐν πάσῃ δεήσει μου ita definiri, ut alterum ab altero separari nequeat. Verum hactenus tamen ab Editionis receptae distinctione discedimus, ut et Parentheseos notas, quibus vs. 4 inclusus est, tollamus et comma Participio ποιούμενος subiectum. Quo sane PAULUM et ab illa verborum liberamus interiectione, quae nec rapidae, nec populari eius orationi congruere videtur, et vero cavemus, ne Praepositio ἐπί eidem verbo εὐχαριστῶ bis subiiciatur, et ita quidem, ut altero in loco aliam quam in altero notionem habeat (1). Sequimur igitur CALVINUM (2), GROTIUM, LAUNAEUM, PALMIUM, qui, duce CHRYSOSTOMO, versum 5 pendentem faciunt a praecedente voce χαρᾶς. Quod aliis quoque locis commendatur, cum Apostolus semel tantum in huiusmodi dictione, nempe 1 *Cor.* I: 4, Praepositionem ἐπί verbo εὐχαριστῶ subiungat; plerumque vero, uti *Col.* I: 4. 1 *Thess.* I: 3. *Phil.* 4, hoc verbo simpliciter usus, oratione transeat ad causam, cur pro sectatoribus CHRISTI gratias agat, memorandam.

Nunc, ut singula interpretemur, primum attingamus verbum εὐχαριστῶ, quo PAULUS enunciare incipit animi affectio-

---

(1) ELSNERUS quidem utroque in loco Praepositionem ἐπὶ interpretatur *de*. Sed quid tandem hoc est: *gratias ago de eo, quod vestri recordor?*

(2) In *Comm.* ad h. l.

nem, qua *Philippenses* prosequitur. *Hellenistis* illud familiare est, ubi de *gratiis agendis* loquuntur: nec frustra tamen huius usus exempla apud scriptores probatae auctoritatis quaeruntur. Sed ea in libris, ante POLYBIUM scriptis, non reperiri, prudenter monet LOBECKIUS (1). Ubi autem verbo *εὐχαριστῶ* Apostolus adiicit *τῷ Θεῷ μου*, Pronomine utitur ad declarandum, qualis sibi Deus sit, Pater, nempe, benignissimus, quem pie et religiose colere studet et tanquam in sinu fovet. Cf. Act. XXVII: 23.

Sequitur *ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν*, quod LUTHERUS, CALVINUS et plerique V.V. D.D. interpretantur: *quoties vestri recordor*. Nonnulli vero scripserunt *de eo, quod vos mei recordamini*, vel, ad literam, *super omni memoria vestri*, ut HOMBERGKIUS (2), quocum consentiunt PEIRCIUS (3), MICHAËLIS (4) aliique. Et hi quidem duo maxime afferunt, quibus causam suam tueantur: notionem Praepositionis *ἐπί*, et similitudinem orationis cap. IV. vs. 10 sqq. sed haec sane, nisi probabilis sit supervacanea eiusdem argumenti repetitio, sententiae eorum magis obstat, quam favet; ad illam vero incaute provocant, quoniam Particula multis etiam in locis, ubi tertium casum post se habet, *tempus* significat, ut ipsa vox coniunctione *si*, *quando*, *quoties*, *cum* vel simili, et nomen ei adiunctum verbo finito explicari possit, quod in propriam eius non incurrit potestatem indicatam a WINERO (5). Nec bene urgeri 1 *Cor.* I: 4, ubi *εὐχαριστῶ ἐπὶ τῇ χάριτι* dicit *gratias ago de favore*, ex locis apparet supra allatis, in quibus verbum *εὐχαριστῶ* absolute positum est. Contra

---

(1) Ad PHRYNICHUM p. 18.

(2) *Parerga Sacra* ad h. l.

(3) *Engelsche Godgel.* ad h. l.

(4) *Paraphr. u. Anm. üb. d. Br.* PAULI *an d. Gal.* etc. ad h. l.

(5) l. c. p. 373, 374. Cff. BRETSCHNEIDER, *Lex. manual.* Ed. II. et WAHL, *clav. N. T. Philol.* h. v.

vero, qui PAULUM *Philippenses* laudantem faciant, *quod sui memores fuerint*, mentem Apostolo tribuere, et ab eius ingenio alienam, et diversam omnino ab illa, quam in fronte Epistolarum suarum enunciare soleat, recte iam monuit WOLFIUS (1). Accedit, quod dici nequit, cur auctor, si hoc sibi vellet, usus sit Adiectivo *πάσῃ*, interpretationi illi valde incommodo. Sed propterea, cave, putes, iam explanatum esse locum, si scripseris: *quoties vestri recordor.* Immo, ni egregie fallor, scribendum est, *quoties vos commemoro*, ut SLICHTINGIO, COCCEIO (2) paucisque aliis placuit. Negare quidem nolo quod STEPHANUS exemplis docuit (3), vocem *μνεία* haud secus *memoriam*, quam *commemorationem* significare: sed hoc tamen illo frequentius. Tum vero ea in Novo Testamento, ubicunque occurrit, de *commemoratione* usurpatur (4). Inprimis animum attendere oportet ad formulam *μνείαν ποιεῖσθαι* *Rom.* I: 9. 1 *Thess.* I: 2. *Phil.* 4, qua cum Apostolus lectoribus suis declaret, *se eos*, quotiescunque precetur Deum, *commemorare*, ipse nobis tanquam digito monstrat, quomodo verba accipienda sint, quae in huius etiam Epistolae principio leguntur.

Philippensium commemoratio ubinam fiat, apud homines, an apud Deum, ostendit PAULUS adscribendo: *πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου ὑπὲρ πάντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος*. Quis autem non videt verborum cumulum, ex pectore tanquam effusum, quo omnibus omnino, quanta caritate in eos duci non desinat, cum maxime testificetur? Adverbium

---

(1) *Curae Phil. et Crit.* ad h. l.

(2) Utrique in *Comm.* ad h. l.

(3) *Thes. Ling. Graec.* h. v.

(4) Unus locus est, de quo dubitari possit, 1 *Thess.* III: 6. Sed verba *ὅτι ἔχετε μνείαν ἡμῶν ἀγαθὴν πάντοτε* explicanda esse: *vos me semper amicorum more commemorare*, intelligere mihi videor ex seqq. *ἐπιποθοῦντες* etc. Et formula *μνείαν ἔχειν* altero, quo legitur, loco, 2 *Tim.* I: 3, haud dubie de *commemorando* sumi debet.

vero *πάντοτε* restringitur proxime sequentibus, ubi voce *δέησις* minus *petitionem rei optatae* vel *supplicationem*, quam *orationem coram Deo habitam* vel *precationem* generatim dictam significare videtur, quemadmodum cap. IV: 6, quo in loco *τὰ αἰτήματα* expresse distinguit auctor a praecedentibus *προσευχή* et *δέησις*. Ita haec vox non solum saepe usurpatur, uti *Eph.* VI: 18. 1 *Tim.* II: 1. V: 5; sed orationis etiam similitudo *Col.* I: 3. 1 *Thess.* I: 2. 2 *Tim.* I: 3. *Phil.* 4 eam, me iudice, hîc sumere iubet. Neque aliud suadent verba *πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος Rom.* I: 10: nam uti Participium *δεόμενος*, ibi Particula *εἴπως* definitum, *petitionem* denotare necesse est; sic inter illud, cum per se notionem *petitionis* habeat, interesse puto, et infinitum, quod hac in Epistola legitur, *ἐν πάσῃ δεήσει μου*. Et ad finem huius versus auctor, pro Participio *δεόμενος*, usus esse videtur formula *τὴν δέησιν ποιούμενος*, ut lectores sibi *precationem generatim dictam* proponerent. Versu autem superiori, cum haec formula ei iam in mente esset, non, uti mos erat, *μνείαν ποιούμενος*, sed tantum *ἐπὶ τῇ μνείᾳ* scriptum esse suspicor. Iam quonam animo precetur, docet verbis *μετὰ χαρᾶς*, id est, *cum gaudio:* pro quibusnam precatio fiat, apparet ex praecedentibus *ὑπὲρ πάντων ὑμῶν*, *pro vobis omnibus*. *Omnium* autem haud sine causa mentionem fieri, ut cum ARETIO (1) nonnulli Interpretes animadverterunt, clarius elucebit ex frequenti repetitione Adiectivi *πάντες*, vs. 7, 8, 25. II: 17, 26. IV: 21. Quibus locis vide, an stabiliatur quod supra coniecimus, id egisse PAULUM, ut *Philippenses* probe sentirent, sibi haud magis curae cordique esse homines sibi beneficos, quam quibus donum acceptum non deberet. Quidquid huius rei est, sensus verborum huc redit: *quotiescunque precor, pro vobis omnibus cum gaudio precationem faciens*.

---

(1) *Comm.* ad h. l. Cf. omnino STORRIUS ad h. l.

Quare precationem faciat *cum gaudio*, declarat versu 5 scribens *ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον*. Voci *κοινωνίᾳ* illius communionis, quae in *liberalitate* cernitur, notionem iidem tribuunt Viri Docti, qui superiori *μνείᾳ* memoriam *ipsorum Philippensium* laudatam esse arbitrantur, tum alii, uti iam CHRYSOSTOMUS. Quod *posse* fieri aliunde recte colligunt, uti ex *Rom.* XV: 26. 2 *Cor.* VIII: 4. IX: 13, quibus in locis, ut recte monet ROSENMULLERUS (1), *κοινωνία* de *liberalitate* dicitur; at fieri *debere* minus recte propter adiectam Praepositionem *εἰς* perhibetur. PEIRCIO et MICHAËLI, qui ad utriusque vocis coniunctionem provocant, lubenter largior, hanc interpretationem non infringi posse dicendo, Praepositionem *εἰς* pro *ἐν* scriptam esse (2). Neque concedimus THEODORETO, quem FLATTUS aliique sequuntur, verba *τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον* hic idem valere ac *τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν τοῦ εὐαγγελίου*; ita vero non esse scriptum, ne duplici Genitivo *κακοφωνία* induceretur. Sed dubitare non possumus, quin PAULUS nomini *κοινωνίᾳ* Praepositionem *εἰς* subiecerit, ut *actio, in quam communio tenderet, perspicue explicaretur* et quasi incurreret in oculos: quod nuperrime fere placuit MATTHIESIO et SCHINZIO (3), nec displicuit omnino HEINRICHSIO, RHEINWALDO, PALMIO. Sic Praepositio illa plus

---

(1) *Scholia in N. T.* ad h. l.

(2) Quod olim vulgo creditum est, Praepositiones *εἰς* et *ἐν* a scriptoribus antiquis saepe inter se permutatas esse, recentiori memoria Viri Docti negarunt. Cff. BEYERUS, *de Praeposit. ἐν et εἰς in N. T. permut.* et WINERUS p. 390 sqq. Et sane multi loci, quibus prima fronte permutatio illa inesse videtur, aliam sibi postulant vel certe admittunt interpretationem. Neque asseverare tamen ausim, homines utramque inscitia vel negligentia nunquam confudisse. Cf. BERNHARDYUS l. c. p. 208, 215, 216. Sed de eo mihi persuasum est, confusionem temere fingi, ubicunque Praepositiones illae sequantur orationem, notioni suae convenientem. Atque ita hoc loco praecedentia *ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν* nobis suadent, ut voci *εἰς* suam notionem *motus* tribuamus.

(3) l. c. p. 17.

semel inter duo nomina interiecta est *ad alterius rei efficacitatem in alteram* denotandam, uti 2 *Cor.* IX: 13 inter *ὁμολογίας* et *εὐαγγέλιον* (1), *Hebr.* XI: 11 inter *δύναμιν* et *καταβολήν.* Itaque verba non explicamus: *quod Euangelii participes facti estis*, sed quod *operam nobiscum communem Euangelio*, id est, *rei Christianae*, *dedistis.* THEOPHYLACTUS (2), quamquam et hic *liberalitatem* laudari putabat, iam interpretatus est: *ὅτι κοινωνοί μου γίνεσθε καὶ συμμερισταὶ τῶν ἐπὶ τῷ εὐαγγελίῳ πόνων.* Quam interpretationem rationibus et argumentis satis firmis niti, mihi persuasissimum est. Partem occuparunt V.V. D.D. supra laudati aliique, in quibus FLATTUS; pars tractanda restat. Et primum quidem breviloquentia, qua vox *εὐαγγέλιον* per Metonymiam de *Euangelii propagatione* dicitur, PAULO familiarissima est (3), et a PHAVORINO iam notata. Deinde alibi quoque Apostolus *κοινωνίαν*, vel generatim de *communione* usurpat, vel etiam de *communione operae* in rebus divinis ponendae, uti 1 *Cor.* X: 16. 2 *Cor.* VI: 14. *Gal.* II: 9. *Phil.* II: 1. III: 10. Tum interpretatio proposita, ut cum loquendi usu congruit, ita locis commendatur similibus, ubi homines Christiani non solum propter virtutes suas laudantur, sed etiam quod causae CHRISTI communem praestant operam, uti *Rom.* I: 8. 1 *Cor.* I: 6. *Eph.* I: 15, 16. *Col.* I: 4, praesertim 2 *Cor.* I: 7. 1 *Thess.* I: 3 sqq. 2 *Thess.* I: 3 sqq. *Phil.* 5 sqq. Unde colligimus auctorem, cum *Philippensium* praedicet *κοινωνίαν εἰς τὸ εὐαγγέλιον*, hoc sibi velle, eos fide, constantia, caritate

---

(1) Quod ibi sequitur *τῆς κοινωνίας εἰς αὐτοὺς καὶ εἰς πάντας* communionem quidem spectat, quae in *liberalitate* cernitur; sed nobis tamen subsidio est, quatenus Praepositio interiecta *communionis efficacitatem in alios* significat.

(2) *Comm. in Ep. ad Philipp.* ad h. l.

(3) Recte SCHLEUSNER in *Lexic.* Ed. II. excitat locos 1 *Cor.* IV: 15. IX: 14. *Gal.* II: 7, alios vero minus recte: sed illis addendi sunt multo plures: *Rom.* I: 1, 9. 1 *Thess.* II: 4. Philem. 13, etiam *Phil.* I: 12. II: 22. IV: 15. Cf. BRETSCHNEIDER. h. v.

mutua, liberalitate, vita omni secum aliisque rerum divinarum doctoribus causae CHRISTI stabiliendae et promovendae una operatos esse. Quod ipsum haud obscure etiam significat vs. 7 scribendo *ὑμᾶς, ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου* etc. et vs. 27 magis adeo magisque fieri iubet verbis *μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου* (1). Atque illud sane alteri huius versus membro versuique sequenti bene convenit; sententia vero, hîc unam memorari *liberalitatem*, non item.

Nimirum PAULUS *Philippensium* laudem sic amplificat *ἀπὸ πρώτης ἡμέρας ἄχρι τοῦ νῦν*. Esse quidem haud ignoro, qui haec iungant cum verbo *εὐχαριστῶ*, uti BEZA, se haud satis scire aiens, an verum sit quod oratio continet, si ea cum proxime praecedentibus iunguntur. Anceps iam haesit OECUMENIUS (2). Sed bene RHEINWALDUS dictum *ἀπὸ πρώτης* etc. longius a verbo memorato distare monet, quam ut commoda haec habeatur structura. Spernenda quoque illa est, ne Participium *πεποιθώς* vs. 6 a verbis *ἐπὶ πάσῃ — εὐαγγέλιον*, quibuscum connexum est, separetur. Et aliud profecto suadet dictum simile *Col.* I: 6: *Τὸ εὐαγγέλιόν ἐστι καρποφορούμενον* [*καὶ αὐξανόμενον*], *καθὼς καὶ ἐν ὑμῖν, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἠκούσατε καὶ ἐπέγνωτε τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ*. Locum autem descripsimus, quia inde non solum certiores fimus de eo, orationem serie deinceps continuata procedere, sed etiam de huius loci sensu, quem sic se habere putamus: *a primo die, quo ad societatem* CHRISTI *perducti estis, ad hunc usque*. Quod si ad *liberalitatem Philippensium* refertur, dirimi non posse arbitror, an laus vera sit. At laudem, si communionem operae rebus Christianis datae spectet, omnino veram esse, lectori attento facile persuasum erit, etiamsi verba populariter sumenda contra interpretandi leges premat.

---

(1) Cf. CORNEL. A LAPIDE in *Comm.* ad h. l.

(2) Vel quisquis auctor est *Comm.* ad h. l. qui eius fert nomen.

VERS. 6.

Ad argumentum gaudii, inquit CALVINUS, accedit fiducia in reliquum vitae tempus. Et hanc quidem fiduciam PAULUS exponere incipit verbis *πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο.* Pronomina, si adscripta non essent, nemo ullus desideraret. Cum vero adscripta sint, mera in iis non cernitur redundantia, sed dicendi ubertas sermoni familiari usitata, ut quid significantius commonstretur. Accusativus autem non pendet a Praepositione *κατά*, quam reticuerint Veteres, sed ab ipso Participio *πεποιθώς*, quo Pronomina potestatem Adverbiorum accipiunt (1). Latine scribi potest *hoc ipsum persuasum mihi habens*, vel *confidens*. Quod an sequentia spectet, in dubium temere vocavit CRELLIUS (2). Haud minus inconsultum est, quod nuper egit LACHMANNUS, membrum posterius versus praecedentis, sublata distinctione, cum verbis *πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο* connectens. Sic enim et languor in orationem importatur, et mos negligitur PAULO usitatus Participium *πεποιθώς* sententiae vel alteri eius parti praeponendi, ut apparet ex 2 *Cor.* II: 3. *Phil.* 21. Hinc quoque intelligimus, ab auctoris mente aberrasse FLATTUM, cum, coniunctione *καί* orationi adiecta, verba sic explicaret *et persuasum mihi habeo.* Immo hic locus aliis addendus est, in quibus *Asyndeton* illud occurrit, quo monuit WINERUS (3) duo vel plura Participia verbo finito sine copula subiungi.

Quid sibi persuasum habeat, dicit PAULUS, orationem sic persequens: *ὅτι ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν ἔργον ἀγαθὸν ἐπιτελέσει,* quae in Editionibus minus recte interposito commate, quod sustulit LACHMANNUS, distinguuntur. *Emphasis*, quam in

---

(1) Minus recte L. BOS, *Ellips. Gr.* Ed. SCHAEFER. p. 715. Verbo *πείθομαι* ab HERODOTO et JOSEPHO etiam Accusativum sine Praepositione subiectum esse, docent RAPHELIUS et ELSNERUS ad h. l. Alia mitto.

(2) *Paraphr. in Epist. ad Phil.*

(3) l. l. p. 321. Exemplis ab eo allatis adde 1 *Macc.* V: 14, 15.

repetitione Praepositionis ἐν sibi BENGELIUS (1) cum aliis invenisse videtur, nulla est. Cum auctore scripseris ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν, an simpliciter ὁ ἀρξάμενος ἐν ὑμῖν, sensui nihil additur vel demitur. Eodem modo omnem comparatam esse puto orationem, quae ita se habeat, ut ad notionem Praepositioni, salvis cogitandi legibus, notio accedere non possit, ut si dicimus τὸ πνεῦμα οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, quod *Rom.* VIII: 11 sine dubio permutatur cum τὸ πνεῦμα ἐνοικεῖ ἐν ὑμῖν. Falsissimum vero rursus esse Grammaticorum praeceptum, verba composita in Veterum scriptis pro simplicibus usurpari evidenter demonstrarunt, praeter alios, VOORSTIUS (2), TITTMANNUS (3) et WINERUS (4). Ubi enim mera redundantia Praepositionis verbo composito inesse videtur, duplicatione eius factum est, ut illud, quod ex simplici plene intelligitur, *modo quodam adspectabili in oculos incurrat*; sive auctor hoc consulte voluerit, seu inconsulte secutus sit alios, qui alterum ab altero discernerent (5). Iam ad hanc normam PAULI dictum ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν iudicandum existimo: nihil amplius eo quidem denotari, quam si Participium simplex ἀρξάμενος pro composito substituamus; sed hoc tamen magis quam illo in luce collocari vim Divinam, hominum in animis agentem. MATTHIESII haec quoque esse videtur sententia. Quod autem commentus est WAKEFIELDIUS (6), verba

(1) In *Gnom.* ad h. l.

(2) *Animadv. de us. verb. c. Praep. comp. in N. T.* p. 88, 89 alibi.

(3) *De Synonym. in N. T.* Lib. I. p. 217 sqq.

(4) Programm. *de verb. c. praep. comp.* in N. T. usu.

(5) Cf. WINER Partic. II. p. 8, 17 sqq.

(6) *Silva critica.* Part. II. p. 98. Valde miror censorem in *Bibl. van Theol. Letterk.* Tom. VI. p. 586, 587, reprehenso REDDINGIO, quod in libro: *de Br. v.* PAULUS *a. de Phil. bew.* interpretationem vulgarem secutus esset, sententiam WAKEFIELDII commendasse. Quod autem et ille ait, et alibi (*Bijdr. tot de beoef. en gesch. der godg. wet.* Tom. XIII. p. 222) BORGERUM asseverasse legi, formulam ἔργον ἀγαθόν in nullo Novi Testamenti loco de *opere Dei* usurpari, haud magni ponderis esse videtur, quoniam ea

ὁ ἐναρξάμενος homines singulos melioris notae spectare, et sensum orationis hunc esse: *quicunque vestrum bene incepit, Christiano homine digne vivere, perget et in hac vita Christiana*, adeo repugnat, et contra structuram orationis, quippe quae non Articulo, sed Participio formulam ἐν ὑμῖν subiectam habet, et contra locos similes 1 *Cor.* I: 4 sqq. *Eph.* I: 13, 14. Col. I. 9 sqq. ut miranda commendatio sit, qua hanc opinionem HEINRICHSIUS ornavit. Fateri quidem non recuso, haud raro fieri, ut Participium singulare et masculinum cum praecedente Articulo genus quoddam denotet; sed alibi tamen, uti *Joann.* V: 32. *Gal.* I: 23. *Hebr.* X: 23, δεικτικῶς usurpatur de *uno eodemque finito* (1). Unus igitur Deus hic laudatur, et quidem propter ἔργον ἀγαθὸν, quod incepit ille, id est *opus bonum*, ei auctori tribuendum. Quamquam autem Apostolus, hoc opus bonum memorans, τὴν κοινωνίαν spectat εἰς τὸ εὐαγγέλιον, utpote a Deo repetendam, qui *Philippenses* ad CHRISTI societatem perduxit; loquitur tamen generatim, uti *Rom.* II: 7 (2). Ceteri loci, quos excitavit HEINRICHSIUS, hinc alieni sunt: sed comparari potest dictum simile IESU de MARIA *Matth.* XXVI: 10.

Praeteritis consideratis PAULUS, quid de futuro speret, praedicit verbo ἐπιτελέσει, cui cogitando subiiciendum esse Pronomen αὐτό, quisque sponte videbit. Ipsum verbum, quod THEODORETUS temere interpretatus est ἄσυλον διατηρήσει, haud accommodatius ad loquendi usum reddi potest, quam

---

nusquam etiam in singulari *liberalitatem* significat, nisi 2 *Cor.* IX: 8 et forte *Col.* I: 10, ubi Adiectivum πᾶν ei praemissum est. Cff. omnino *Rom.* II: 10. *Eph.* IV: 28.

(1) Cf. VIGERUS, Ed. HERMANNO. p. 19.

(2) Disputatione de versu superiori otium nobis fecimus hic refellendi PEIRCIUM, ROSENMUELLERUM et quotquot verbis ἔργον ἀγαθόν *liberalitatem* denotari putant. Cff. MATTHIESIUS ad h. l. et FLATTI *opusc. Acad. coll. a* SUSKINDIO p. 367 sqq.

ad finem perducet. Si autem ita redditur, sequens Particula ἄχρις difficultatem ei non affert, quam sibi invenisse videtur FLATTUS. Nam *consummationem* Auctor significat *perpetuo progredientem*, quemadmodum 2 *Cor.* VII: 1 et alibi. PAULO difficiliora vero sunt postrema huius versus ἡμέρας Ἰησοῦ Χριστοῦ, neque adeo tamen implicata, ut Interpres sobrius et ingenuus nodum solvere nequeat. Nimirum si vulgaris recipitur sententia, *diem* IESU CHRISTI ab Auctore dictum esse *tempus*, *quo ille iudicii extremi causa de coelis rediturus esset*, magna superest quaestio, quomodo promitti potuerit, Deum ad hunc eius adventum, quod *Philippensium* in animis agere incepisset, deinceps persecuturum esse. Viri Docti vero cum in respondendo haererent, se expedire voluerunt: alii, *diem* significari monentes, *quo quisque moriturus esset;* alii scribentes tantum *perpetuo*. Sed utrosque a vero aberrasse, et plerique ab antiquo viderunt Interpretes, et hac nostra aetate adeo perspectum est, ut haud sciam, an postremus sit ENDIUS (1), qui hanc in salebram inciderit. Iidem autem loci Novi Testamenti, quos MATTHIESIUS ad hos errores depellendos conducere monet (2), interpretationem sustinent vulgarem, cui et ille assentitur. At revera tamen hunc diem aeternitatem illam esse ait, per quam Dei Filius efficacitate veri rectique omnia pervadente id agat, ut reconciliationis inter Deum et homines semel patratae singuli mortales participes reddantur, magisque ac magis effectum sortiatur illud, quod generi humano Divinitus destinatum est: atque ita reditum CHRISTI et temporis huius finiti spatium comprehendere, et extra terminos eius progredi in infinitum. Sed quid haec Philosophiae recens exortae placita ad mentem PAULI? In promtu est, quod ad eam ex-

(1) PAULI *Epist. ad Philipp. Gr. ex recens.* GRIESBACH etc. ad h. l.

(2) Sunt nempe 1 *Cor.* I: 8. IV: 5. 2 *Cor.* I: 14. *Phil.* I: 10. II: 16. 1 *Thess.* V: 2 sqq. 2 *Thess.* I: 10. II: 2. 2 *Tim.* I: 12, 18. Sed 1 *Cor.* III: 13 ἡ ἡμέρα generatim *diem* denotare videtur.

plicandam satisfaciat, modo sententiam sequamur, a plerisque hodie Theologis probatam: PAULUM, nempe, eiusque aequales in opinione fuisse, diem CHRISTI brevi affuturum; Dei autem Providentiam hanc spem iis et exspectationem reliquisse, quo amplius et celerius regnum CHRISTI divinum propagaretur. Sed hanc ad causam infra redibimus.

Totius disputationis summa est, hunc orationis esse sensum: *id ipsum persuasum mihi habens, Deum, uti agere in vobis inceperit, quod omnino bonum est, sic facturum, ut illud consummatum sit tempore, quo Iudicii extremi causa* IESUS CHRISTUS *redierit.* Quo dicto vir pietatis et virtutis studiosissimus, nec *Philippenses* ipsos segnes adhuc inertesque fuisse, neque eos porro recti honestique immemores fieri posse significat: sed, posita Literarum Sacrarum doctrina, quidquid boni peragatur divinitus peragi, Deum unum boni auctorem memorat; se vero omnia non ita ad Deum referre, ut hominis excludatur diligentia, ipse sequenti in versu luculenter ostendit (1).

VERS. 7.

Cum superioribus cohaerent verba *καθώς ἐστι δίκαιον ἐμοὶ τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν*: quomodo cohaereant, efficiendum est ex eorum interpretatione. De Particula *καθώς* constat, eam ubique reddendam esse *sicuti* vel *quemadmodum*, nusquam vero *siquidem*, *quoniam*, *etenim* vel similiter, ut ENDIO, KOOGIO aliisque (2) placet. Nec difficile dictu est, quid auctor formula *ἐστὶ δίκαιον* sibi voluerit: nempe *iustum est*, id est, *secundum legem caritatis oportet*, vel *decet*, quod iam scripsit ARETIUS. Hanc interpretationem, et aliis in locis postulat oratio, ut *Eph.* VI: 1, et hoc loco adie-

(1) Cff. CHRYS. et GROT. ad h. l.

(2) Temere et SCHLEUSNER excitat *Joann.* XVII: 2. *Rom.* I: 28. WAHLIUM et BRETSCHNEIDERUM errorem propagasse miror iis addendo *Luc.* XI: 1. 1 *Cor.* I: 6 et plures locos.

ctum Pronomen *ἐμοί*; ad quod animum minus attendisse videntur V.V. D.D. quorum in commentariis legimus *par* vel *aequum est*, aut *sponte sequitur*, uti apud HEINRICHSIUM. Recte autem ille verba sequentia *τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν* et de *intelligentia*, et de *voluntate* sumi posse monet. Alterum plerique probant, quibus nuper assensus est MATTHIESIUS; alterum pauci, ARETIUS, WOLFIUS, ipse quoque HEINRICHSIUS. Et hoc haud secus atque illud cum loquendi usu congruere, multi docent loci cum scriptorum exterorum et Interpretationis V. T. *Alexandrinae*, tum librorum Novi Testamenti (1). Verbum autem *φρονεῖν*, uti nusquam frequentius legitur quam in Epistola ad *Philippenses*, ita hanc notionem ibi constanter habet (2). Imprimis commemorandum est dictum simile cap. IV: 10 *τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν*, quod explicandum esse *mihi studere* vel *consulere*, ex tota oratione contexta intelligitur. Valde igitur verisimile est, PAULUM hic etiam scripsisse quod spectaret *voluntatem*. Nec huic conclusioni obstat, quae HEINRICHSII esse videtur sententia, Pronomen *τοῦτο*; cum Accusativus etiam verbum *φρονεῖν*, ubi hanc notionem habet, saepe sequatur. Sed ne aliter quidem illud sumi posse declarat, nisi fallor, adiectum *ὑπὲρ πάντων ὑμῶν*; quod probe sentiens BEZA, et *intelligentiae* tamen notionem tenens, perhibere coactus est, Praepositionem *ὑπέρ* pro *περί* substitutam esse: ut CORN. A LAPIDE aliique etiam temere statuerunt. Quae cum ita sint, sine scrupulo interpretamur: *sicuti me decet hoc vobis omnibus*

---

(1) ARISTOPH. *Vesp.* vs. 505. HERODOT. Lib. II. cap. 162. DIONYS. *Halic. Ant. Rom.* Lib. IV. p. 224. SYLB. *Deut.* XXXII: 29. *Jes.* XLIV: 28. 1 *Macc.* X: 20. 2 *Macc.* XIV: 8. *Matth.* XVI: 23. *Rom.* VIII: 5. XII: 16. XV: 5. 2 *Cor.* XIII: 11. *Col.* III: 2. Quorum locorum partem minus recte interpretantur STEPH. et SCHLEUSN. tum in *Nov. Thes. Phil. Crit.* tum in *Lex.* N. T. Sed plures tamen afferunt, huc facientes.

(2) *Phil.* II: 2, 5. III: 15, 19. IV: 2. Mirifice vacillarunt Interpretes, quotquot verbo *φρονεῖν* in aliis horum locorum alias notiones tribuebant.

appetere, scilicet, *omni cura et precibus*. Iam Apostolum nihil aliud appetere, quam ut Deus *Philippenses* perficere pergat, clarissime elucet ex versus superioris comparatione. Nexus autem inter illum et hunc versum non ad Philosophorum diligentiam factus, sed popularis est, ut in collocutione vitae communis, ubi ea, quae sibi constare poterant, praecedentibus haud raro alligamus.

Verum quid est, quod PAULUS hoc appetendum iudicet *Philippensibus?* διὰ τὸ ἔχειν, ait, με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς. Sed dictum illud ambiguitate quadam structurae laborat. Negari enim nequit, Pronomina με et ὑμᾶς ita posita esse, ut, facta eorum traiectione, verba reddi possint: *quoniam vos me in corde habetis*. Et statim dixeris turbari orationis seriem, nisi haec verba sic reddantur. At vero mente Apostoli perspecta, clare, nisi fallor, apparebit, ordinem receptum, ut omnia via et ratione procedant, servandum esse. Deinde traiectioni minus favent interposita ἐν τῇ καρδίᾳ, et postrema, ut recte animadverterunt HEINRICHSIUS et MATTHIAESIUS, huius sententiae verba. Neque exempla huiusmodi confusionis sunt *Ioann.* I: 49 et 2 *Cor.* VI: 1, ad quae male provocavit STORRIUS. Haud temere quoque MYNSTERUS (1) argumentum versus 8 tale esse monuit, ut interpretationem illam dissuadeat. Denique loci similes 2 *Cor.* III: 2. VII: 3 pondus adiiciunt interpretationi vulgari: *quoniam ego vos in corde habeo*. Sed iidem loci me illud cum plerisque harum rerum Iudicibus explicare iubent: *quoniam ego vos habeo carissimos*, minime vero, ut BEZA, GRELLIUS, HEINRICHSIUS, *quoniam ego vos memoria teneo*: quo voci καρδία notio scriptoribus Novi Testamenti plane incognita obtruditur.

Sic igitur quodammodo iam vidimus causam, cur PAULUS sui esse iudicaverit, ut salutem *Philippensibus* appeteret:

(1) *Kl. Theolog. Schr.* p. 176.

sed quaestioni ut ab omni parte satisfiat, consideranda sunt verba sequentia: *ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου, καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει τοῦ εὐαγγελίου, συγκοινωνούς μου τῆς χάριτος πάντας ὑμᾶς ὄντας*. Quam cum LACHMANNO veram iudico et scriptionem, et distinctionem. Nam testimonium librorum veterum, in quibus Praepositio *ἐν* ante voces *τῇ ἀπολογίᾳ* expressa aut vertendo reddita est, idcirco fidem habet, quod causa probabilis cogitando fingi nequit, cur illa a correctoribus addita sit orationi; contra vero festinatione librariorum, vel ne repeteretur, facile potuit omitti. Comma autem, in Editione recepta et a GRIESBACHIO, MATTHAEO (1), SCHOLZIO quoque vocibus illis subiectum, cum utramque *ἀπολογίᾳ* et *βεβαιώσει* unus Articulus *τῇ* comprehendat, recte omnino GOESCHENIUS (2) delevit. Iam connexa esse *ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου, καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει τοῦ εὐαγγελίου*, Particulae copulantes *τε* et *καί* ostendunt. Atque haec quin pariter cum postremis *συγκοινωνούς μου τῆς χάριτος πάντας ὑμᾶς ὄντας* cohaereant, dubitare non sinit oratio, quippe quae et structura laborat, et effusius exsultat, si illa, uti iam voluit CHRYSOSTOMUS, cum praecedentibus *διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς* iunguntur. Ut autem MYNSTERUS, MATTHIESIUS et plerique Interpretes hactenus inter se consentiunt; sic una omnium vox est, Pronomen *ὑμᾶς*, cum semel tantum requireretur, bis esse scriptum. Repetitio utrum inde profecta sit, quod auctor, inter dictandam hanc sententiam, ad rem intentior esset, quam ut verba iam enunciata probe meminisset; an debeatur perspicuitatis studio, equidem dirimere non ausim. Unum novi, si quis reprehendat PAULUM, reprehendendum quoque esse XENOPHONTEM, qui Pronomen eodem modo interdum repetierit (3). Ceterum hac in oratione nihil est,

(1) *Nov. Test. Graec.* h. l.

(2) *Nov. Test. Gr. et Lat. ex recens.* KNAPPII etc. ad h. l.

(3) Exempla descripsit MATTHIAE, *Ausführl. Gr. Gramm.* Lips. 1807. p. 642. Recte etiam BENGELIUS attulit *Act.* VII: 21. Sed dissimiles sunt

quod indigeat correctione. Quod enim BEZA aliique volunt, Participium ὄντας pro Verbo infinito εἶναι positum esse, et interpretatione iam refutata formulae τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ nititur, et Pronomen ei adiectum ὑμᾶς hinc temere avellere, aut insolens dicendi genus inducere cogit (1). Statuendum igitur est, verba ἔν τε τοῖς — — ὑμᾶς ὄντας superioribus adscripta esse, ut causam exprimeret auctor, cur *Philippenses* caritate haberet complexos.

Universis definitis negotium sequitur interpretandi singula. Prima quidem ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου, satis perspicuum est, *captivitatem* Apostoli denotare. Difficultatem vero pariunt subiecta καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει τοῦ εὐαγγελίου. Sed Genitivum τοῦ εὐαγγελίου ad utramque vocem praecedentem referendum esse, inde intelligitur, quod sine eo vox ἀπολογίᾳ stare nequit; tum ex Articulo τῇ, quo altera cum altera constringitur; denique ex loco simili vs. 17 εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι. At illo tamen loco abutuntur, qui eo tueri conantur sententiam, voces ἀπολογίᾳ et βεβαιώσει esse *Synonymas*. Quod, quamvis GROTIO aliisque magnis viris placuit, haud graviori de causa sumitur, quam eas per *Hendiadyn* positas esse pro ἀπολογίᾳ εἰς βεβαίωσιν, uti vult HEINRICHSIUS. Ipsis verbis si vis sua tribuitur, omnia sana sunt: ut auctor loquatur de duobus, *Euangelii*, id est, *rei Christianae defensione eiusque confirmatione hinc profecta*. Hoc autem *causae dictionem* spectare, non pro Iudaeis, qui *Romae* erant, sed pro *Iudicibus* veri nominis habitam, et vocum δεσμοῖς et ἀπολογίᾳ arguit compositio, et omnis oratio vs. 12 sqq. Quomodo Apostolus rem Christianam defensione eius confirmaverit, CHRYSOSTOMUS iam docuit scribens, eum omnia

---

loci, in quibus GLASSIUS, *Phil. Sacr.* Lib. II. p. 1333. DATH. aliique monuerunt *Epanalepsin* occurrere.

(1) Loci, ubi GLASSIUS l. c. p. 850, 851 aliique Grammatici Participium pro Infinitivo positum esse voluerunt, quomodo se revera habeant, docent WINERUS, *Gramm.* p. 316 sqq. et scriptores ab eo laudati.

mala tolerantem demonstrasse, se illa non pati propter humanum quid, sed propter Deum ad remunerationem paratum. Et quae huic interpretationi post alios opposuit RHEINWALDUS, ex rerum gestarum ignoratione petita sunt ideoque nullius ponderis. Quid? quod τῇ ἀπολογίᾳ significari non videtur *defensio iam peracta*, sed *defendendi negotium*, τὸ ἀπολογεῖσθαι; quemadmodum adiectum τῇ βεβαιώσει nihil aliud significat quam τὸ βεβαιοῦν. Iam verba καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει τοῦ εὐαγγελίου praecedentibus ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου ab Apostolo annexa sunt ad ipsam suam captivitatem a labore, quo in ea occupatus erat, distinguendam. Sequuntur autem συγκοινωνούς μου τῆς χάριτος πάντας ὑμᾶς ὄντας, ad docendos *Philippenses*, quid illi secum et captivo, et causam CHRISTI tuente atque stabiliente commune habeant. Nam utrumque Genitivum μου et τῆς χάριτος pendere ab Adiectivo συγκοινωνούς, bene animadverterunt LUTHERUS, VATABLUS (1) aliique, quorum iudicium laudat ERASMUS SCHMIDIUS (2). Ita saepe Adiectiva, cum Pronomine σύν composita, Genitivum personae aeque post se habent ac rei (3). Structuram autem Pronominis μου, qua pendeat a voce χάριτος, loquendi vetat usus, quoniam huic voci, si bene memini, nusquam Genitivus *subiecti* adiungitur: quare et fides neganda est librariis, qui Pronomen Nomini postposuerunt. Hactenus igitur verba interpretor cum THEOPHYLACTO: συγκοινωνοί μοι ἐστε τῆς χάριτος. Sed quae his addidit ille, ταύτης, τουτέστι, τῶν θλίψεων καὶ τῶν δεσμῶν, haud magis probanda puto, quam sententiam CHRYSOSTOMI, THEODORETI, OECUMENII et Veterum fere communem, cui BEZA, GROTIUS, NOESSELTUS (4), RHEINWALDUS, aliique recentiores suffragati sunt, PAULUM hîc tantum laudasse *Philippenses*, quod se-

(1) *Bibl. crit.* ad h. l.

(2) *Not. et Anim. in N. T.* ad h. l.

(3) MATTHIAE. p. 537. Cf. BERNHARDY. p. 171.

(4) *Opusc. ad Interpret. Sacr. Script.* Fasc. I. p. 340.

cum dura quaevis pro CHRISTO pati nulli gravarentur. Quamquam enim non dubito, quin Apostolus praeter plura alia hoc quoque in mente habuerit, voce tamen *χάρις* illud non expressum esse, mihi persuadet comparatio versus 29, ubi *Philippenses* demum docentur, favorem Dei in eo cerni, quod ad mala subeunda vocati essent. Immo sicuti vox *χάρις*, ubi de Deo usurpatur, nihil aliud significat, quam *favorem*, qui benignitati eius debetur; ita hîc etiam a significatione illa non discedendum est, ut bene monuit SCHOLTENIUS (1). Quapropter audiendi quoque non sunt, qui PAULUM, aut *munus* suum *Apostolicum*, aut animi sui *gaudium* in mente habuisse contendunt. Utique depravati vel alienum in sensum contorti sunt loci, ubi secundum Lexicographos et Interpretes *χάρις* de *gaudio* dicitur; *munus* vero *Apostolicum* ab auctore nunquam ἡ χάρις vel ἡ χάρις μου vocatur, sed semper ἡ χάρις ἡ δοθεῖσά μοι vel similiter, uti *Rom.* XII: 3, 6. XV: 15. 1 *Cor.* III: 10 etc. quamquam ne sic quidem vox ipsa aliud quam *favorem* significat. Iam *favorem* apud *Philippenses* praedicans, per Metonymiam, ut sexcenties, *Euangelium* indicat modo laudatum, vel *rem Christianam, cuius participes facti sunt favore divino.* Eos autem huius rei, favore acceptae, secum *συγκοινωνοὺς* esse monens, communem non solum *possessionem* dicit, sed etiam *usum*: ut Adiectivum *συγκοινωνός*, aeque ac supra Substantivum *κοινωνία*, *communem* spectet *operam rei Christianae datam* (2). Communi vero hac opera PAULUS comprehendere videtur illud omne, quod de se testatur: *Phi-*

(1) *De divers. signific. voc. Χάρις in N. T.* p. 132, 133.

(2) *Activam* notionem Nomen simplex *κοινωνός* etiam habet, *Matth.* XXIII: 30. 1 *Cor.* X: 18, 20. Item *Mal.* II: 14. 2 *Cor.* VIII: 23, quos locos excitavit STORR. Huc vero non pertinet 1 *Cor.* IX: 23, ubi verba *συγκοινωνὸς αὐτοῦ* cum CHRYSOSTOMO sumenda sunt de *communi bonorum Euangelii adeptione.* Sed compositum *συγκοινωνός* *Apoc.* I: 9 communionem *Actionum* significat.

lippenses, nempe, rei Christianae, cum eius defensione et confirmatione, tum malis pro ea tolerandis, adiutores esse. Quod, repetito denuo Adiectivo *πάντας*, *omnibus* tribuens, hic quoque non solum illos significasse videtur, qui se, dono mittendo, oneris partem sustinere ostenderant, sed etiam qui liberalitatis suae copiam non fecerant. Nec tamen hac voce singulos laudavit, sed, uti ceteris in locis, universos, id est, *multitudinem* sectatorum CHRISTI, *nulla* eorum *excepta parte*. Hanc igitur in mente habens scripsit: *quoniam carissimos vos habeo*, *quippe qui omnes*, *et in captivitate mea*, *et si quando rem Christianam defendo et corroboro*, *communem mecum huic rei*, *cuius favore divino participes facti sumus*, *operam praestatis*. Iam quare supra sui esse scripserit, ut huiusmodi hominibus perfectionem appeteret, nunc, uti spero, intelligent omnes.

VERS. 8.

Cumulo auget PAULUS quod dixit de propensione sua in *Philippenses*, orationem graviter persequens: *Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεός*. Nonnullis in libris verbum *ἐστὶν* omissum esse videtur scribendi festinatione. Eodem autem redit sensus, sive Genitivus *μου* retinetur, seu mutatur in Dativum *μοι*: quod tamen cur hic fiat, causa non est satis probabilis, multo minus vero *Rom.* I: 9. Nec dubitari potest, quin, vocibus omnibus notione sua relicta, interpretandum sit: *Testis enim meus est Deus*. Nam, ut frustra quaererentur loci ad probandum, quod HEINRICHSIUS monet et FLATTUS non omnino negat, vocem *γάρ* Particulam esse transeundi, vel, quod vult ENDIUS, eam reddendam esse *autem*; ita consulto auctor ea utitur caritatis illius *confirmandae* causa, quam versu 7 testatus est.

Adiicit igitur *ὡς ἐπιποθῶ πάντας ὑμᾶς*, quod plerique interpretantur: *quam opere vos omnes amem*. Recte quod attinet Particulam *ὡς*, a cuius vera notione ROSENMÜLLERUS

aliique, praeeunte LUTHERO, discesserunt, ea reddenda *quod:* minus recte, ratione habita verbi *ἐπιποθῶ*. Quidquid enim contendunt Lexicographi, nusquam hoc verbum *amorem intensum*, sed ubique *desiderium*, et quidem, propter vim Praepositionis *magnum desiderium* significat *ex amore profectum*. Sic illud Interpres *Alexandrinus* in locis usurpavit a KEUCHENIO (1) excitatis, aliisque, uti *Psalm.* CXIX: 131, ubi frustra GROTIUS (2) nihil aliud quam *amorem* laudari ait. Et in N. T. PAULIque Epistolis constans eadem est notio. Ergo Apostoli dictum reddendum est: *quam vehementer desiderem vos omnes*, vel *quanto vestrum omnium desiderio tenear*, ut fere scripsit CAMERARIUS (3). Quali autem desiderio teneatur, loci ostendunt, in quibus verbo *ἐπιποθῶ* adscripsit Infinitivum *ἰδεῖν*, ut *Rom.* I: 9. 1 *Thess.* III: 6. 2 *Tim.* I: 4. Atque ita tanquam manu ducimur ad notionem ubique sequendam *desiderii cum aliquo conveniendi*, vel *aliquo*, *seu re aliqua utendi*. Sic non solum apud DIODORUM *Sic.* (4) legimus *παρόντι μὲν οὐ χρησάμενος, ἀπόντα δὲ ἐπιποθήσας;* sed *Psalm.* LXXXIV: 2 *ἐπιποθεῖ ἡ ψυχή μου* de Poëtae dicitur desiderio *aedes sacras intrandi*. Similiter ipse PAULUS 2 *Cor.* IX: 14 verbis *ἐπιποθούντων ὑμᾶς*, quemadmodum cap. VII: 7, 11 voce *ἐπιπόθησις*, desiderium *mutuae consuetudinis* enunciat. Et quod *Philippensibus* cap. II: 26 de EPAPHRODITO narrat, *ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς*, propter praecedentia aliter explicari nequit, quam *magno vobiscum omnibus conveniendi tenebatur desiderio*. Quae cum ita sint, huius etiam loci sensum, ducibus WOLFIO aliisque, esse putamus: *quanto vestrae consuetudinis desiderio tenear*.

Ne tamen desiderium consuetudinis *Philippensium* in malam partem vertatur, verbum *ἐπιποθῶ* sic definitur *ἐν σπλάγ-*

(1) *Ann. in omn. N. T. libr.* ad h. l.
(2) *Comm.* ad 2 *Cor.* IX: 14.
(3) *Not. Figur.* etc. ad h. l.
(4) Lib. XVII. cap. 101.

χνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ, vel, ut Veterum auctoritas cum GRIESBACHIO scribere iubet, Χριστοῦ Ἰησοῦ. *Ellipsin* hic esse Participii ὤν, aut vocum ὡς ὄντας, MATTHIESIUS post alios recte negat. Nec tamen verba cum eo interpretari placet *in penitissimis animi recessibus Christi plenis*: quoniam alibi σπλάγχνα τινός *viscera* sunt, *quae quis ipse habet*. Ergo PAULUS scribens ἐν σπλάγχνοις Χριστοῦ Ἰησοῦ dicere voluit *in visceribus ipsius* CHRISTI IESU. Quod si explicandum est, vix aut ne vix quidem discedi potest ab explicatione, HEINRICHSIO etiam probata: *in visceribus*, *qualia habuit his in terris ipse* CHRISTUS IESUS. Pro dictione figurata si propriam substituerimus, sensus erit: *in animo penitus affecto, ut animus fuit* CHRISTI IESU: brevius, praeeunte CAMERARIO, *affectione Christiana*. Hac autem ex interpretatione apparet, Praepositionem ἐν non redundare. Neque ipsa orationis Figura eius redundantiam patitur: siquidem auctor, ut recte monet BEZA, Hebraeos sequitur, qui *viscera sedem* habent affectionum humanarum.

Iam quemadmodum PAULUS postrema adscripsit, ut scirent lectores, se eorum desiderio non propter humanum quid, aut quod necessaria ad victum sibi misissent, sed Dei causa teneri (1); ita haud leviter sane Deum testatur. Hac nempe asseveratione opus fuisse videtur, ne quem moveret suspicio, homines tantum, qui liberalitatem suam monstrassent, tam caros illi esse, ut eos coram intueri cuperet, ceteros non item. Qua suspicione ut se liberaret, denuo etiam repetiit πάντας ὑμᾶς, id est *universam vestram multitudinem*, *ut excipiam neminem*.

VERS. 9, 10, 11.

Precationem suam PAULUS supra verbo tantum attigerat; nunc exponere volebat, qualis ea esset. Scripsit igitur καὶ

---

(1) Sunt fere verba THEOPHYL. ad h. l.

τοῦτο προσεύχομαι, scilicet τῷ Θεῷ, *et hoc precor Deum*, id est, *precationem meam quod attinet, hoc precor*, ἵνα, ait, ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον περισσεύῃ. Formulam ἔτι μᾶλλον bene Graecam et reddendam esse *etiam magis magisque*, ex locis apparet laudatis a RAPHELIO et KYPKIO (1). Gravior quaestio est de vocibus ἡ ἀγάπη, quas nonnulli explicuerunt *omnis pietas*, alii *caritas erga Deum et homines*, alii *caritas erga omnes*, vel *erga alios* (2). Ita OECUMENIUS, praemissis tamen verbis οὕτως ἀγαπώμενος παρ' αὐτῶν, εὔχεται ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον φιλεῖσθαι: ut anceps haereat, utrum caritas *Philippensium* erga alios memoretur, an erga PAULUM. Sed hoc postremum a CHRYSOSTOMO et THEOPHYLACTO, tum a GROTIO aliisque probatum, recentiori vero memoria ab omnibus, quorum commentarios inspicere mihi licuit, neglectum vel vituperatum, ceteris omnino praeferri meretur. Nam ut facile depelluntur, quae V. V. D. D. interpretationi illi obiecerunt, sic nulla alia praecedenti orationi tam apta et accomodata est. Itaque auctori hanc tribuimus mentem: *ut caritas, quam mihi vestra communi mecum opera praestatis, magis etiam magisque abundet.*

Fortasse quis nunc putet, *Philippensibus* ab auctore *caritatis incrementum* exoptari: sed meliora docent adiecta ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει. Quae, si coniunguntur cum verbo περισσεύῃ, sine dubio interpretandum est: (*ut*) *cognitione et omni sensu caritas vestra abundet*, id est, *ut ad caritatem vestram accedat incrementum cognitionis omnisque sensus* (3); nisi hunc locum aliter explicare velimus, quam

---

(1) *Observ. Sacr.* ad h. l.

(2) Silentio praeterii opinionem nonnullorum, iam a CALVINO explosam, PAULUM, more Ecclesiastico, scripsisse ἡ ἀγάπη ὑμῶν, cum sibi vellet *vos dilectissimi*. Sed exploratione dignum est, an mos ille dicendi, ut WOLFIUS et BENGELIUS putant, hoc ex loco in Ecclesiam importatus sit.

(3) Similiter etiam mentem PAULI explicavit HAMELSVELDIUS, *Korte aanm. over het N. T.* ad h. l.

ceteros omnes, ubi *περισσεύειν ἐν τινί* legimus, scilicet *Rom.* XV: 13. 1 *Cor.* XV: 58. 2 *Cor.* III: 9. VIII: 7. *Phil.* I: 26. *Col.* II: 7. Hinc intelligitur, audiendos non esse, qui notionem vulgarem Praepositionis *ἐν* deserant, ut post alios ROSENMULLERUS, HEINRICHSIUS, SCHINZIUS. Nec valde impedita est notio vocum *ἐπίγνωσις* et *αἴσθησις*. Etiamsi enim verum sit, quod nuperrime quoque voluit FIXIUS (1), hanc plus semel idem fere denotare, atque illam; quaestio tamen est, an distinctio facienda non sit in locis, ubi utraque concurrit. Neque haec quaestio dirimitur locis Interpretationis V. T. *Alex.* passim excitatis, cum ibi quoque *αἴσθησις* vel sola legatur, vel alii voci adiuncta. PAULUM vero *ἐπίγνωσιν* et *αἴσθησιν* non fere vel omnino *Synonymas* habuisse, quod nuper quoque RHEINWALDUS et SCHINZIUS contenderunt, iam satis mihi indicare videtur Adiectivum *πάσῃ*, alteri praepositum. Ad quod qui bene attenderit animum (2), haud facile negabit, illa *rerum divinarum* significari *cognitionem;* hac vero *qualemcunque sensum*, qui cognitionis tanquam mater nutrixque est. Atque ita visum est BEZAE aliisque, quibuscum consentiunt PALMIUS et MATTHIESIUS.

Sed PAULI non percepta mens est, nisi adiiciamus, quae sequuntur, *εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα.* Et haec quidem cum praecedentibus, quae iis definiuntur, arctius, quam vulgo fit, connectenda sunt, ut *colon* interpositum in *comma* mutetur, at rursus substituatur pro *commate* postposito. Alterum factum est a VATERO et LACHMANNO, alterum non item; neutrum a GOESCHENIO et SCHOLZIO. Simile dictum est EPIPHANII, quod nobis descripsit STRIGELIUS (3): *Τὰ ῥή-*

(1) *Thes. Ling. Graec.* h. v.

(2) Similiter *πᾶς* inservit ad voces distinguendas 2 *Chron.* XXXI: 5. 2 *Cor.* VIII. 7. X: 5. *Eph.* V: 3. PLATO *Lach.* p. 188. *Αὐτὸν εὗρον ἄξιον ὄντα λόγων καλῶν καὶ πάσης παῤῥησίας.* M. ANTON. p. 24. GATAK. *τὰς ἐπιβοήσεις καὶ πᾶσαν κολακείαν ἐπ' αὐτοῦ σταλῆναι.*

(3) *ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ in omn. libr.* N. T. h. l.

ματα Θεοῦ θεωρίας δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν. Ibi autem de *sensu veri* legimus, *cujusque propositionis vim eo cognosci:* PAULUS vero *sensum* monet *recti et honesti talem esse*, ut eo *discernantur, quae*, morum ratione, *inter se differunt*, id est, *probanda et improbanda.* Sic nempe formulam *δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα* explicandam puto. Primum enim hoc suadet locus similis *Rom.* II: 18, ubi verbis *δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα* auctorem sibi voluisse *discernis inter probanda et improbanda*, sequi videtur ex praecedentibus *cognitam habes voluntatem*, nempe *Dei* (1). Deinde ex voce *αἴσθησις*, nisi fallor, intelligitur, orationem agere de oppositis subtiliter diiudicandis. Loquendi usum quod attinet, Lexica satis superque docent, *quae inter se differant* frequenter dici *τὰ διαφέροντα* (2). Atque hanc interpretationem, vereor cum ELSNERO, ut deserere sinat structura vocum cum verbo *δοκιμάζειν*, quod Veterum in scriptis saepissime notionem *explorandi* vel affinem *discernendi* habet (3), et plerisque in locis, ubi PAULUS eo utitur, ut *Rom.* XII: 2. 2 *Cor.* XIII: 5. *Eph.* V: 10. 1 *Thess.* V: 21. Rationes vero et argumenta, quibus altera se tueri conatur interpretatio, *quo probetis praestantiora* vel *utilia*, minus gravia sunt, quamvis CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS, aliique viri magnae famae eam commendant. Sed utriusque discrimen, si paulo accuratius inter se comparantur, magis in verbis, quam ipsa in re cernitur: quia sensus fere eodem redit, sive dixeris *discernere quae probanda et improbanda sunt*, seu *praestantiora* vel *utilia*, id est, *quae probanda sunt*, *probare.* Quapropter

---

(1) THEOPHYL. iam interpretatur *κρίνεις, τί δεῖ πρᾶξαι, καὶ τί μὴ δεῖ πρᾶξαι*, nec sibi tamen constat.

(2) Cf. et L. BOS, *Exerc. Phil.* p. 99, 100. Adde POLYB. *Hist.* lib. XXII. cap. 1.

(3) Ab ISOCRATE ideo *δοκιμάζω* et *διαγιγνώσκω* inter se permutantur, *Orat. ad Dem.* cap. 4.

eum legitur etiam cap. I: 22 et IV: 17, ubi Graecum, quo utebatur, exemplum sine dubio habuit singulare *καρπόν*. Quod cum haud fugeret RETTIGIUM (1), non intelligo, cur ad fidem huius Interpretis provocaverit. Sed omnis Viri Docti hoc de loco disputatio minus probabilis est. Perversam literarum pronunciationem saepe fecisse, ut *ο* pro *ω* poneretur, lubenter concedo: sed quidni suggeram, saepe itidem eadem de causa hanc positam esse pro illa? Deinde duplicis confusionis, qua *καρπὸν, τὸν* ex *καρπῶν, τῶν* fieret, propagationem latissimam huic vitio tribuendam esse, aegre mihi persuadebitur. Multo minus a me impetrare possum, ut librarios credam pro faciliori *καρπῶν, τῶν* difficilius *καρπὸν, τὸν* substituisse. Quod MATTHAEO visum est, Singulare deberi imitationi *Vulgatae Latinae*, nae, opinione nititur hodie satis explosa. Ipsa vero *Vulgata* unde, quaeso, hoc Singulare petiit, quod *Jac.* III: 17, 18 et alibi bene distinguit a Plurali? Immo si PAULUM scripsisse sumimus *καρπὸν, τὸν*, in oculos incurrunt causae, cur alterum varios in libros irrepserit. Interpretes enim Plurali non usi sunt, quoniam hunc numerum in exemplis Graecis repererant, sed ut Singulare collectivum explicarent. Librarii vero cum exempla sua describebant, post Participium *πεπληρωμένοι* Genitivum et ante vocem *δικαιοσύνης* Plurale requiri putantes, hanc sibi fraudem fieri passi sunt, ut ederent *καρπῶν, τῶν* (2). Atqui scriptoribus Novi Testamenti ipsique PAULO receptum quoque fuisse, ut ante vocem *δικαιοσύνης* vel in simili certe oratione ponerent Singulare *καρπόν*, intelligimus ex *Rom.* VI: 21, 22. *Hebr.* XII, 11. *Jac.* III: 18, quos locos excitavit BENGELIUS. Accusativum autem sequi posse Participium *πεπληρωμένοι*, luculenter apparet ex verbis 2 *Thess.* I: 11:

---

(1) *Quaest.* II. p. 17 sqq.

(2) Iisdem plane de causis *Matth.* III: 8 satis multi pro Singulari *καρπὸν ἄξιον* substituerunt Plurale *καρποὺς ἀξίους*.

ἵνα ὑμᾶς — — ὁ Θεὸς — πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει, de quibus RETTIGIUS minus bene disputat. Nimirum ut Genitivorum alter (πίστεως) cum Accusativo praecedente ἔργον connecti debet, sic alter (ἀγαθωσύνης) referendus est ad voces πᾶσαν εὐδοκίαν, quibus voluntas non Divina significatur, sed humana, ut *Phil.* I: 15 et alibi. Mens PAULI haec est: *Deus vobis ita adsit, ut pleni fiatis omnis studii benefaciendi et operum, quibus fidem vestram efficaciter probetis.* Ita et *Col.* I: 9 verba: ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, quae hac in oratione primaria sunt (cf. *Eph.* I: 8, 9), secum mutuo iungenda videntur, sequentia vero ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ iis ad definitionem *cognitionis optatae* subiicienda. Brevitatis causa nunc locos mitto *Interpretationis Alex.* quibus occupandis RETTIGIUS cavere conatus est, ne sibi opponerentur. Nihil obstat igitur scriptioni hodie ab omnibus fere probatae πεπληρωμένοι καρπὸν δικαιοσύνης τόν. Ceterum causa, cur Accusativus Participium sequatur, in eodem loquendi usu quaerenda est, qui in aliis verbis Passivis cernitur (1).

Iam hac in oratione, dubio vacat, quin PAULUS dicere voluerit: *illustrati copia factorum bonorum, quae probitatis tanquam fructus sint.* Nam quamvis non habet lingua Latina, quod ab omni parte voci δικαιοσύνη respondeat, infra tamen (2) demonstrare conabimur, eam non melius reddi posse quam *probitate.* Absque controversia etiam est, verba τὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, scil. ὄντα, quibus hi fructus ab aliis distinguuntur, explicanda esse: *quos afferunt homines per* IESUM CHRISTUM; minime vero, ut bene monet MATTHIESIUS, *quos affert doctrina Christiana.* Denique postrema εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Θεοῦ, *ad gloriam et laudem*

---

(1) WINER. p. 205, 206.

(2) Ad cap. III: 6.

Dei, ne supervacanea sint, connecti debent cum proxime praecedentibus, ut in luce collocent praestantiam fructuum, quorum copiam sperat Apostolus fore, ut per CHRISTUM *Philippenses* afferant. Similiter IESUS dixit *Ioann.* XV: 8: Ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη ὁ Πατήρ μου, ἵνα καρπὸν πολὺν φέρητε. Sic autem effectus probitatis Christianae, ad eos ab effectibus *Pharisaeismi* distinguendos, proponuntur, quod iam viderunt CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS aliique Veteres, verba tamen interpretantes, ac si scripsisset auctor τῆς διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Unum quaeri possit cum SCHINZIO, utrum hac in oratione PAULUS vitia tetigerit, quae iam in *Philippensibus* reprehendenda essent, an cavere tantum voluerit, ne in posterum peccarent: sed vix aut ne vix quidem crediderim, illum incrementa cognitionis et sensus, quibus probanda ab improbandis discernerent, studiaque integritatis servandae et neminis ad peccandum alliciendi, lectoribus suis exoptaturum fuisse, nisi eorum certe nonnulli iam tales essent, ut leni admonitione indigerent.

VERS. 12.

Post hunc Epistolae introitum PAULUS progreditur ad *Philippenses* sollicitudine et metu liberandos, quibus animos eorum affecerat cogitatio, ipsum *Romae* in vinculis esse. Et primum quidem lectoribus salutarem narrat captivitatis suae effectum. Γινώσκειν δὲ, inquit, ὑμᾶς βούλομαι, Ἀδελφοὶ, ὅτι τὰ κατ' ἐμὲ μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου ἐλήλυθεν. Verba τὰ κατ' ἐμέ significare *quae mihi acciderunt* vel *res meas*, luculenter apparet ex *Eph.* VI: 21. *Col.* IV: 7, ut contra ENDIUM post alios bene monuit HEINRICHSIUS (1). Adverbium μᾶλλον sive exponitur *magis quam quis putaverit*, seu *magis, quam si non accidissent mihi*, seu *magis* vel

(1) Similia ex Graecorum libris congesserunt MUNTHE, *Observ. Philol.* ad h. l. RAPHEL. KYPK. WETSTEN. ad *Eph.* VI: 21. VIGERUS p. 6.

potius, ut plerique habent Interpretum recentiorum commentarii, *quam ad detrimentum;* sensus orationis eodem redit. PAULUS breviloquentia usus est hominibus communi, si comparationis, quae Adverbio *magis* indicatur, alteram partem reticent (1). Vox *προκοπή*, quamvis antiquissimis scriptoribus Graecis incognita fuit, a recentioribus tamen saepe ad *progressus* denotandos usurpatur (2). Neque omnino a more Veterum deflexit auctor, cum illud, quod a Latinis *cedere* dicitur, enunciaret verbo *ἐλήλυθεν*. Similia quoque leguntur *Marc.* V: 26. *Act.* XIX: 27. Sed hinc alieni esse videntur loci a RAPHELIO et KYPKIO allati. Ceterum facile intelligi puto, sensum huius orationis sic constituendum esse: *scire autem vos volo, Fratres! ea, quae mihi acciderunt, magis in profectum rei Christianae cessisse.*

VERS. 13, 14.

Duos nunc sigillatim Apostolus fortunae suae adversae memorat effectus, rei Christianae salutares. Alterum sic describit: *ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι.* Sed interpositum illud *ἐν Χριστῷ* facit, ut mens eius minus perspicua sit. Nec multum iuvabit Traiectio verbi *γενέσθαι*, qua Veteres nonnulli librarii et Interpretes huic orationi opitulari voluerunt. Plus lucis afferret CHRYSOSTOMUS scriptione *τοὺς ἐν Χριστῷ*, nisi haec omni fide et auctoritate careret. Necesse omnino est periclitari, an interpretationem probabilem capiat quod vulgo editum est. Incipiamus igitur a formula *φανεροὺς γενέσθαι*, qua nihil aliud significari quam *innotuisse* docent, nisi fallor, loci Novi Testamenti *Marc.* VI: 14. *Act.* VII: 13. 1 *Cor.* III: 13. XI: 19 et ceteri omnes, ubi ea reperitur. Hinc sequitur, CALVINUM, BEZAM aliosque, qui, vocabulis *ἐν Χριστῷ* ad nomen *δεσμούς* relatis,

---

(1) WINER. p. 220.

(2) Cff. LOBECK, l. c. p. 85. WETSTEN. et KYPK. ad h. l.

Adiectivum *φανερός* explicant *illustris*, *celeber* vel *conspicuus*, loquendi usum minus curare. Ipsa autem coniunctio vocum *ἐν Χριστῷ* cum nomine *δεσμούς*, quamvis multis placet Interpretibus, etiam WINERO (1), Apostolo tamen, si vulgarem Adiectivi notionem retinemus, mentem tribuere cogit ab hac eius oratione alienam. Nam eo sane, quod vincula, quae CHRISTI causa ferebat, hominibus innotuerant, res Christiana haud magnos progressus fecisse censenda est. Sed de progressibus veri nominis gloriari poterat, *si longe lateque in notitiam hominum venisset*, *se vincula*, quae ferebat, CHRISTI *causa ferre*, id est, omnis sceleris purum et integrum, CHRISTOque adeo devotum, ut captivus esse mallet, quam pietatem illi debitam deserere. Quare hanc interpretationem, GROTIO maxime duce, alteri praefero, PAULUM breviloquentia usum esse putans, qua scriberet *ἐν Χριστῷ* pro *ὡς ἐν Χριστῷ ὄντας*; vel, ut placet fere MATTHIESIO, *τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι* pro *φανερὸν γενέσθαι, ὅτι οἱ δεσμοί μου εἰσὶν ἐν Χριστῷ*. Quorum utrum eligendum sit, iudicent lectores: quamvis mihi quidem hoc illi praeferendum videtur, quippe non dissimile nonnullis exemplorum breviloquentiae, quae WINERUS (2) attulit. Unum ut moneamus restat, Praepositionem *ἐν* per se parem non esse Latinae *propter*, sed, uti supra, *arctissimam* inter PAULUM et CHRISTUM significare *necessitudinem*, eodem modo ac 1 *Cor*. XV: 18. *Phil*. IV: 2 (3).

Quibusnam in notitiam venerit, PAULUM CHRISTI causa vincula ferre, dicit verbis *ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι*. Priora Veteres multique recentiores sumserunt *de tota, regia* vel *palatio* NERONIS. Sed testimonii auctoritatem, qua hanc interpretationem tueantur, Viris Doctis omnino deesse, THEODORETUS iam prodidit scribendo: *Εἰκὸς δὲ, ὅτι καὶ*

(1) l. c. p. 129. (2) l. c. p. 538 sqq.
(3) Cf. WINER. l. c. p. 370.

οὕτως κατ' ἐκεῖνον ὠνομάζετο τὸν καιρόν. Ἀρχὴν γὰρ εἶχεν ἡ Ῥωμαϊκὴ δυναστεία. Nec verisimile est, Apostolum, cum *Philippenses* cap. IV: 22 nomine *τῶν ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας* salutaverit, hoc loco *palatium Caesaris* appellavisse *πραιτώριον.* Recte igitur alii, quorum inter principes CAMERARIUS est, Veteribus missis, *castra militum Praetorianorum* hac voce denotari censuerunt. Quod cum diligenter acriterque defendisset PERIZONIUS (1), magis magisque illud Viris Doctis placere incepit, donec recentiori tandem memoria paucissimi tantum essent, qui dissentirent. Utique haec interpretatio, et sola loquendi nititur usu, et orationis argumento egregie convenit: quoniam nihil magis credibile est, quam per tota castra militum, quibus negotium PAULI custodiendi mandatum erat (*Act.* XXVIII: 16), famam causae, quam ille sustineret, permanasse. Fateor quidem ea, quae WITSIUS (2) aliique pro notione *regiae* disputarunt, talia quoque esse, ut cum rebus Apostoli congruant; sed nihil eo lucri faciunt, priusquam probatum sit, vocem *πραιτώριον* hanc notionem in libris Veterum habere (3). Quod valet etiam contra eos, qui aliter a PERIZONII sententia discedunt. Frustra autem difficultas quaeritur in sequentibus *καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι,* quae si explicamus *et reliquis omnibus, Romae versantibus,* CHRYSOSTOMO quidem multisque Interpretibus magni nominis obtemperamus; nec tamen loci inveniri poterunt, quorum comparatione hanc interpretationem tuea-

---

(1) In dissert. *de orig. signif. et usu voc. Praetoris et Praetorii* etc. aliisque scriptis, quibus sententiam suam contra HUBERUM defendit.

(2) *De Vita* PAULI *Apost.* in *Meletem. Leidens.* p. 211, 212.

(3) RHEINWALDUS l. c. p. 29 ex *Act.* THOMAE *a* THILONE *edd. Lips.* 1823 locos nonnullos excitat ad probandum, vocem *πραιτώριον* de *palatio regio* dictam esse. Eosdem locos video laudari a BRETSCHNEIDERO h. v. Sed ibi p. 30, 33 *πραιτώριον* significat *palatium regium*, quoniam THOMAS p. 8, 30 incepit a iactando, se facere *πραιτώρια βασιλικά*, Adiectivi usu *Praetoria regia* a *vulgaribus* distinguens.

mur. Levis quoque est coniectura, Dativum *τοῖς λοιποῖς πᾶσι* ad Praepositionem *ἐν* referendum et reddendum esse *in reliquis omnibus locis*, ut omissa censeatur vox *τόποις*. Vero propius adiacet quod placuit HEINRICHSIO, RHEINWALDO, MATTHIESIO, orationem supplendam esse nomine *ἀνθρώποις*, ut exponatur *reliquis omnibus hominibus*. Sed ne hoc quidem menti auctoris ab omni parte respondet. Scribendum est, ut puto, *et hominibus exteris quibuscunque:* si quidem in PAULI epistolis, ubi *οἱ λοιποί* nobis occurrunt, *homines exteri* (*gentiles*) denotantur, nempe *Eph.* II: 3. coll. IV: 17. 1 *Thess.* IV: 13, quem locum etiam attulit BENGELIUS. Iam nemo dubitabit, quin recte se habeat oratio: *me* CHRISTI *tantum causa vincula ferre innotuit per tota castra Praetoriana et hominibus exteris quibuscunque.*

Ad alterum, unde captivitatis suae apparuerit effectus, progreditur auctor verbis *καὶ τοὺς πλείονας τῶν ἀδελφῶν ἐν Κυρίῳ*, ab hominibus exteris CHRISTI distinguens *sectatores*. Hi enim nuncupantur formula *τῶν ἀδελφῶν ἐν Κυρίῳ*, id est, *fratrum nostrorum*, *quatenus communiter cum Domino coniuncti sumus.* Similiter TYCHICUS *Eph.* VI: 21, si bene iudicamus, verba *ἐν Κυρίῳ* aeque ad remotiora *ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφός* atque ad proxime praecedentia *πιστὸς διάκονος* referenda esse, *dilectus frater in Domino* dicitur. Eodem redit interpretatio OECUMENII *τῶν ἀδελφῶν διὰ τὸν Κύριον.* Multi quidem voces *ἐν Κυρίῳ* cum sequenti Participio *πεποιθότας* connectunt: sed haec structura, ut minus commendatur verborum ordine, sic omnino improbanda est propter adiecta in Dativo *τοῖς δεσμοῖς μου*, quae temere sumunt STORRIUS et FLATTUS pro *ἐν τοῖς δεσμοῖς μου* scripta esse. Praecedentia autem *τοὺς πλείονας*, ut non explicemus *plures quam antea*, aut *plurimos*, sed *plerosque*, suadere videtur usus Adiectivi Articulo definiti, quippe quod *Act.* XIX: 32. 1 *Cor.* X: 5. XV: 6 et vulgo sane *plerosque* significat.

Quid plerosque Christi sectatores, qui *Romae* erant, moverit, indicat PAULUS scribendo *πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μου*, id est, *fiducia collocata in vinculis meis:* quemadmodum *Phil.* 21 *πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου* est *fiducia collocata in obedientia tua;* et 2 *Cor.* X: 7 *εἴ τις πέποιθεν ἑαυτῷ Χριστοῦ εἶναι, si quis fiduciam in se collocavit, se* CHRISTI *esse.* Voluisse autem videtur auctor, plerosque horum hominum, cum Apostolum sine metu vincula ferre viderent, ipsos omnem quoque sibi evellisse scrupulum. Ergo mirandum non erat, eos *περισσοτέρως τολμᾷν ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν.* Adverbium *ἀφόβως*, si orationi deesset, nemo desideraret; quoniam ad laudandam animi fortitudinem iam sufficiat verbum *τολμᾷν*: cum vero adscriptum sit, cave putes, duo illa *περισσοτέρως ἀφόβως* connexa et posita esse pro uno *ἀφοβωτέρως.* Quod qui cum GROTIO censent, minus animadvertunt, Adverbia illa Verbo interiecto ita separari, ut structura coniungi nequeant. Et profecto nulla causa est, cur ab eo, quod usu tritum est, discedatur. *Περισσοτέρως τολμᾷν* significat *abundantius*, i. e. *magis, quam antea audere.* Iam in subiectis *ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν* imitatio cernitur sermonis familiaris, quo saepe plura, quam opus est, verba ad augendam rei gravitatem adhibentur. Nec redundat tamen Adverbium *ἀφόβως*, nisi *absque metu* loqui asseveraveris, quicunque loqui *audeat.* Haud plane dissimile est dictum EUSEBII de MAXIMINO *τολμᾷν ὥρμητο θρασύνεσθαι, audaciam sibi sumsit se insolenter efferendi* (1). Formulae vero *ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν* omnino convenit quod scripsit LUCAS *Act.* IV: 31 *ἐλάλουν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ μετὰ παῤῥησίας.* Sed utrum verba *τοῦ Θεοῦ*, quae hîc multis in libris antiquis leguntur, a PAULO profecta sint, an aliunde hunc in locum importata, adeo nondum exploratum esse videtur, ut omnis disputandi causa sublata sit. Multo minus tamen verisimile

---

(1) *Hist. Eccles.* Lib. IX. cap. 10. Cf. HEINICH. Tom. III. p. 62.

est, haec verba, si in exemplis vetustissimis exstarent, a librariis omissa, quam ea praecedentibus addita esse, ut ita oratio suppleretur. Cui communi fere Interpretum iudicio opponi quidem possunt loci similes *Marc.* II: 2. IV: 33. *Luc.* I: 2. *Act.* IV: 4. XI: 19. *Gal.* VI: 6. 1 *Pet.* II: 8 (1), quos non adulteravit prava hominum sedulitas; sed iudicio tamen illi pondus et momentum adiicitur comparatione aliorum, ubi vocibus ὁ λόγος, ἡ ὁδός, ἡ ἐκκλησία itidem pauciores vel plures addiderunt τοῦ θεοῦ, vel τοῦ Κυρίου, uti *Act.* XIV: 25. XIX: 9. XX: 28. 2 *Tim.* IV: 2 (2). Quidquid vero huius rei est, dubitari nequit, quin auctor in mente habuerit *doctrinam Christianam, quippe Divinitus profectam.* Verbum autem λαλεῖν, quod Graeci de *collocutione familiari* usurparunt, PAULUS aliique scriptores Novi Testamenti, *Hellenistarum* more, cum graviori λέγειν permutasse videntur, quoniam sermonem vitae communis ab oratione minus distinguebant. Rationem si concludimus, sententia auctoris haec est: *Plerique sectatorum* CHRISTI, *fiducia in eo collocata, quod ego propter illum vincula ferre non vereor, magis quam antea, Divinam eius doctrinam sine metu aliis tradere audent.* Quod dictum non valde mirabimur, si nobiscum reputaverimus duo: hanc diligentiam Romanorum de industria a PAULO laudatam videri, quod extraordinaria esset; tum vetustissimos CHRISTI sectatores eo in loco positos fuisse, ut multi illud, quod nunc sacrorum antistitibus mandatum est, ipsi facere et possent, et vero non recusarent.

(1) Plerosque recte attulit STORRIUS sed huc minus pertinent *Eph.* VI: 19. 1 *Tim.* V: 17, quos post WOLFIUM aliosque excitavit MATTHIESIUS.

(2) Cff. quae dixi in *Annot. in loca nonn. N. T.* p. 108, 109.

VERS. 15.

Apostolus quae de bonis dixit, ex captivitate sua in rem Christianam redundantibus, sic persequitur: *Τινὲς μὲν καὶ διὰ φθόνον καὶ ἔριν, τινὲς δὲ καὶ δι' εὐδοκίαν τὸν Χριστὸν κηρύσσουσιν.* Sed magna quaestio est, utrum alterum emolumentum, quod vs. 14 attigit, hîc uberius exponat, an tertium proponat ab eo diversum. Hoc quidem plerisque visum est Interpretibus, ita tamen, ut alii, praeeunte CHRYSOSTOMO, voces *τινὲς μέν* explicarent *πολλοὺς τῶν ἀπίστων*, alii, uti GROTIUS, *Iudaeos*, plurimi *homines doctrinam Christianam cum Iudaea confundentes*, quod recentiori memoria nemo probabilius fecit, quam STORRIUS; illud vero paucioribus placuit, imprimis PRZIPCOVIO (1), duce, nisi fallor, THEODORETO, qui hunc versum sic explanare incipit: *Ἀλλ' οὐ πάντων εἷς ὑπάρχει σκοπός.* Et sane PAULUS ita a versu 14 ad 15 procedere videtur, ut, continuata orationis serie, a laudatione fratrum, qui doctrinam Christianam tradere ausi sunt, ad eos distinguendos transeat. Si autem tertium hominum genus memorare vellet, minus intelligo, cur non scripserit ab initio *καὶ τινὲς μέν*, vel cur saltem alteri *τινὲς μὲν καί* addiderit alterum *τινὲς δὲ καί*: quo lectores in alienam opinionem inducere poterat, quartum insuper recenseri genus; ut in mentem venit VICTORINO (2). Aut si illis, quos verbis *τινὲς μὲν καί* indicaverat, opponere volebat fratres supra laudatos; quidni pro *τινὲς δὲ καί* usus est frequentato *ἐκεῖνοι δέ* vel simili? Haec cum animo reputarem, prope abfui a Graecis explicandis *alii quidem eorum*, *alii vero*. Sed considerato rursus orationis totius argumento, multum ei inesse vidi, quod interpretationi illi obstet, alteram vero, quae Vi-

(1) *Cogit. Sacr.* ad h. l.

(2) *Comm.* in h. l. ed. a MAIO, *Scriptor. Vet. nov. collect.* Tom. III. p. 51, ubi vss. 16 et 17 etiam transpositi sunt.

ris Doctis fere communis est, sibi postulet. Versibus enim 15 sqq. varia continentur, quae non percipio, quomodo de hominibus dici potuerint fiducia, quam in PAULI vinculis collocassent, excitatis ad CHRISTUM sine metu praedicandum: omnia vero loco suo posita sunt, si tertium hic habemus hominum genus, ad quos ignominiosa quaevis referamus. Nec minoris momenti est quod usus docet loquendi. Nimirum Graecis ad distinguendos eos, qui verbis proxime praecedentibus generatim descripti sunt, nihil familiarius esse constat quam usum oppositorum *οἱ μὲν, οἱ δέ*, vel etiam *τινὲς μὲν, οἱ δέ*. An vero probari possit, eos hoc consilio unquam scripsisse *τινὲς μὲν, τινὲς δέ*, equidem, quamquam negare non ausim, re tamen diu explorata valde dubito. Sed sic scriptum esse reperi, ubi, bipartito distribuere vellent sententias hominum de eo, quod nunc demum in medium afferre constituissent. Ad evidentiam nihil desideratur in verbis APOLLODORI (1), qui pactione, quam ETEOCLES et POLYNICES de regno fecerant, narrata sic pergit: *Τινὲς μὲν οὖν λέγουσι, πρῶτον ἄρξαντος Πολυνείκους, παραδοῦναι μετ' ἐνιαυτὸν τὴν βασιλείαν Ἐτεοκλεῖ· τινὲς δὲ, πρῶτον Ἐτεοκλέους ἄρξαντος, μὴ βούλεσθαι παραδοῦναι τὴν βασιλείαν.* Quod est *alii et alii*, non *alii et alii eorum.* Similiter ARISTOTELES (2) causam *τοῦ μὴ κτείνειν τὸ ἔμψυχον* aggressus, orationem sic persequitur: *τοῦτο γὰρ, οὐ τισὶ μὲν δίκαιον, τισὶ δὲ οὐ δίκαιον*: *hoc enim tale non est, ut aliis hominum iustum sit, aliis vero iniustum.* Iam alibi *ἀντίθετα* quidem *τινὲς μὲν, τινὲς δὲ* me legere non memini, nec legi ea etiam apud Scriptores Sacros; sed haec duo exempla sufficere puto ad usum loquendi cognoscendum. In PAULI autem oratione vocabulis *τινὲς μὲν* homines induci nondum memoratos indicat etiam Particula iis adiecta *καὶ*, quae inaniter redundat, si illa par-

(1) Lib. III. cap. 6.
(2) *Rhetor.* Lib. I. cap. 13.

tem fratrum laudatorum significant. Quae cum ita sint, Protasin sine scrupulo explico: *Fateor quidem esse quoque, qui invidiae litisque movendae causa* CHRISTUM *praedicent;* Apodosin autem: *sed sunt quoque, qui hoc agant, ut placitum suum benignum (benevolentiam) ostendant.* Posterius igitur membrum aeque ac prius absolutum est, neque adstrictum versu praecedenti; sed hoc non impedit, quominus Apostolus hîc in mente habuerit nonnullos eorum, qui ibi describuntur. Si autem sumimus, eum scripsisse *τινὲς δὲ καί*, et, quia *partem tantum illorum* in mente haberet, et quo plenior esset Antithesis, difficultates, nisi fallor, amoventur huic interpretationi supra oppositae. Ceterum Praepositionem *διά* cum Accusativo in huiusmodi oratione *causam* significare, cur aliquid factum sit, loci similes docent satis multi, quos SCHLEUSNERUS, WAHLIUS et BRETSCHNEIDERUS congesserunt. Haud minus sequor frequentem loquendi usum, vocem *εὐδοκίαν* reddens Latino *placitum benignum,* quae notio etiam cap. II: 13 exstat. Quod autem haud pauci Interpretes verbis *διὰ φθόνον καὶ ἔριν* et *δι' εὐδοκίαν* ad explicandam mentem Apostoli adiecerunt, huius loci non est: quoniam Apostolus oratione hîc usus est vaga et infinita, deinceps, quid sentiret, definiturus.

VERS. 16, 17.

Definitio illa reperitur in duobus his versibus: *Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, οἰόμενοι θλίψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου· οἱ δὲ, ἐξ ἀγάπης, εἰδότες, ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι.* Sed priusquam versus illos interpretemur, de eorum et genuina scriptione, et vera distinctione iudicium ferendum est.

Ab Editione recepta hodie plerique V.V. D.D. discedunt, versibus 16, 17 transponendis, ut verbis tantum *οἱ μέν* et *οἱ δέ* locum suum relinquant. Quod et librorum veterum testimonio probare conantur, et argumentis, quae dicuntur,

internis vel ex ipsa oratione petitis. Uti vero haec argumenta exigui ponderis esse monent HEINRICHSIUS et RHEINWALDUS; ita KRAUSIUS (1) haud leviter contra traiectionem disputat. Et sane si consilio auctoris, qui in laudandis effectibus captivitatis suae versatur, verum metiri licet, retinendus est ordo vulgaris, quo indignioribus CHRISTI praeconibus digniores postponuntur. Quod adeo tamen in oculos non incurrit, ut credibile sit homines, quales aetate media librarii esse solebant, eo impulsos esse ad exempla, quae describerent, deserenda, si dignioribus ibi indigniores postpositos reperirent. Praesertim mirandum est, CHRYSOSTOMUM et Graecos fere omnes cum Editione recepta consentire. Itaque haud scio, an quis primum incuria traiecerit illud, quod nunc vulgo editum est; alii vero postea traiectionem, pars serviliter, propagaverint, pars maxime, ut verba *οἱ μὲν* ad nomen propius, *οἱ δὲ* ad remotius, quemadmodum in sermone Latino *hi* et *illi*, referrentur. Tanti certe non duco quae contra disputantur, ut ordinem mutare ausim. Alius generis est controversia, utrum genuinum sit verbum *ἐπιφέρειν*, an *ἐγείρειν*. Iam hoc quidem testimoniis Veterum non nititur gravioribus, quam illud, cui patrocinio est Graecorum et *Syri* antiquissimi auctoritas; sed eo nomine, ut bene vidit MATTHIESIUS, rursus commendatur, quod orationi nonnihil affert difficultatis, quam non habet alterum. At neutrum tamen ita praeponderat, ut manus auctoris satis certo agnoscatur. Distinctionem quod attinet, non dubito, quin obtemperandum sit GRIESBACHIO, qui verbis *οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας* comma subiicit. Sicuti enim recte monuerunt HEINRICHSIUS aliique, comparationem loci similis *Rom.* II: 8 suadere, ut illa separentur ab adiunctis; sic una eademque enunciatione, ne misere langueat oratio, comprehendi nequeunt cum se-

(1) *Opusc. Theol.* p. 30, 31. KRAUSIUM praecessit MATTHAEUS, sed, de more suo, acrius disputans. Ab eadem parte stat *Nov. Test. Valp.*

quentibus *οὐχ ἁγνῶς*. Haec vero a superioribus *τὸν χριστὸν καταγγέλλουσιν* avellere loquendi vetat usus, quippe Ellipsin hinc orituram non patiens. Si autem verbis *οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας* subiicitur comma; sequitur, comma, vocabulis *οἱ δέ* et *ἐξ ἀγάπης* interpositum, tollendum esse.

Multum negotii nobis non facesset interpretatio, dummodo exploratum sit, quid vox *ἐριθεία* significet. Plerique notionem ei tribuunt *contentionis* similemve. Quod ex Etymologia petant, an ex locis, ubi permutari videtur cum voce *ἔρις*, examinare non attinet. Nihil certius est, quam interpretationem illam non cadere in 2 *Cor.* XII: 20. *Gal.* V: 20, nisi PAULUM facere velimus idem bis dicentem. Nec vulgarem sententiam commendat oratio, in qua nunc versamur. Nam si vocem *ἐριθεία* de *contentione* sumimus, praecedentium *ἔρις* et *φθόνος*, quibus vox illa respondet, altera inaniter repetitur, altera plane negligitur. Sed perquam accommodatam et locis indicatis, et *Iac.* III: 14, 16, nec a *Rom.* II: 8 alienam notionem duco *cupiditatis sui efferendi* vel *ambitionis*, quae, ut altercationis et invidiae plena est, ita caritati e regione obstat. Accedit auctoritas IGNATII *Epist. ad Philadelph.* cap. 8, ubi verbis: *Μηδὲν κατ' ἐριθείαν πράσσετε, ἀλλὰ κατὰ χριστομάθειαν*, *ambitionem* reprehendi, ex eo intelligimus, quod paulo superius lectores monentur, ut concurrant *εἰς ἑνότητα Χριστοῦ καὶ συνεδρείαν τοῦ ἐπισκόπου*. Et infra Cap. II: 3 videbimus, orationem PAULI talem esse, ut *ἐριθεία* aliter vix explicari possit. Quae cum ita sint, hanc interpretationem, quae MATTHIESIO aliisque haud omnino displicuit, probare non dubito. Fateor quidem, originem vocis mihi nihil suppeditare, quo eam vindicem; sed eodem praesidio carent omnes ad suam quisque sententiam defendendam.

Exposita nunc voce *ἐριθεία* facilius progrediemur. Nemo enim non videt, formulis *οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας* et *οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης*, uti *Rom.* II: 8, cogitando addendum esse Participium

ὄντες. Unde sequitur, alterum dicere: *qui quidem ambitione ducuntur*, alterum: *qui vero caritati student:* utrumque uno verbo: *ambitiosi* et *amantes*. Iam interpretandi leges *caritatis studium* ita intelligere iubent, ut eodem spectet atque *ambitio*. Atqui *ambitio*, uti hic et alibi describitur, perversitatem spectat, qua quis non *Deum* petat, neque CHRISTUM, neque *rem Christianam*, sed unos *homines*. Ergo auctor *caritatem* etiam *erga homines* in mente habuit. Et, quosnam homines sibi voluerit, dictu difficile non est. Nam cum in posteriori utriusque versus membro enarret, quomodo illi, quos memorat, *in se* animati sint, in priori quoque alios ante oculos habere nequit, quam quorum *ipse* cum malevolentiam, tum benevolentiam experiatur. Necesse igitur est Interpretes sequi, qui, auctore PELAGIO (1), omnia ad amicitiam et inimicitiam erga PAULUM referunt. Ubi autem de alteris legimus τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, non reprehenditur *doctrina* hominum, sed *consilium* vel *mens impura*, ut et ex notione Adverbii ἁγνῶς, et ex proxime sequenti Participio, et ex tota oratione contexta apparet. Quod ut post CHRYSOSTOMUM plerique viderunt Interpretes, etiam auctores *Annotationis marginalis ad Interpretationem vernaculam* (*Staten-Overzetting*); ita satis exploratum est, verba οἰόμενοι θλίψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μου explicanda esse: *quippe qui opinantur, se aerumnae, vinculis mihi allatae, cumulum adiecturos:* (2)

---

(1) *Comment. in Ep. s. Pauli*, cuius utramque consului editionem, alteram in *Opp.* AUGUSTINI. Tom. XII. p. 315 sqq. *Antf.* 1703, alteram in *Opp.* HIERONYMI. Tom. V. p. 926 sqq. Hanc vero, cum magis accurata quam illa sit, infra excitabo.

(2) De notione *addendi*, quae verbo composito ἐπιφέρειν inest, legantur BEZA, RAPHELIUS, LOESNERUS, *Observ. e. Phil. Alex.* ad h. l. alii. Metonymia autem Abstracti pro Concreto, quam vocabulis τοῖς δεσμοῖς μου inesse monuerunt CASTALIO in *Bibl. crit.* ad h. l. et GLASSIUS. l. c. p. 872, hoc in loco cernitur, si verbum ἐγείρειν substituimus pro ἐπιφέρειν. Sed si retinemus ἐπιφέρειν, Metonymia est Causae pro Effectu.

aut, si pro ἐπιφέρειν substitui debet ἐγείρειν, *se mihi vinculis oppresso aerumnam excitaturos.* Atque hoc ipsum, si superiora οὐχ ἁγνῶς bene exposita sunt, non de hominibus sumendum est, qui superstitionem Iudaeorum cum doctrina Christiana confuderunt; sed de factionum auctoribus, qui animos Paulo detraxerunt viroque misere iam afflicto acerbissimum dolorem pepererunt. Altera sententiae pars, si diximus, post verba οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης ex superiori versu repetenda esse τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν, nihil habet, quod labori esse possit, praeter unum verbum κεῖμαι. Plerique illud, praeeunte GROTIO, interpretantur *positus* vel *destinatus sum:* quod MORUS etiam probare conatur (1). Et concedo lubenter, huic interpretationi fidem facere videri comparationem locorum *Luc.* II: 34. 1 *Thess.* III: 3. Sed MICHAËLIS, PALMIUS, MATTHIESIUS, alii (2) viam monstrarunt in mentem auctoris penitius introspiciendi. Disputare igitur nolo, an his in locis verbum κεῖμαι revera significet *positus* vel *destinatus sum*, quamquam contradicendi non omnis deest causa. Satis mihi est, saepissime propriam *iacendi* notionem retinendam, et, si res proponitur adversa, explicandam esse de *iacendo in conditione misera* (3). Iam oratione PAULI in consilium vocata, hoc illi praeferendum esse deprehendimus. Talis enim tantaque inter membra posteriora huius utriusque versus necessitudo intercedit, ut dictio εἰδότες, ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι sibi interpretationem postulare videatur, qua Apostoli *tristis* et *afflicta* in luce collocetur *conditio.* Et tum demum ea, ut oportet, cum proxime praecedentibus bene cohaeret. Haud ignoro quidem, cohaerentiam quoque induci, si vocem ἀπο-

---

(1) *Dissert. Theol. et Phil.* Vol. I. p. 137 sqq.

(2) Cf. BELSHAMUS, *The Epist. of Paul the Ap. transl. with an exposit. and notes.*

(3) *Luc.* XII: 19. *Ios.* IV: 6. EURIP. *Phoen.* vs. 1666. HERODIAN. Lib. II. cap. 1. § 19. L. VII. cap. 5. § 15. LUCIAN. Opp. Tom. I. p. 311. THUCYD. Lib. I. cap. 42. PLATO, *de Republ.* Lib. IV. p. 425. Cf. STALLBAUM. ad. h. l.

λογίαν cum KRAUSIO aliisque hac in sententia praecipuam habeamus, ut religionis *propagationi* eius *defensio* opponatur. Verum hanc *ἀντίθεσιν*, et ipsa oratio nullo prodit indicio, et sumere vetat comparatio eorum, quae vers. 7 exstant. Sequitur igitur, ut verba ita explicemus: *quippe qui sciunt, me ad causam rei Christianae, ubi urgeat necessitas, coram iudice defendendam hic in miseria iacere* (1). Quo auctor significat, homines, qui caritate duce propagationi rei Christianae operentur, id agere, ut sibi impedito et afflicto solatium et gaudium afferant.

VERS. 18.

Argumentum suum Apostolus ulterius persequitur, incipiens a formula *τί γάρ*, quae in libris Novi Testamenti non absolute legitur, nisi *Rom.* III: 3, ubi, alteram interrogationem praecedens, significat: *quid enim hoc est?* (2) Similiter; illam usurpatam reperimus apud Interpretem *Iob.* VI: 5. (3) Quodammodo vero hinc differt notio eius in libris et aliorum Graecorum, et PLATONIS, cuius ex Dialogis maxime intelligimus, eam in collocutione vitae communis familiarem fuisse. Nimirum saepe ibi haec formula responsum continet ad quaestionem praecedentem, et sic quidem explicandum: *quid enim aliud est, quod dicendum sit:*

(1) Cf. Interpr. Vers. in *Ann. Margin.*

(2) PAULUS, nempe, ibi dicere vult: *Quid enim hoc est? Si inter homines sunt, qui se infideles praestiterint; num infidelitas eorum fidem Dei tollet?* Pronomen *τινές* Interpretes, quos vidi, etiam recentissimi, RUCKERTUS, REICHIUS, KOELLNERUS, WETTIUS, GLÖCKLERUS, sumserunt pro *τινὲς αὐτῶν*, id est *Judaeorum*. Ego, pace Virorum Doctissimorum, nihil omissum esse puto, sed Pronomine, ut notio eius fert vulgaris, significari *quosdam homines*. PAULUS, Iudaeis missis, vs. 3, 4 *exemplo* usus esse videtur, a quo vs. 5. ad Iudaeos rediit.

(3) Cf. SCHLEUSN. in *Thes.* In *Lex.* autem affert *Act. XXVI:* 8, ubi Particula *γάρ* non exstat. Recte igitur BRETSCHN. eum correxit hoc loco non memorando.

Reticetur igitur non solum *ἄλλο*, sed etiam *φήσομεν* vel *φῶμεν*, quod verbum orationi passim adiectum est (1). Iam via, ut arbitror, monstrata est mentis PAULI intelligendae. Nam quamvis vocabulis *τί γάρ* nec praeposuit interrogationem, nec postposuit, satis tuto tamen sumere possumus, usitatam iis notionem tributam esse. Itaque vocabula illa, cum praecedentia magis spectent quam sequentia, aeque atque apud PLATONEM explicanda videntur: *quid enim aliud est*, *quod dicendum sit?* Sed quomodo hoc cum praecedentibus cohaereat, multo minus patet, quam in Graecorum scriptis. Quare mirandum non est, et multos fluctuasse Interpretes, et OECUMENIUM, qui lectoribus optionem fecit, ut ex tribus sententiis unam eligerent. At vero considerata orationis superioris serie animadvertimus, auctorem, laudatis progressibus rei Christianae, commemorasse homines, quorum alii bono, alii pravo consilio CHRISTUM praedicarent, sed breviloquentia tamen sua hanc reticuisse conclusionem: *Atque sic quoque promovetur res Christiana;* vel per interrogationem: *At nonne sic quoque* cet. Iam si haec conclusio vel interrogatio nobis in mente est, aptissime sequuntur: *quid enim aliud est*, *quod dicendum sit*, *praeterquam quod ita fiat*, *ut* CHRISTUS, *quovis tandem modo*, *sive bono seu malo consilio*, *annuncietur.* Hunc enim sensum esse putamus verborum *πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται:* quibus librarii veteres haud pauci adiecerunt Particulam *ὅτι*, qua tamen facile carere possumus (2). Formulam autem *εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ* non denotare *sive per occasionem*, *sive per veritatem*, quod iam scripsit PELAGIUS, multo minus *vel oblata occasione*, *vel data opera*, sed *sive tale*, *quale esse dicitur*, *non est*, *seu revera*

---

(1) Exemplo sint Lib. III. *de Republ.* p. 393 C. et *Gorg.* p. 480 B. Cff. HEINDORF ad *Sophist.* p. 232. STALLBAUM ad l. l. *de Republ.* et *Crit.* p. 50 C. SCHAEFER aliique VV. DD. ad BOSII *Ellipses.* p. 24, 25, 27. BERNHARD. p. 351 sqq.

(2) Cf. HERMANN. ad VIGERUM. p. 729.

est consilium, et ipsa docet Antithesis, et comparatio versuum 15, 16, 17, ut HEINRICHSIUS, RHEINWALDUS, MATTHIESIUS post alios bene ostenderunt. Quibuscum consentiendum etiam de eo est, veram verborum *παντὶ τρόπῳ* interpretationem esse *quovis modo*. Ceterum hoc loco et alibi, ubi CHRISTUS annunciari dicitur, scriptoribus ante oculos obversata est agendi ratio, Apostolis eorumque discipulis usitata, ut hominibus minus continuam doctrinarum seriem, quam ea traderent, quae ad CHRISTI pertinebant historiam.

Re ipsa proposita PAULUS, quid de ea sentiat, expressis ait verbis: *καὶ ἐν τούτῳ χαίρω*, id est, *et hac de* CHRISTI *annunciatione qualicunque gaudeo.* Quaestionem movere, quomodo hoc dictum cum Apostoli gravitate in concordiam redigatur, nihil aliud est, quam nodum quaerere in scirpo. Iniuriam viro simplici et antiquo faciunt, qui verba eius ita interpretantur, ac si faveat fallaciae, ad eventum optatum ducenti. Haud secus mens eius pervertitur, si quis ei affingit approbationem doctrinae, quae cum superstitione Iudaeorum confundit quod vere Christianum est. Immo ex hoc uno gaudium capit PAULUS, quod CHRISTI nomen hominibus, quovis tandem modo, innotescit. Vere et recte THEOPHYLACTUS: *Ἐκεῖνοι μὲν διὰ τὸ λυπῆσαί με ταῦτα ποιοῦσιν· ἐγὼ δὲ χαίρω, ὅτι ὁ Χριστὸς πλέον κηρύττεται· κἂν ἔτι τοῦτο ποιοῦσιν, ἐπὶ πλέον χαρήσομαι.* Sic interpretatur etiam postrema *ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι*, quae breviter scripta sunt pro *καὶ οὐ μόνον χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι*, *et non solum gaudeo, sed etiam gaudebo.*

VERS. 19, 20.

Huius gaudii causam explicat auctor, scribens *οἶδα γὰρ, ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν.* Iam prima quaestio est, quid Pronomine *τοῦτο* significetur. Secundum OECUMENIUM PAULUS vel suam in mente habuit captivitatem, vel CHRISTUM ab eius adversariis praedicari, vel se horum hominum peti insidiis. Quartum et quintum his adiicere videntur nonnulli

interpretes, ut HEINRICHSIUS et RHEINWALDUS, sed reapse trium illorum unum alteris praeferunt. Haud adeo difficilis autem electio est, si mentem attendimus et ad summam orationis praecedentis, et ad illud, quod vs. 18 eodem Pronomine denotatur. Hinc enim apparet, nihil aliud sibi voluisse PAULUM quam *annunciationem* CHRISTI, *quocunque modo ea fieret*. Quod et THEOPHYLACTUS ita enunciavit: τὸ αὔξεσθαι τὸ κήρυγμα διὰ τῆς πρὸς ἐμὲ ἔχθρας καὶ τοῦ ζήλου, et MATTHIESIUS post alios bene defendit. Cum autem dicit Apostolus τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν, non declarat fore, ut hoc *salutem pariat* vel *efficiat*, sed ut *ad salutem conducat*, aut *cedat*; quomodo verbum ἀποβήσεται etiam vertendo reddendum est *Iob.* XIII: 16, unde PAULUS orationem suam mutuatus esse videtur. Et nihil sane frequentius apud scriptores veteres est, quam huius verbi usus de *eventu* (1). At quaestio agitur, eaque satis gravis, *quamnam salutem* PAULUS spectaverit. Nimirum haud pauci, praeeunte CHRYSOSTOMO, *liberationem* PAULI *ex carcere*, alii cum MICHAËLE *victoriam ab adversariis reportandam* ita dictam esse putant. Sed utrumque, ut de notione vocis nunc non disputemus, in concordiam redigi nequit cum verbis εἴτε διὰ θανάτου, quae cum omni superiori oratione arctissime connectenda esse videbimus. Ita et haec ipsa verba sententiae obstant eorum, qui generatim *salutem qualemcunque* intelligere iubent: quod nonnulli ex loquendi usu probare conantur. Utique nulla causa est, cur a notione discedamus, in libris Novi Testamenti maxime vulgari, ut σωτηρίαν *salutem illam veram et perennem* interpretemur, *quae debetur* CHRISTO. Nec GROTIO tamen assentiendum esse explicanti: *exibit hoc ad salutem, nempe multorum hominum*, satis superque iam apparet ex praemisso Pronomine μοι. Sed PAULUS *suam*

(1) Exempla dant SCHWEIGHÄUSER, *Lex.* HERODOT. h. v. PALAIRET, *Observ. Phil. crit.* ELSNER. WETSTEN. aliique ad h. l.

ipsius significat *salutem veram et perennem*, ut bene monuerunt RHEINWALDUS et MATTHIESIUS, et multo ante iam CALVINUS, haud temere conferre iubens *Rom.* VIII: 28. Apostolus enim haec non in medium protulit, ut lectores ad naturalem quendam, qui inter facta memorata et hanc suam salutem intercederet, nexum attentos faceret; sed quemadmodum *sciebat*, veris Dei cultoribus omnia ad salutem conducere, ita se *scire* scripsit, haec ipsa sibi quoque fore salutaria. Verbo igitur *οἶδα* non denotatur *scientia futuri*, divinitus vel aliunde accepta, sed *ratiocinando acquisita* (1).

Quomodo vero PAULUS se hanc salutem consecuturum esse autumat? *Διὰ τῆς ὑμῶν*, ait, *δεήσεως καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Ubi eundem illum, qui his in libris vulgo *πνεῦμα Θεοῦ* vel *πνεῦμα ἅγιον* vocatur, *Spiritum* IESU CHRISTI dicit, aeque ac *Rom.* VIII: 9 *Spiritum* CHRISTI et *Gal.* IV: 6 *Spiritum filii eius*, nempe *Dei*. Quid? quod *Act.* XVI: 6, 7, voce *Ἰησοῦ* cum GRIESBACHIO aliisque orationi adiecta, *Spiritus Sanctus* et *Spiritus Iesu* haud dubie permutantur. Appellationis causa in eo cernitur, quod *πνεῦμα* illud Divinum, cuius efficacitati in Literis Sacris tribuuntur omnia, quae continuis rerum adspectabilium vicissitudinibus superiora sunt, eandem omnino spirat mentem atque IESUS CHRISTUS, regni coelestis caput et Princeps, ut ipse docuit *Ioann.* XVI: 13, 14, 15. Iam huius Spiritus *ἐπιχορηγίᾳ* sine ulla controversia opem significat, quam ille suggerit. Ita et nemo erit, qui ambigat de praecedentium *διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως* interpretatione *per vestram precationem*. De eo autem inter se dissentiunt VV. DD. an verba *διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως καὶ ἐπιχορηγίας* cet. ita copulanda sint, ut *Hendiadys* efficiatur, quod diu ante HEINRICHSIUM iam putarunt VORSTIUS (2) aliique multi. FRITZSCHIUS (3) *Hendiadyn*, et in

(1) Cf. ESTIUS, *Comm. in omn. B. Pauli et alior. Apost. Epp.* ad h. l.

(2) *Comment. in omn. Epp. Apost.* ad h. l.

(3) *Comment. in Matth. Excurs.* IV. p. 858 sqq.

locos tantum cadere, ubi Particula *καὶ*, duo inter nomina posita, explicanda sit *et quidem*, et ab hoc loco alienam esse ostendit. Haud dubie duo nobis proponuntur diversa, sed nexu tamen ita coniuncta, ut alterum ex altero sequatur. Nexum illum ex Articulo *τῆς*, quo utrumque nomen comprehenditur, et ex ipsius rei intelligimus natura et indole (1). Dicere vult auctor *per precationem, quam vos facere confido, et opem Spiritus Sancti, quae ad preces vestras mihi praebebitur.* Quemadmodum igitur alibi, uti 2 *Cor.* I: 11. *Hebr.* XIII: 18, 19, deprecationi multum tribuitur; sic hoc loco PAULUS persuasum sibi esse ait, se *Philippensium* precibus et ope Spiritus Sancti hoc impetraturum, ut CHRISTI causam assidue agere pergat. Sed illud, quod tenuius est, graviori praeposuit, sicuti *Tit.* III: 5, ubi comma, multis in editionibus, GRIESBACHII etiam, MATTHAEI, VATERI, SCHOLZII, GOESCHENII, inter voces *παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως* aeque atque hîc inter *δεήσεως καὶ ἐπιχορηγίας* interiectum, recte sustulit LACHMANNUS.

Nunc PAULUS explicare incipit, quare *Philippensium* precibus et ope Spiritus Sancti effectum iri confidat, ut qualiscunque CHRISTI annunciatio sibi conducat ad salutem. *Κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν*, ait, *καὶ ἐλπίδα μου*, ubi cave credas, aut *Hendiadyn* recurrere, aut vocem graviorem alteri praepositam esse. HESYCHIUS *ἀποκαραδοκίαν* interpretatur *προσδοκίαν, ἀπεκδοχήν*; et cum eo consentiunt plerique, etiam Viri Doctissimi, ita tamen, ut alii exspectationis *vehementiam* simul enunciari velint, alii, uti ERNESTIUS (2) et MORUS (3), non item. Contra vero ERASMUS, cui nonnulli adstipulantur, non *exspectationem* a PAULO dici monet, sed *vehemens cordis desiderium.* Et sane hanc notionem voci *ἀποκαραδοκια* egregie convenire patet, si eam ab animalibus, quae in rem

(1) Cff. MATTHIES. ad h. l. et WINER. p. 120, 121.

(2) *Instit. Int. N. T.* p. 119. Ed. 4.

(3) *Acroases super Herm. N. T.* Vol. I. p. 327.

optatam capite promineant, ad intelligibilia translatam esse animadvertimus. Deinde intercedit quidem loquendi usus, ne hîc voci illi omnem vim tribuamus, quam proprie habeat; sed variis tamen in locis, ubi Interpretes nihil aliud ea significari opinantur quam προσδοκίαν, non *exspectatio* nobis proponitur, sed *desiderium* (1). Imprimis animum attendere oportet ad *Rom.* VIII: 19, ubi vocem ἀποκαραδοκία aliter quam *desiderium* interpretari vetat verbum adiunctum ἀπεκδέχεται. Quae si bene intellexi, huius loci dictum κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου non exponendum est cum OECUMENIO: κατὰ τὴν σφοδρὰν καὶ ἐπιτεταμένην ἐλπίδα, sed scribendum: *ad desiderium et spem meam*, vel *quoniam desidero et spero:* quae duo ita comparata esse, ut hoc maius quam illud sit, non opus est, ut demonstremus. Haec autem cohaerere cum superioribus οἶδα γάρ, ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται cet. quisque sua sponte intelliget. Sed cohaeret etiam oratio, si huic interpretationi vocis ἀποκαραδοκία vulgaris praefertur, ut ostenderunt LAUNAEUS aliique. Neque ab interpretatione illa pendet sequens nostra hôc de loco disputatio.

Quid vero illud est, quod PAULUS desiderat sibique omnino sperat? MATTHIESIUS ait, salutem sibi fore per *Philippensium* precationem et opem Spiritus Sancti. Quem si sequimur, punctum ponere debemus ante verba sequentia ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι, quod iam placuit VATABLO, ESTIO, aliis antiquioribus; neque displicuit HEINRICHSIO; quamvis hic dubitabat, utrum ὅτι Particula habenda esset transeundi, an scripta pro διότι. Sed primum haud scio, an haec structura exorta sit e minus recta interpretatione formulae τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν. Deinde cum PAULUS vs. 19 desiderium et spem salutis iam satis perspicue enunciaverit, a verbo οἶδα orationem incipiens, friget hîc desiderii et spei declaratio, si ad eandem salutem refertur. Praeterea ne qui-

(1) Cf. *Anecdota Hemsterh.* Ed. GEEL, p. 143 sqq.

dem praevidere potuit, *Philippensium* precibus et ope Spiritus Sancti omnia sibi ad salutem cessura, nisi desiderium ipse quoque et spem conceperat *constantiae et fidei praestandae.* Probabile quoque non est Particulam ὅτι hîc aliter quam superiori in versu accipere. Tum simile dictum *Rom.* VIII: 20, 21 nobis suadere videtur, ut cum CHRYSOSTOMO, LUTHERO, CALVINO, GROTIO et plerisque Interpretibus, secundum distinctionem vulgo receptam, Particulam illam pendentem faciamus a praecedentibus κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου. Dixit igitur auctor: Desidero et spero fore, *ut nulla in re pudore confundar.* Quo, per Metonymiam, effectum posuit pro causa: *ut nulla in re ab officio deflectam.* In mente autem haec habuisse videtur: Putant quidem homines, me propterea, quod CHRISTUS tam impuro, quam puro consilio annunciatur, eo redactum iri, ut, pudore confusus, ab officio deflectam; sed desidero et spero fore, ut nihil eorum, quae geruntur, hanc vim perniciosam in me habeat. Breviter neque omnino male CHRYSOSTOMUS: Οὐ περιέσονται οὗτοι. Iure vero meritoque MATTHIESIUS se opponit iis, qui verba interpretantur *Nihil erit tale, ut spe fallar.* Neque etiam probanda est interpretatio GROTII: *fore, ut non in vanum laborem.* Ut enim hoc in loco Antithesis nobis indicio est, PAULI animo obversatum esse *pudorem, quo fidem frangeret;* sic in locis similibus 2 *Cor.* X: 8. 2 *Tim.* I: 12. 1 *Ioann.* II: 28 verbis αἰσχύνομαι et ἐπαισχύνομαι idem ille pudor significatur.

Oppositum haec continent: ἀλλ' ἐν πάσῃ παῤῥησίᾳ, ὡς πάντοτε, καὶ νῦν μεγαλυνθήσεται Χριστὸς ἐν τῷ σώματί μου. Quorum sensum sic exhiberi puto: *sed fore, ut animum nunquam despondeam, atque ita* CHRISTI *maiestas, haud secus nunc, cum hac misera in conditione verser, quam omni tempore praeterito, meo in corpore cernatur.* Primum enim voce παῤῥησίᾳ non *liberam professionem credentium*, uti GROTIUS vult, expressam esse, sed PAULI *fidu-*

ciam vel *libertatem*, ex adiunctis *ἐν τῷ σώματί μου* luculenter apparet: tum quoque ex comparatione locorum similium *Eph.* VI: 19, 20. 1 *Ioann.* II: 28. Unde intelligimus etiam, nequidquam dubitare FLATTUM, utrum scribendum sit, *cum*, an vero *si libertate utar:* sed hoc omnino falsum, illud verum esse, et auctorem dicere velle: *ἀλλ' ἐν παντὶ παῤῥησιάσομαι, ὥστε Χριστὸν, ὡς πάντοτε, καὶ νῦν μεγαλυνθῆναι* cet. Deinde temere idem ille FLATTUS cum aliis monet, verba *ἐν τῷ σώματί μου* explicari posse *per me.* Nam de industria *corporis* mentio facta est, quoniam hanc hominis partem, non totum hominem spectant sequentia *εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου.* Denique notandum est, PAULUM hac commemoratióne desiderii sui ac spei lenem transitionem facere ad proponenda duo illa, quorum alterutrum sibi eventurum sit. Quare autem haec proposuerit, vereor, ut CHRYSOSTOMUS, quem THEODORETUS et OECUMENIUS sequuntur, bene enarret scribendo: *διὰ μὲν ζωῆς, ὅτι ἐξείλετο· διὰ θανάτου δὲ, ὅτι οὐδὲ θάνατος ἔπεισέ με ἀρνήσασθαι αὐτόν.* Immo melius scripsit PELAGIUS: *Si eum* [inimici] *occiderint, martyrio coronabitur. Si servaverint ad* CHRISTUM *annunciandum*, *plurimum facient fructum.* Nam ut verba *εἴτε διὰ θανάτου, sive per mortem*, sine controversia, supplicium spectant ad gloriam CHRISTI tolerandum; sic praecedentia *εἴτε διὰ ζωῆς, sive per vitam*, propagationem spectare rei Christianae, ad quam liberatio PAULI conductura esset, omnis sequens oratio docere videtur.

VERS. 21.

Nimirum non satis habet PAULUS duo illa proponere, quorum alterutrum sibi eventurum est; sed utrumque magni faciendum esse ostendit. In Editione recepta legimus: *Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος:* quae ita corrigenda esse, ut pro *Χριστός* scribatur *χρηστόν,* ab omni fide abhorret. Nam ut duorum testium, quorum libri hanc correctionem continent, *Arabis Polygl.* et GREGORII M. au-

ctoritas per se exigua vel plane nulla est; ita declaratio Apostoli proxime sequens, optionem sibi difficilem esse, vocem *Χριστός*, ut scite monuit VLOTENIUS (1), omnino tuetur. Et hactenus Interpretes, si MICHAËLEM, VERSCHUIRIUM (2) paucosque alios excipimus, inter se consentiunt. De huius versus distinctione et interpretatione acrior agitur quaestio. Satis multi, nempe, Doctissimique Viri orationem ita distinguunt, ut, hoc ordine verbis constituto: *Χριστὸς γάρ ἐμοὶ κέρδος τὸ ζῆν καὶ τὸ ἀποθανεῖν*, CHRISTUS PAULO *tam in vita*, *quam in morte lucrum esse* praedicetur. Sunt verba CALVINI, cui assentiuntur BEZA, ERASMUS SCHMIDIUS, CORNELIUS A LAPIDE, VORSTIUS, LAUNAEUS, etiam Interpres in *Nov. Test. Valp.* Sed huic interpretationi, haud scio, quot et quanta obstent: veluti intercipi ea Antithesin supra inchoatam; traiectionem induci ab omni loquendi usu recedentem; Praepositionem *πρός* vel *κατά* orationi bis cogitando adiiciendam esse. Quae cum iam notaverit WOLFIUS, mirandum non est, recentiori memoria exstitisse fere neminem, qui ei patrocinaretur. Multo melior tamen non est sententia STORRII, à FLATTO commendata, membra huius versus, interposito puncto, ita separanda esse, ut prius cum verbis praecedentibus, posterius cum sequentibus connectatur. Quod itidem Antithesin intercipere, tum seriem orationis turbare eiusque vim valde minuere, haec ipsa iam prodit interpretatio: *Mea enim vita* CHRISTUS *est. Etiam mors mihi emolumento est.* Utique huic loco male consultum erit omni mutatione ordinis vulgaris. Hunc vero si retinemus, duo sibi invicem opponuntur. Alterum est, uti deleto commate scribendum videtur, *ἐμοὶ γάρ τὸ ζῆν Χριστός*. Quod perspicua brevitate CHRYSOSTOMUS exponit: *εἰ βούλει τὴν ζωήν ἐξετάσαι τὴν ἐμήν, ἐκεῖ-*

---

(1) VAN VLOTEN, *de Bijb. vert.* cet. ad h. l.

(2) *Opusc.* Ed. LOTZIO. p. 412, ubi LOTZIUS contra disputat, nec tamen ita, ut operae faciat pretium.

νός ἐστι: ut eandem *vitae animalis* notionem verbo *ζῆν* tribuat, quam et illud habet versu sequente, et versu praecedente vox *ζωή*. Atque ita plerique Interpretes, spreto iudicio eorum, quibuscum RHEINWALDUS putat, PAULI in mente fuisse *vitam veram et beatam*. Equidem haud crediderim, Viros Doctos, nisi quovis meliori modo se ex angustiis expedire voluissent, habituros fuisse *figuratum*, quod *proprium* esse, et membrorum clamat Parallelismus, et oratio haud secus praecedens ac sequens, et dictum simile *Gal.* II: 20. Illo autem dicto collato intelligere mihi videor, auctorem hic sibi velle: *vita enim mea Christo tota est dedita atque devota*. Quid vero enunciet altero *καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος*, multo implicatius est, si tanquam trutina, qua res examinetur, interpretandi utimur varietate. Sed varietas illa ex eo orta est, quod VV. DD. sententiarum serie minus perspecta, expressis aliena admiscebant. Sic GROTIUS egit, verba exponens: *morte mea aliquos* CHRISTO *lucrabor*, neque animadvertens, se orationem crescentem deprimere. Ut autem hic magnus Interpres immemor erat Pronominis *ἐμοί*, ita etiam HEINRICHSIUS, voce *κέρδος* indicari putans *laetiores rei Christianae progressus*. Errorem illum evitavit CALMETUS (1), eum interpretaretur *vita et mors mihi peraeque lucro sunt*; sed hunc in alterum incidit, ut vocem *κέρδος*, quae praecedenti *Χριστός* opposita est, ad utrumque membrum referret. Nec MATTHIESIUS, cum Apostolum loquentem faceret de lucro, quod, *ratione* CHRISTI *habita* maximi ponderis erat, se ab importando hunc in locum temperavit, quod inde alienum est. Videlicet, aut egregie fallor, aut PAULUS nullum aliud proposuit lucrum, quam quod mors violenta *sibi* erat allatura. Primum enim sic Veteres omnes vocem *κέρδος* sumserunt, inde iam a CLEMENTE *Alex.* (2) qui dictioni ideo sen-

---

(1) *Comment. Literal.* in h. l.

(2) *Strom.* Lib. III. Tom. I. p. 541. POTT.

sum Allegoricum subiecit scribens: *Ἐνεδείξατο δαὶ τούτων σαφῶς, τῆς μὲν ἐξόδου τοῦ σώματος τὴν πρὸς Θεὸν ἀγάπην τελείωσιν εἶναι*; et CYPRIANO (1), qui PAULUM dicit, *lucrum maximum computantem, iam seculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemtum pressuris angentibus et venenatis Diaboli faucibus liberatum, ad laetitiam salutis aeternae* CHRISTO *vocante proficisci*. Huiusmodi autem antiquitatis consensus ad bene iudicandum de locis ambiguitate laborantibus haud exigui momenti est. Deinde si locos inspicimus a WETSTENIO, BOSIO, PALAIRETO descriptos, ubi Graeci *mortem emolumento* vel *lucro* esse dixerunt, ut *ipsi morienti* lucrum illud contingere significarent; haud difficulter nobis persuadebitur, auctorem idem sibi voluisse, cum formula trita uteretur. Porro ita se habet argumentum versus 23, ad quem etiam provocat PALMIUS, ut hic nobis vix aut ne vix quidem aliud proponere possimus lucrum, quam *ipsi* PAULO sperandum. Sed redeundum quoque est ad Pronomen *ἐμοί*, quod attigimus supra. Illud enim consulto ab initio sententiae collocatum videtur, ut *Emphasin* efficeret, quae ad utrumque membrum referretur (2). Haec igitur, me iudice, mens auctoris est: *quidquid aliis vita et mors est; mihi, et vita* CHRISTO *dedita est et devota*, et *mors lucro futura*. Haud dissimile est, quod scripsit Apostolus 2 *Cor.* IV: 12, ut monuit NOESSELTUS (3). Quomodo autem hoc cum praecedentibus cohaereat, omnes latuit Interpretes, qui aut PAULUM hic confirmare putabant, *eventum sibi fore salutare*, aut *se* CHRISTI *maiestatem in corpore suo illustraturum esse*. Sed veri inveniendi viam, si quis alius, tum maxime COCCEIUS monstravit scribendo: » Rationem reddit, quare dixerit,

---

(1) *De Mortalitate.* p. 209. *Par.* 1666.

(2) Cf. VAN DER WILLIGEN, *Nieuwe Verhandd. van het Gen. tot verd. van den Christ. Godsd. voor het jaar* 1811. Tom. II. p. 76 sqq.

(3) *Opusc.* Fasc. I. p. 245, 246.

γνωρίζω. Communiter autem illi Particulam *καί* vel redundare dicunt, vel explicandam esse *tum*, aut *sane*, aut *igitur*, aut *ideo*, ut etiam CAMERARIUS, CASAUBONUS aliique magni viri. Sed neutrum salvo loquendi usu ferri potest: immo Particula ubique manet *copulativa*, ut vim habeat vocum Latinarum *et*, *ac*, *atque*, *etiam* et similium (1). Haud temere igitur MATTHIESIUS hanc interpretandi rationem improbavit: at ipse quoque a via aberravit, PELAGII, SLICHTINGII, VORSTII, BENGELII, plurium vestigia premens. Orationem nempe ita distinguit, ut duas has contineat sententias: *Si vero vita in carne manebit integra, hic mihi erit fructus operis. Et, utrum eligam, ignoro.* Quod duplici de causa spernendum est. Altera in eo cernitur, quod auctor, si hoc sibi vellet, Protasi prioris sententiae adiecturus fuisse videtur verbum omnino necessarium ad *conservationem vitae* denotandam. Alteram praebet comparatio versus 21, ubi nulla est propositio Hypothetica, cui haec opponatur. Et quamvis interpretatio vulgaris stare nequit, inde tamen non sequitur, falsam esse illam, qua nititur, distinctionem (2). Dicam quod sentio. Persuasissimum mihi est, hunc versum una constare sententia, cuius Protasin absolvat vox ἔργου. Decernere tantum non ausim, utrum deleri debeat comma, quod Pronomini τοῦτο praepositum sit, an retineri: id est, utrum Pronomen illud, ut ENDIO aliisque placet, connectendum sit cum verbo ζῆν, an sine necessitate adscriptum sit ad vim

(1) HERMANN. ad VIGERUM. p. 837. MATTHIAE. p. 893, 894. WINER. p. 409 sqq. Eandem notionem etiam habet Particula *καί* cap. IV: 7, quem locum excitavit ELSNERUS, ut probaret, eam hic *consequentiam* significare.

(2) D. HEINSIUS, *Sacr. Exercitat. in N. T.* p. 499, 500, signo interrogandi posito post verbum αἱρήσομαι, sic interpretatur: *quod si vivere in carne operae pretium est, et quid tandem eligam? ignoro.* Sed fateor, me hoc non intelligere. Et quamvis concedo, Particulam *καί* *Marc.* X: 26 et alibi ab initio orationis, quae ex pectore commoto profecta sit, exstare; hinc nullo modo sequitur, eam ita etiam usurpari potuisse in huiusmodi oratione media.

orationis augendam. Hoc proprium sermonis est in vita communi, cuius exempla etiam in Literis Sacris non frustra quaeruntur (1). Illud nihil habet incommodi, cum PAULUS Pronomen Nomini aeque postponere soleat ac praeponere. Sed illi tamen alterum praefero, ut magis animo PAULI valde commoto conveniens. Sensus autem eodem redit, sive scripseris *si vero vita haec in carne*, seu *si vita in carne, haec, inquam*. Ceterum Protasis nihil habet difficultatis. Nam vocabula quod attinet *ἐν σαρκί*, sequi non vereor Interpretes, qui cum BEZA et GROTIO ea ab auctore verbo *ζῆν* adiecta esse putant, ut *afflicta et misera* vitae suae *conditio* significaretur. Dicere igitur vult Apostolus: *si vero haec vita mea aerumnosa copiam mihi praebebit maioris mihi remunerationis opere meo Apostolico comparandae, ut illa praebebit sine dubio.* Postrema haec *ut illa* cet. non temere orationi adieci, sed ut *certum* esse casum, quem Particula *εἰ* hîc significet, ostenderem.

Progrediamur ad Apodosin. Hanc igitur sic distinguendam puto: *καί, τί αἱρήσομαι, οὐ γνωρίζω*: quae verba explicanda videntur: *et sic quidem, utrum malim*, (diutius) *vivere an mori, non dico.* In hac enim interpretatione nihil est, quod iure reprehendi possit. Indicativus *αἱρήσομαι* hîc non pro Optativo, sed suo stat loco, quippe inserviens ad significandum, PAULUM non posita conditione, sed *revera* fluctuare, vivere malit an mori (2). Verba *οὐ γνωρίζω* per me quidem licet vertendo reddere *ignoro;* sed propter loquendi usum,

(1) Locus simillimus est *Rom.* VII: 10, ubi nonnulli id, quod vulgo editum est, minus recte corrigere voluerunt scribendo *αὐτῇ*. Cff. disputata ad vs. 7 et quae attulerunt GLASSIUS p. 176, 177 et WINERUS p. 150, 551, ubi scriptoribus Graecis hoc quoque non incognitum fuisse docetur. Legantur etiam loci *Lucian.* Tom. III. p. 221 et HORAPOLLINIS, *Hierogl.* Lib. I. cap. 14. ubi cf. LEEMANSIUS. p. 199, 200. Et apud Latinos hic Pronominis usus satis frequens est, ut apud CICER. *de Amic.* cap. 27. CAESAR. *de Bell. Gall.* Lib. IV. cap. 2. § 2.

(2) LIPSIUS, *De modor. usu in N. T.* p. 72. Cf. WINER. p. 275.

in Novo Testamento reperiundum, melius mihi videtur cum BENGELIO, STORRIO, RHEINWALDO scribere *non dico* vel simile. Particula vero *καί* quin optime reddatur *etiam*, vel, quod eodem redit, *et sic quidem*, nullus equidem dubito, si animum ad multos attendo locos Veterum, ubi, in sententia Hypothetica, ab initio membri posterioris hanc notionem habet. DEMOSTHENIS verba, quae laudavit BUDAEUS (1): *Οὐ γὰρ, εἰ φαύλοις χρῆσθε εἰς τὰ κοινὰ πολλάκις ἀνθρώποις, καὶ τὰ πράγματά ἐστι φαῦλα*, explicari possunt: *si enim pravis ad commune bonum saepe utimini hominibus, et sic quidem res non pravae sunt.* Sed interpretationem indicatam Particula sibi postulat apud XENOPHONTEM *Cyrop.* Lib. VIII. cap. 7, ubi legimus: *Εἰ μὲν οὖν οὕτως ἔχει ταῦτα, ὥσπερ ἐγὼ οἴομαι, καὶ ἡ ψυχὴ καταλείπει τὸ σῶμα· καὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι ποιεῖτε, ἃ ἐγὼ δέομαι.* i. e. *si ergo haec se ita quidem habent, ut ego puto, et animus corpus relinquit; et sic quidem animum meum reverentes facite, quae ego peto.* Ita enim orationem distinguendam et reddendam esse, docet proxime sequens: *Εἰ δὲ μὴ οὕτως, ἀλλὰ μένουσα ἡ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι συναποθνήσκει· ἀλλὰ θεούς γε τοὺς ἀεὶ ὄντας — — — τούτους φοβούμενοι, μήποι ἀσεβὲς μηδὲν, μηδὲ ἀνόσιον μήτε ποιήσητε, μήτε βουλεύσητε*, ubi Nomen *θεούς* et Pronomen *τούτους* etiam concurrere videmus. Cur vero longus sim? Frequentem hunc usum Particulae *καί* in libris Novi Testamenti esse docent *Matth.* VI: 14. *Ioann.* VIII: 19. XIII: 14. XV: 20. Ipse PAULUS scripsit 2 *Cor.* II: 4: *Εἰ γὰρ ἐγὼ λυπῶ ὑμᾶς, καὶ τίς ἐστιν ὁ εὐφραίνων με, εἰ μὴ ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ*; quibus dicere vult: *Si enim ego vos dolore afficio; quis et sic quidem*, vel *quis etiam* (in vobis) *est, qui gaudium mihi afferat, nisi qui dolore a me afficitur?* (2) Minus fortasse certatum

---

(1) *Comm. Ling. Graec.* p. 920.

(2) In locis saepe, ubi Protasis sententiae incipit a comparatione, dissimilis

fuisset, si hîc legeremus *καὶ εἰ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ — ἔργου· τὶ αἱρήσομαι, οὐ γνωρίζω*, ut *Matth.* XII: 26, ubi Particulas *καὶ εἰ* reddendas esse *etiam si* demonstravit FRITZSCHIUS. Sed ita scribi non potuit, ne Antithesis, quam vox Adversativa *δέ* efficit, tolleretur. Monet nempe Apostolus (versu superiori) totam suam vitam, quamdiu produceretur, deditam et devotam fore CHRISTO; sed sibi profuturum, si nunc morti succumberet. Mox vero meminit, hoc emolumentum e vita sua terrestri exoriturum esse, ut opere suo Apostolico persequendo maiorem sibi remunerationem pararet. *At ne et hoc quidem*, ait, *in altera lance*, scilicet *vitae*, *tale ponit libramentum*, *ut dicere possim*, *utrum malim*, *diutius vivere*, *an mori*. Quem sensum haud scio, an iam assecutus sit THEOPHYLACTUS scribens: *Εἶπον μὲν, ὅτι κέρδος μοι τὸ θανεῖν, πλὴν ἐπειδὴ καὶ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ οὐκ ἄκαρπόν μοί ἐστι (καρποφορῶ γὰρ, διδάσκων καὶ φωτίζων πάντας), οὐκ οἶδα τί αἱρήσομαι.*

VERS. 23, 24.

Quod PAULUS versu superiori negans enunciavit, hoc versu enunciat aiens: *Συνέχομαι δὲ ἐκ τῶν δύο.* Quae coniunctim scribenda sunt, spreta distinctione COCCEII, qua posteriora *ἐκ τῶν δύο*, contra omnem loquendi usum, connectuntur cum sequentibus *τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων.* Particulae *δέ* locum suum restituerunt editores recentiores, etiam MATTHAEUS et SCHOLZIUS; cum altera, *γάρ*, sine dubio debeatur hominibus, qui orationi difficiliori opitulari volebant. Quid autem sibi voluerit Apostolus, satis apertum est, quamvis desiderantur loci, ubi Praepositio *ἐκ* verbo *συνέχεσθαι* subiecta est. Interpretor ERASMO duce: *utrinque vero teneor.* Quo dicto

---

non est usus Particulae *καί*, ut notavit KLUIT, *Vindiciae Artic.* ὁ, ἡ, τό. Tom. I. p. 155 sqq. Ceterum *Syrus*, hunc versum interpretari incipiens ܐܢ ܕܝܢ ܐܦ, Particulam quidem traiecit, sed eius tamen vim percepit.

auctor non spectavit duo sequentia (1), sed praecedentia, se nescire aiens, utrum optaret, *si sui tantum haberet rationem*.

At vero cum nemo facile hominum sit, quin morti praeferat vitam, PAULUS metuit, ne *Philippenses* hanc animi fluctuationem mirentur. Ergo in morte esse ostendit, quod faciat, ut utrinque teneatur. Quomodo autem hoc ab eo propositum sit, Interpretes inter se disputant. CHRYSOSTOMUS et qui eum sequuntur verba *τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων* ad praecedentia referunt, tum vero, reiecta Praepositione *εἰς*, connectunt *τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον*. Sed haec distinctio ut nihil habet, quo se commendet, sic variis sane de causis improbanda est: veluti stare non posse illa *τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων* absque commemoratione eius, in quod animus feratur; Praepositionem *εἰς* librorum optimorum testimonio firmari; orationi nexum deesse, si nova sententia, omissa coniunctione, incipiat a verbis *τὸ ἀναλῦσαι*: tum quoque vix credi posse, auctorem, qui supra iam dixisset, mortem sibi lucro esse, nunc eo excurrisse, *ut iterum eam optabiliorem esse moneret*. Quod postremum ita comparatum est, ut obstet quoque THEODORETO aliisque, qui verba *τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι* cum praecedentibus coniungunt, absoluta vero faciunt sequentia *καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον*. Sed accedit aliud, nempe, ut iam vidit CALVINUS, formulas *τὸ ἀναλῦσαι* et *σὺν Χριστῷ εἶναι*, cum mors ipsa expetenda non sit, nec separari, neque inter se permutari posse. Retinenda igitur distinctio est Editionis receptae, quae hac tantum correctione indiget, ut Particula *γάρ* deleatur. Nam, uti testium bonorum et antiquorum longe plurimi hanc Particulam expelli iubent, sic ea a

(1) Interpretes, qui sequentia hic spectari putant, iam praecessit *Syrus*: sed stare nequit haec sententia, nisi pro Participio *ἔχων* substituatur verbum finitum, et orationis forma vs. 24 mutetur.

librariis et Interpretibus orationi adiecta esse videtur, ne haec minus cohaereret. Sed in PAULI quoque mentem non penetrant, qui hac voce inserenda ratiocinantem eum faciunt et affirmantem quod supra iam satis monitum est, exitum ex hac vita ad CHRISTUM ipsa vita longe meliorem esse. Accurata verborum interpretatio hoc, nisi fallor, docebit, atque ita sufficiet etiam ad refutandam AUGUSTINI (1) opinionem, Interpretes quosdam Particulam studio abstulisse, ut orationem ad sensum suum accommodarent. Primum, ad causam fluctuationis suae explicandam, superioribus: *utrinque vero teneor*, adiicit Apostolus: *desiderium habens hinc migrandi.* Concedo quidem, auctorem loquendi usum magis secuturum fuisse, si verbis τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων subiecisset Genitivum; sed ideo probanda cum BELSHAMO non est PEARCII coniectura, scripsisse PAULUM τοῦ ἀναλῦσαι, quod apud solum legitur ORIGENEM. Et formulae τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων subiici etiam potuisse Praepositionem εἰς, ostendunt WOLFIUS et scriptores ab illo laudati. De verbo autem ἀναλῦσαι docte disputavit GATAKERUS (2), notionem *discedendi* vel *migrandi* ei vindicans, ut imago sumta sit a tentorio, cuius funes, vel a navibus, quarum rudentes solvantur. Cui disputationi pondus addunt loci excitati a BOSIO, PALAIRETO, KYPKIO, quamquam et usurpari possunt ad imaginem a convivio repetendam: uti dictum AELIANI (3): ὥσπερ οὖν ἐκ συμποσίου ἀνέλυσαν, et simile LUCAE cap. XII: 36 de hero: ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων. In memoriam quoque revocare placet PLATONIS verba notissima in *Apol.* SOCR. p. 40, ubi τὸν θάνατον simul et κέρδος dicit, et ἀποδημῆσαι ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον. (4)

(1) *De Doctrin. Christ.* Lib. III. cap. 2.

(2) *Opp. Crit.* p. 45 sqq. et ad MARC. ANTON. p. 319. *Cf.* WAKEFIELD. l. c. Part. IV. p. 181 sqq.

(3) *Varr. Hist.* Lib. IV. cap. 23, ubi legatur PERIZONIUS.

(4) DAVSII aliorumque sententiam, Activum ἀναλῦσαι pro Passivo positum esse, etiam secutus est Interpres vernaculus, scribens *ontbonden te worden.*

Iam sequentia *καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι* significare *et cum* CHRISTO *versandi*, monere non opus est. Et haec duo *ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι* arcte connectenda esse, ut sensus prodeat: *hinc migrandi, ut cum* CHRISTO *sim* vel *verser*, nemo facile negare poterit. Sed illud *πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον*, quod nexu cum oratione circumiecta caret, vereor, ut VV. DD. ab omni parte intellexerint. Non enim ratiocinatio aut probatio quaedam argumenti est, sed pectoris abitum ad CHRISTUM anhelantis suspirium, quali nos homines saepe, loquentes vel scribentes, orationem paulisper intercipimus. Nesciens autem Apostolus, quomodo sensum suum ad rei desiderabilis dignitatem effaretur, Comparativum Comparativo cumulavit. Hanc enim sermonis ubertatem (*Pleonasmum* vulgo aiunt) veteribus familiarem fuisse, apparet ex locis a WETSTENIO congestis: sed qui locos illos diligenter lustraverit, videbit, auctores plerumque ita scripsisse, si aut ipsi in gravissima animi commotione essent, aut alios valde commotos inducerent. Atque hoc quomodo in PAULI orationem cadat, sensisse videntur Interpretes, qui cum BEZA iudicabant alterum *μᾶλλον* non sine Emphasi alteri *κρεῖσσον* praemissum esse. (1) Dicere igitur vult auctor: *O quam longe melius et optabilius*, scilicet, *commoratione in hac vita terrestri*.

Exposita causa, cur, quamvis sibi ex commoratione in hac vita multum etiam boni sperare possit, utrinque tamen teneatur, editoque suspirio, quod vitae melioris adeundae aviditas ex pectore exigebat, PAULUS sic pergit: *Τὸ δὲ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκὶ ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς*. Continent haec, si distinctionem sequimur Editionis receptae, a GRIESBACHIO aliisque

---

Recte autem eam improbat TILLIUS; sed minus recte ipse verbum reddit *het ontbinden*. Immo pro vulgato substituendum est *op te breken*, quod, tropo sublato, idem dicit ac formula *discedere a corpore*, quae VICTORINO iam aliisque antiquis placuit.

(1) Vehementem excessum significari, monet V. D. in *Nov. Test. Valp.* Cf. et BELSHAM. ad h. l.

probatam, sententiae iam inchoatae Apodosin. Sed huic distinctioni quoque eadem obstant argumenta, quae vocem *δύο* cum *Syro* ad sequentia referre vetant. Quare colon, versui praecedenti subiectum, mutetur in punctum, ut sententia hîc legatur, quae cum superiori quidem cohaereat, sed nova tamen sit sibique constet. Apostolus, nempe, sui nunc plane obliviscens, ad illud unum attendit animum, quod postulat bonum commune. Hoc autem sibi vult: *Ad vestram vero salutem magis necesse est, ut, carne adstrictus, diutius hic permaneam. Carnem* non pro *corpore*, ut nonnulli putant, sed contemtius dicit, labores misperans, quibus carnis facit natura, ut obiiciatur. Deinde scripsit *ἐν σαρκί*, ut 1 *Cor.* XVI: 8 *ἐν Ἐφέσῳ*, quoniam caro tanquam *sedes* animi est: alibi vero, *adhaesitationem* tantum significans, verbo *ἐπιμένειν* postposuit merum Dativum, uti *Rom.* VI: 1. XI: 22 cet. Quod discrimen librarii negligentes et studiosiores Graecitatis, Praepositionem *ἐν* omiserunt. Tum Pronomine *ὑμᾶς Philippenses* imprimis designat, verum omnes tamen, ut bene monet GROTIUS, CHRISTI sectatores sui aequales complectitur. Comparativum autem *ἀναγκαιότερον* LOESNERUS quidem, ROSENMULLERUS aliique, etiam Interpretes multo antiquiores, explicant *praestat;* sed nulla iis habenda fides est. In locis enim, quibus se tueri conantur, Adiectivum *ἀναγκαῖος* nihil aliud significat quam *necessarium*. Et si vel Comparativus *ἀναγκαιότερον* alicubi de eo dicatur, quod *praestat;* hanc certe notionem non habebit in oratione, in qua proxime praecedit vox *κρεῖσσον*. Sed qui Comparativum ita interpretentur, mentem alienam Apostolo affingere, iam ESTIUS, ELSNERUS aliique satis ostenderunt. Acquiescimus igitur in interpretatione vulgari: *magis necesse est*, nempe, *quam ut meo desiderio satisfiat.* Ceterum si hoc effatum PAULI, non aliam vitam quam sibi aerumnosam praevidentis, meminissent homines, qui postea ardore fanatico ad Martyrii scilicet coronam properarent, audaciam profecto, ut arbitror, pudor coërcuisset.

VERS. 25, 26.

Nec se tantum in eo, quod diutius vivat, acquiescere profitetur, sed hunc rei eventum praevidens impletur gaudio. *Καὶ τοῦτο*, ait, *πεποιθὼς οἶδα, ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν.* Haud pauci libri, quos LACHMANNUS sequitur, pro *συμπαραμενῶ* habent *παραμενῶ*. Utrum *Syrus* aliique Interpretes antiqui in exemplis suis legerint, decerni nequit; sed librariis verbum vulgo editum *συμπαραμενῶ*, quippe nusquam alibi in Literis Sacris quam *Psalm*. LXXII: 5 exstans, offensioni fuisse videtur; ut pro eo substituerent usitatius *παραμενῶ*. Nec desunt testes fide digni, qui Editionem receptam auctoritate sua tueantur. Utrum autem utri praeferatur, quoad sensum orationis perinde est. Sumamus igitur nihil corrigendum esse et videamus, quid auctor scribendo: *ὅτι μενῶ καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν* sibi voluerit. THEOPHYLACTUS interpretatur: *ὅτι ζήσω, καὶ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ μεθ' ὑμῶν, ὅ ἐστιν, ὄψομαι ὑμᾶς.* Magnam partem praecedunt CHRYSOSTOMUS et OECUMENIUS, alii sequuntur. Sed si hanc mentem PAULO tribuimus, postremum, quod hoc in versu legitur: *διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας πάλιν πρὸς ὑμᾶς*, fere supervacaneum fieri et evidens orationis progressio a minori ad maius tolli videtur. Tum valde dubito, an formula *συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν*, secundum loquendi usum aut alibi, aut hoc loco explicari possit: *coram intuebor vos omnes.* Simplex *μενῶ* breviter scriptum est, uti *Ioann*. XXI: 23 et 1 *Cor*. XV: 6, pro *μενῶ ἐν βίῳ*, vel *μενῶ καὶ ζήσομαι*, quod habet XENOPHON *Ephes*. Lib. V. cap. 4, ubi legatur PEERLKAMPIUS. Hinc vero sequitur, eandem breviloquentiam inesse Composito *συμπαραμενῶ*, ut sic se habere debeat interpretatio: *me hac in vita mansurum et permansurum* (id est, non brevi, sed longo tempore mansurum) *esse vobiscum omnibus*, ut nuper MATTHIESIO quoque visum est. Sed nunc quaestio est, quid sibi velint verba, unde haec

pendent: καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα. THEOPHYLACTUS, ut Pronomen τοῦτο ad sequentia retulit, ita Participium pro Adverbio sumsit, scribens πεποιθότως καὶ ἀδιστάκτως οἶδα. Similiter ERASMUS, CASAUBONUS, et recentiori memoria haud pauci. Nec tanto tamen, quantus ei obtigit, plausu haec interpretatio digna est. Obstant enim ei argumenta satis magni ponderis, quorum praecipua iam occupavit MATTHIESIUS: nimirum nusquam Participium πεποιθὼς ita usurpatum reperiri; ipsum PAULUM vs. 6. monstrare, illud hîc etiam notionem habere vulgo usitatam; eodem tendere dictum simile cap. II: 24 πέποιθα ἐν Κυρίῳ; Pronomen τοῦτο eo in loco esse positum, ut multo probabilius ad praecedentia referatur, quam ad sequentia. Nihil vero nobis obiici potest, si, convenienter sententiae magis vulgari, hanc auctori tribuimus mentem: *Et hoc*, nempe vestram causam postulare, ut in vita permaneam, *confidens scio*. His igitur verbis, ut iam bene monet *Interpres vernaculus* (1), scientiam sibi non vindicat PAULUS divinitus acceptam, sed ex hac profectam ratiocinatione, Deum vitae suae conservatione rebus Christianis consulturum, ut *scio* hîc plus non dicat quam *praevideo*. Sic verbum οἶδα, ubi de *futuro* sermo est, apud Veteres saepe legitur. Quod cum praeteriverint fere VV. DD. haud abs re erit nonnulla afferre exempla (2). Primum, quod in mentem venit, est celebratissimum illud HECTORIS apud HOMERUM *Iliad.* VI: vs. 447 sqq.

Εὖ μὲν γὰρ τόδε οἶδα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν.
Ἔσσεται ἦμαρ etc.

Quod si quis interpretatur: *novi in fatis esse* cet. HECTORI tribuit, quod ab eius persona alienum est. HEYNIUS latine dici monet: *etsi satis praevideo, urbem oppugnationem*

---

(1) *Annot. Marg.* ad h. l.

(2) Haec iam scripseram, cum videbam, WOLFIUM, *de altera* PAULI *Ap. captivit.* Part. I. p. 16 nonnulla attulisse.

Achivorum haud diu sustenturam esse, nisi aliunde salutis spes affulserit. Alia exempla praebent Tragici: sed properare iubet ad orationem solutam. Ergo ISOCRATES, *Busiridis Laud.* cap. 19: Ἐγὼ μὲν οἶδα, ὅτι πολὺ μᾶλλον αὐτὸν μισήσειας, ἢ τοὺς κατηγοροῦντας. PLUTO apud LUCIANUM, *Opp.* Tom. I. p. 428, de sponsa PROTESILAI: φοβήσεται γάρ, εὖ οἶδα, καὶ φεύξεταί σε. Ibid. p. 619. PARRH. Οἶδα ἐγώ, ὡς ὅποι ποτ' ἂν ἀπέλθωμεν, ὀλίγων μὲν τῶν στεφάνων, πολλῶν δὲ τῶν καυστηρίων δεησόμεθα. Simile legitur 2 *Reg.* VIII: 12, ubi ELIZA HASAËLI: οἶδα, ὅσα ποιήσεις τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ κακά. Nam quamvis vates mentem habebat oraculis Divinis collustratam, mala tamen hîc indicata ipse tantum praevidit inde, quod monitus erat divinitus, HASAËLEM rerum potiturum. Cf. vs. 13. Convenit etiam *Act.* XX. 29: Ἐγὼ οἶδα τοῦτο, ὅτι εἰσελεύσονται μετὰ τὴν ἄφιξίν μου λύκοι βαρεῖς εἰς ὑμᾶς. Hac ipsa in Epistola vs. 19 iam habuimus: οἶδα, ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται cet. Ita *scire* apud SALLUSTIUM, *Iugurth.* cap. 9. IUSTINUM, Lib. XII. cap. 15. Neque omnino aliter HORATIUS, *Carm.* Lib. III. carm. 5 de REGULO, *Carthaginem* redeunte:

Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet cet.

Imprimis comparanda est ipsius PAULI vox *Act.* XX: 25: Καὶ νῦν, ἰδού, ἐγὼ οἶδα, ὅτι οὐκέτι ὄψεσθε τὸ πρόσωπόν μου ὑμεῖς πάντες, ἐν οἷς διῆλθον κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Quibus annunciat, Presbyteros Ephesios ceterosque homines, quorum terras peragrasset ad regnum CHRISTI Divinum propagandum, faciem suam non amplius adspecturos esse. Atqui illud adversus ea, quae ad *Philippenses* scripsit, multo magis vero adversus sententiam, Apostolum, captivitate liberatum, denuo in *Asiam* rediisse, repugnat, nisi verbum οἶδα ibi de *praevidendo* explicetur, *quod eventu non comprobatum sit.* Equidem vero, ut mihi constem, utroque in loco hoc Verbum explicare malo *praevideo.* Neque Epi-

stolam, in qua versamur, aliam ferre explicationem, luculenter apparet ex. Cap. II: 17, 23, 24, ubi auctor se inter spem vitae metumque mortis fluctuare prodit. Accedit, quod vix credi potest, eum supra vs. 22, 23, 24 scripturum fuisse *Philippensibus*, quantum inter vitae et mortis optionem haereret, si certo sciret fore, ut brevi moreretur. (1) Quae cum ita sint, sine scrupulo hunc locum sic interpretor: ***Et vitae meae conservationem rei Christianae magis necessariam esse confidens, praevideo fore, ut in vita maneam, et vobiscum omnibus longo adhuc tempore permaneam.*** Quae interpretatio confirmabit iudicium THEOPHYLACTI, CALVINI aliorumque, quos iam praecessise videtur CHRYSOSTOMUS, hinc intelligi non posse, PAULUSne ad *Philippenses* redierit, an non redierit. Ceterum recte iam Veteres monuerunt, Pronomine ***ὑμεῖς,*** aeque atque in Versu superiori, non solos spectari *Philippenses*, sed et alios quoscumque CHRISTI sectatores, qui tunc viverent.

Quid se, diutius cum sectatoribus CHRISTI *Philippensibus* vivendo, effecturum auguretur, sic exponit auctor: *εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίστεως.* PELAGIUS haec iam traiecit, mirifice sane interpretans: ***ut profectum de fructu fidei vestrae et gaudium habeatis***, sive ***ut gaudeatis, quia vestra me fides et oratio conservavit.*** Aeque incommodam huic loco, et aliam qualemcunque traiectionem, et Hendiadyn esse, WOLFIUS (2), multique cum eo Interpretes docuerunt. Quod autem ait MIDDLETONUS (3), Genitivum *τῆς πίστεως* ad Accusativum utrumque praecedentem referri, quoniam alteri Articulus *τὴν* praepositus sit, alteri non item, se quidem, ut primum legitur, valde commendat. Sed haud scio, an argumentatio eius labefactetur Pronomine interiecto

(1) Cff. Disputata in *Introitu* p. 20 sqq.

(2) In *Curis Phil.* ad h. l.

(3) *The Doctr. of the Greek Art.* cet. ed. ROSE. p. 368.

ὑμῶν. Ego certe PAULUM, si voces τῆς πίστεως haud secus cum remotiore, quam cum propiore connecteret, scripturum fuisse puto: εἰς τὴν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίστεως ὑμῶν, vel ε. τ. π. κ. χ. ὑμῶν ἐν τῇ πίστει. Verum quidni verba sumamus, ut scripta sunt, *ad profectum vestrum et gaudium fidei? Profectus* est progressio perpetua in omni pietate et virtute Christiana, uti 1 *Tim.* IV: 15, ubi vox προκοπή etiam absolute posita est. *Gaudium fidei* non significat *gaudium meum*, ut interpretantur VATABLUS et WETSTENIUS, Pronomen praecedens ὑμῶν negligentes et orationis seriem pervertentes; sed *gaudium vestrum*, et quidem *fidei*, id est, quod ex fide proficiscitur. Similiter Genitivus causae, quem recte SLICHTINGIUS huius loci esse monet, legitur 1 *Thess.* I: 6 et alibi. PAULUS igitur dicere vult: *ad iuvandos progressus vestros in pietate et virtute vestrumque amplificandum gaudium, quod ex fide proficiscitur.*

Iam novum quendam Apostolus proponit finem, si CRELLII aliorumque valet iudicium, a quo MATTHIESIUS haud longe discedit, propiori effectui vitae PAULI remotiorem et quidem generalem eius consequentiam adiungi putans. Sed dubitandum videtur, an Interpretes vulgo orationis seriem perspexerint. Mihi certe persuasum est, auctorem versu superiori generatim tantum attigisse fructum inde percipiendum, quod una cum *Philippensibus* hac in vita permaneret; sed hoc versu, ne illis fraudem faceret cogitatio, eum *Romae* esse, mentem ita explicasse, ut ulterius procederet. Hoc igitur agens scripsit: ἵνα τὸ καύχημα ὑμῶν περισσεύῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐν ἐμοὶ διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας πάλιν πρὸς ὑμᾶς. Sic enim verba, deleto commate, quod interpositum est, cum LACHMANNO, coniungere placet, ne copulata divellantur. Oratione autem paulo diligentius considerata, nemo amplius rogabit, an falsa sit interpretatio CHRYSOSTOMI: ἵνα ἔχω καυχᾶσθαι ἐν ὑμῖν μειζόνως. Atque hoc inde quoque intelligimus, quod Nomen vel Pronomen, vocibus καύχημα et

καύχησις in Genitivo postpositum, denotare solet *eum*, *qui gloriatur*, uti 1 *Cor.* V: 6. 2 *Cor.* I: 12, 14. VIII: 24. IX: 3. Haud dubie bene se habet plerorumque sententia, *gloriationem Philippensium* praedici. Iam insolenter verbo *περισσεύῃ* adiectum est *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐν ἐμοί*, si rem Graecorum usu metimur; Hellenistarum vero ratione habita, non item. Hi enim, ad Hebraeorum breviloquentiam, enunciationi, a Praepositione *ἐν* incipienti, similem continuo adiiciunt ad dicendum, quod illi pluribus dicunt verbis et magis perspicue. Exemplo nobis cum maxime sit *Col.* II: 7, ubi verba *περισσεύοντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ* docent, utroque loco Praepositionem a verbo pendere (1). Quod si adhibemus ad PAULI dictum, quo nunc occupamur, explicandum, iam statim videbimus, nequidquam agere, qui voces *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* traiiciant, ut cum praecedentibus *τὸ καύχημα ὑμῶν* connectantur. Deinde collatis, quae supra ad vs. 9 disputavimus, cuivis facile persuadebitur, auctorem incrementa non significare *τοῦ καυχήματος*, sed eius, quod una cum Praepositione verbo subiectum est. Iam vero, cum loquendi usus dubitare non sinat, quin subiectum illud *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* idem valeat atque *in communione* CHRISTI IESU, sequitur, sibi velle Apostolum: *ut communio* CHRISTI IESU, qua vos *Philippenses* utimini, *incrementa capiat*, et quidem ut haec incrementa *ad laudationem vestrae beatitatis*, *quam in Christo habetis* (2), *accedant* eamque ornent et amplificent. Hoc autem optans, ut *in se* (*ἐν ἐμοί*) fiat, nihil aliud optare videtur, quam *ut incrementorum causa in se cernatur*, vel *ut ipse hoc faciat*: quemadmodum in Epistola

(1) Alia reperiri possunt exempla *Neh.* IX: 10. XIII: 6. *Rom.* I: 9. *Eph.* I: 3. *Testam.* XII. *Patriarch.* apud FABRIC. *Cod. Pseudep.* V. T. Vol. I. p. 539.

(2) Nemo facile negabit *gloriatione* dici *laudationem*. Et *huius* quidem *beatitatis* laudationem auctori in mente fuisse, intelligimus ex oratione contexta, unde formulam *τὸ καύχημά τινος*, absolute positam, supplendam esse ostendunt loci similes 1 *Cor.* V: 6. IX: 15. cet.

ad *Colossenses*, *ut gratus animus uberiorem faciat fidem.* Qua interpretatione constituta non pendebimus ab arbitrio sensus obscurioris, quo multi VV. DD. feruntur, cum alii eorum verba *ἐν ἐμοί* exponant *quod attinet ad me*, alii *propter me*, alii *de me*, alii aliter. Neque ab errore sibi omnino cavent, qui, illa exponentes *per me*, Epexegesin quaerunt in adiunctis *διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας* (*γενομένης*) *πάλιν πρὸς ὑμᾶς*, *per reditum meum*, *quo vobiscum sim.* Haec enim cum ceteris, nisi fallor, arcte copulata sunt, ut explicet PAULUS, quomodo ipse incrementorum auctor esse possit. Mens eius haec esse videtur: *ut ad vos reversus auctor vobis sim in communione illa* CHRISTI, *cuius beatitatem laudare soletis*, *maiores progressus faciendi*, nempe, pietate et virtute Christiana uberius colenda.

VERS. 27, 28.

Interim vero ipsorum *Philippensium* esse monet, *ut*, *societatis*, *ad quam admissi sunt*, *munia obeant quemadmodum decet homines*, *qui* CHRISTI *doctrinam profitentur.* Hoc enim sibi vult scribendo: *ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ πολιτεύεσθε.* Verbo *πολιτεύεσθαι* vim suam adimunt, qui illud cum HESYCHIO interpretantur *ἀναστρέφετε*, quod locis etiam a MUNTHIO et WETSTENIO allatis defendi nequit. Mecum consentit MATTHIESIUS. Sed plura dicam ad *Cap.* III: 20. Praemissum autem est Adverbium *μόνον*, non solum, ut commodus fieret transitus, sed etiam, ut praecepti gravitas in luce poneretur. Haud male CHRYSOSTOMUS vocem sic explicat: *τοῦτό ἐστι τὸ ζητούμενον μόνον, καὶ οὐδὲν ἄλλο.* Latine scribi potest: *Vos vero hoc unum curate*, *ut* cet. Similiter Adverbium *μόνον Gal.* V: 13 aliisque locis, ubi verborum tanquam agmen illo ducitur.

Quae sequuntur, secundum Editionem receptam: *ἵνα εἴτε ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ὑμᾶς, εἴτε ἀπών, ἀκούσω τὰ περὶ ὑμῶν*, minus facilia sunt. Plerique, quibus et assentitur MATTHIESIUS,

verbum ἀκούσω cum sequentibus ὅτι στήκετε coniungunt, media vero τὰ περὶ ὑμῶν, ut vertendo reddunt *quod res vestras attinet*, ita absolute posita esse putant. Sed sic in orationem inducitur redundantia, quae, quamvis HEINRICHSIUS eam sibi non offensioni esse declaravit, tam ingrata tamen et ab omni sermone aliena videtur, ut ferri prorsus nequeat. Quod post GROTIUM contendit ENDIUS, Articulum τά hîc in vicem Pronominis ταῦτα successisse, iam supra (1) vidimus a dicendi ratione scriptoribus Novi Testamenti usitata recedere: quare et frustra ad hanc permutationem probandam excitantur *Marc.* IX: 23 et *Rom.* XI: 29. Itaque nihil aliud restat, quam ut verba ἀκούσω τὰ περὶ ὑμῶν, nexu suo iis relicto, secundum notionem vulgarem, interpretemur *audiam res vestras:* quae et aliorum, et STORRII sententia est. At vero talis est adhortatio praecedens, ut ne credere rursus possim, PAULUM ei hoc adiecisse, sed requiram omnino *audiam bona* vel *laudabilia de vobis*, vel tantum *audiam de vobis*, quod habent *Syrus Vetus* et *Vulgatus Latinus*, hoc nomine laudati a LAUNAEO aliisque. Quid igitur? An premenda sunt huius utriusque Interpretis vestigia, ut Articulum τά hinc expellamus? Immo Graecis in libris omnibus Articulus legitur; ab illis vero nulla alia de causa omissus esse videtur, quam quod ferri non poterat secundum orationis, quam faciebant, structuram. Breviter dicam, medelam huic loco multo tutiorem adhiberi, si sumamus, ei cogitando aliquod inserendum esse verbum, quod festinatione auctor reticuerit. Et verbum quidem εὐφρανθῶ formulae τὰ περὶ ὑμῶν subiungendum esse diserte monuit OECUMENIUS. Quod fortasse etiam CHRYSOSTOMO, THEODORETO et THEOPHYLACTO placuit. Equidem vero ex superioribus repetere malo ἀκούσω, ut oratio sic constituatur: ἵνα, εἴτε ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ὑμᾶς, εἴτε ἀπὼν ἀκούσω τὰ περὶ

---

(1) *Introit.* p. 2, 3.

ὑμῶν, *ἀκούω* cet. id est *ut*, *sive cum venero et vos video*, *sive absens auditurus sum de rebus vestris*, *audiam*. Haec tamen mea minus est coniectura, quam CALVINI, qui orationem vel reddendam esse putat: *ut sive veniens*, *videam vos; sive absens*, *audiam de vobis quod stetis;* vel, si hoc displiceat: *ut*, *sive quum venero*, *et videro vos; sive absens*, *audiam de statu vestro; intelligam utroque modo*. Atque ita plus semel in Epistolis PAULI verbum, quod semel scriptum est, repetere debemus, uti 2 *Cor*. I: 6. VII: 12, fortasse etiam *Rom*. III: 8 (1).

Quid PAULUS intelligere vel audire velit, sic cum lectoribus communicat: *ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου*. CHRYSOSTOMUS nobis hanc praeivit distinctionem: *ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι καὶ μιᾷ ψυχῇ*, *συναθλοῦντες* cet. quae tamen reprehendenda iam est, si ad vocem *πνεύματι* attendimus. Me quidem non fugit quod recentiori maxime memoria multi, GROTIO duce, iudicarunt Interpretes, *animi affectionem* ea significari. Sed ad hanc notionem ei vindicandam frustra cum STORRIO praesidium quaeritur in *Num*. V: 14. 1 *Cor*. IV: 21. 1 *Pet*. III: 4, ubi adiuncta sunt, quae eam sic interpretari cogant. Contra vero loci, ubi legimus *ἓν πνεῦμα*, vel *τὸ αὐτὸ πνεῦμα*, uti 1 *Cor*. XII: 13. 2 *Cor*. IV: 13. *Eph*. IV: 4, ita se habent, ut nihil aliud intelligi possit, quam *Spiritus Sanctus*, quem auctor etiam vs. 19. cap. II: 1 laudavit. Deinde valde improbabilis est distinctio proposita, quoniam Particula *καί*, quam CHRYSOSTOMUS orationi inseruit, secundum testimonia librorum Veterum optimorum hîc admitti nequit;

(1) Multa omissionis suppeditant exempla GLASSIUS Tom. I. p. 332, 333, 632 sqq. WINER. p. 521 sqq. Bos. p. 8, sed pleraque talia sunt, ut cum hoc PAULI loco minus conveniant. CICERONI autem in *Epistolis* usitatum fuit semel tantum scribere verbum, quod bis scribi debuerat: ut Lib. XVI *ad Famil*. Ep. 5 *poteris* pro *poteris facere*. Ep. 14 *possis* pro *possis valere* cet.

at vocem tamen *ψυχή*, si cum *πνεῦμα*, *καρδία* vel simili connectenda est, praecedere solet, uti *Matth.* XXII: 37. *Act.* IV: 32. 1 *Thess.* V: 23. Quare RHEINWALDO aliisque obtemperans, verba ὅτι *στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι* commate a sequentibus seiungo et interpretor: *vos in una eademque Spiritus Sancti communione firmiter stare.* Imaginem, a militibus vel athletis petitam, tollere nolo, quoniam Apostolus eam per totam orationem persequitur, quemadmodum in aliis etiam cernitur locis, a RHEINWALDO et MATTHIESIO excitatis. Quomodo autem *Philippenses*, militum seu athletarum instar, stare debeant, ostendit auctor dicendo: *eadem omnes mente concertantes pro fide, quam Doctrinae Christianae habetis.* Sed hac in interpretatione esse video, quod et defensione indigeat et illustratione. Participium nempe *concertantes*, *συναθλοῦντες*, vel explicari potest *vos mutuo in certamine adiuvantes*, vel *coniunctim adiuvantes me.* Illud CHRYSOSTOMO et plerisque placuit, hoc paucioribus, praeeunte LUTHERO, sed, ratione habita eorum, quae vs. 30 et cap. IV: 3 leguntur, maiori, ut arbitror, iure. Ingeniose quidem MYNSTERUS PAULUM dicentem facit: *partem in vosmet suscipientes certaminis, quod agendum est fidei:* at hoc tamen probare non possum, quoniam vocabula *μιᾷ ψυχῇ* indicare videntur, Apostolum in mente habuisse certamen *Philippensium proprium*, non vero cum aliis CHRISTI sectatoribus, se uno excepto, commune. Interpretatio autem ERASMI: *adiuvantes decertantem fidem Euangelii*, tam longe quaesita est, ut in censum venire nequeat. Vocem quod attinet *πίστει*, non reddidi eam *fide*, aut *per fidem*, ut post BEZAM aliosque eam reddere iussit RHEINWALDUS, sed *fidei*, vel, ut perspicuitatis causa scribebam, *pro fide.* Eiusdem sententiae est MATTHIESIUS, Dativum *commodi*, scriptoribus antiquis valde usitatum, hic legi monens (1). Et

(1) Cf. WINER. l. c. p. 188.

bene tenendum est, voce illa *ipsam* significari *Philippensium fidem*, minime vero *fidei doctrinam*, quae nusquam, si bene memini, vocatur, aut vel vocari potest ἡ πίστις τοῦ εὐαγγελίου. Quare interpretationi propositae non obstant verba simillima *Iud.* 3: ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει. Sed IUDAS quoque *ipsam fidem* in mente habuisse videtur. Ceterum de re ipsa lectu digna sunt, quae iam monuerunt CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS.

Quales autem esse deberent *Philippenses*, ut firmi starent atque immobiles, PAULUS docuit adscribens: καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων. Participium πτυρόμενοι, quod ab equis consternatis ad homines translatum esse, ex locis intelligimus a MUNTHIO, KYPKIO, WETSTENIO congestis, *eos* significat, *qui se consternari sinunt.* Hoc vero ne *ulla re* fieret, auctor Participio addidit vocabula ἐν μηδενί. Quaeritur tantum, quomodo sequentia ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων exponenda sint? Num forte de doctoribus falsis, qui superstitionem Iudaeorum cum vera doctrina commiscebant? Ita FLATTUS aliique multi. Sed οἱ ἀντικείμενοι 1 *Cor.* XVI: 9 sunt *adversarii religionis Christianae*, neque me in PAULI Epistolis locum legere memini, ubi huic voci aliam notionem tribuere cogamur. In loco autem, in quo nunc versamur, oratio contexta, ut SCHINZIUS bene demonstravit, hanc sibi interpretationem omnino postulat. Apostolus igitur dicit: *et ita quidem, ut vos nulla plane re ab adversariis* CHRISTI *consternari sinatis, ad causam Eius deserendam.*

Quanti haec constantia ducenda sit, ostendunt ea, quae sequuntur: ἥτις ἐστὶν αὐτοῖς ἔνδειξις ἀπωλείας, ὑμῖν δὲ σωτηρίας. Nam recte GRIESBACHIUM, LACHMANNUM, SCHOLZIUM, GOESCHENIUM pro αὐτοῖς μέν ἐστιν, quae in Editione recepta leguntur, substituisse ἐστὶν αὐτοῖς, nemo prudens infitiabitur. Dubium magis est, Dativus ὑμῖν retinendus sit, an corrigendus Genitivo ὑμῶν, ut iudicium fert MATTHIESII aliorumque. Ab utraque parte testes stant boni et antiqui. Geni-

tivus in Dativum mutari potuit, ut praecedenti Pronomini *αὐτοῖς* esset, quod responderet ei: Dativus rursus in Genitivum, quoniam non intelligebatur, quomodo illud, quod supra dictum erat, *ipsis Philippensibus ἔνδειξις σωτηρίας* fuisset. At suspicor tamen PAULUM, si Genitivo usus esset, voci *ἀπωλείας* postpositurum fuisse Pronomen *αὐτῶν*, quod ante *ὑμῶν* quodammodo requiri videtur. Quae cum ita sint, haereo quidem, sed ita tamen, ut multo propensior sim ad iudicium plerorumque Criticorum probandum. Interpretationem verborum quod attinet, nemo, putaverim, HEINRICHSIO paucisque aliis, qui Pronomen *αὐτοῖς* ad vocem *ἀπωλείας* referunt, calculum adiiciet, animum modo cum MATTHIESIO, et ad *locum*, ubi illud positum est, et ad *casum* eius attenderit. Recte itidem Vir Doctus Articulum *ἥτις*, quamvis ad praecedentia respiciat, secundum frequentem Graecorum usum, in feminino genere scriptum et cum voce *ἔνδειξις* copulandum esse monet. Minus recte tamen contendit, sensum orationis eodem redire posse, sive Genitivus Dativo, seu hic illi praeferatur. Si enim legimus *ὑμῶν*, *adversariis ἔνδειξις* quaedam esse dicitur utriusque, et *ἀπωλείας*, et *σωτηρίας*; at vero alterius tantum *adversariis*, alterius *ipsis Philippensibus*, si retinemus, quod vulgo editum est. Iam verbo monere sufficiet, voces *ἀπωλείας* et *σωτηρίας* inservire quidem ad persequendam imaginem a certamine petitam; nec tamen cum MICHAËLE de *clade* et *victoria* sumendas, sed exponendas esse *perniciei* et *salutis*, ne notio iis affingatur nova et a PAULI scriptis aliena. Hoc autem Apostoli dictum minus laboris facturum fuisse puto Interpretibus, si, inde a CHRYSOSTOMO, animadvertissent omnes, in Pronomine *αὐτοῖς*, ut et in sequenti *ὑμῖν*, si hoc genuinum est, eundem *Dativum* cerni *commodi*, qui in Versu superiori deprehenditur. Hinc enim intelligimus, sententiam: *Quod illis quoddam est indicium perniciei*, *vobis vero salutis*, non significare, quid homines *revera viderint*, sed quid *videre*

potuerint: ut ea sic bene explicetur: *Haec vestra constantia vestris quidem adversariis tanquam* (1) *perniciem augurat, vobis vero salutem.* Haud dissimile est, quod legimus in locis, a MILLIO (2) excitatis, *Rom.* VIII: 17. 2 *Tim.* II: 12, praesertim 2 *Thess.* I: 5 sqq. ubi etiam constantia sectatorum CHRISTI *ἔνδειγμα* dicitur beatitatis eos manentis. Nec nobis obstat usus vocis *ἔνδειξις Rom.* III: 25, 26. 2 *Cor.* VIII: 24, sive ea vertendo redditur *indicium*, seu *demonstratio* vel *argumentum*, uti a CALVINO, qui merito reprehendit *Vulgatum Latinum*, quod scripsit *causa* (3). Ceterum PAULI mentem, praeter alios GROTIUS, CRELLIUS, COCCEIUS iam probabiliter assecuti sunt. Sed ad omnem orationis sensum bene intelligendum necessaria est comparatio verborum, quae proxime sequuntur.

Nimirum duplex esse potest augurium, alterum humanum et dubium, alterum Divinum et certum. Huius igitur discriminis haud immemor adscripsit PAULUS *καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ.* Sunt quidem, qui cum CLEMENTE *Alex.* (4) formulam referant ad sequentia, ut sensus prodeat: *et hoc a Deo est, vobis favorem praestitum esse* cet. Sed hac structura et orationis perpetuitas tollitur, et vero negligitur loquendi usus: si quidem formula plane similis 1 *Cor.* VI: 6. *Eph.* II: 8, et in ceteris omnibus, nisi fallor, Novi Testamenti locis, in quibus exstat, ad praecedentia referri debet, uti et supra vs. 19, 22, 25 *τοῦτο* et *καὶ τοῦτο.* Ergo tantum restat quaestio, quomodo haec verba cum praecedentibus conne-

---

(1) Negligenda non esse videtur notio vocis compositae -ῆτις. cff. dicta in *Introit.* p. 6.

(2) *Nov. Test. Graec.* ad h. l.

(3) Frustra ESTIUS et CORNELIUS A LAPIDE *Vulgati* interpretationem tueri conantur monendo, *ostendere* saepe dici pro *facere*. Quod etiamsi verum sit, cave, hinc sequi credas, vocem ἔνδειξις notionem habere *causae*, quam tamen VICTORINUS aliique Veteres ei iam perperam tribuerunt.

(4) *Strom.* Lib. IV. p. 604.

ctenda sint. Nonnulli, uti CALVINUS, FLATTUS, spectari putant vocem σωτηρίας, ut sensus sit: *et illud, vos salutem consecuturos esse, a Deo est.* GROTIUS vero et plerique Interpretes, quorum in partes etiam ivit MATTHIESIUS, hanc mentem tribuunt auctori: *et illud, adversarios quidem perituros, vos vero salutem consecuturos esse, a Deo est:* ut τοῦτο vocem ἀπωλείας aeque spectet ac σωτηρίας. Sed alterum gravitatem dicti ἐστιν αὐτοῖς ἔνδειξις ἀπωλείας imminuit; alterum improbabile est, quoniam PAULUS in Singulari scripsit τοῦτο, non in Plurali ταῦτα, quae 1 *Cor.* VI: 6, 8, 11 perspicue distinguuntur. Utrumque vero, si quid video, et seriem orationis perturbat, et locis obstat supra memoratis, ubi formula plane similis nobis occurrit. Ibi enim vocabula καὶ τοῦτο referre debemus ad totam dictionem superiorem, non ad maiorem, minoremve eius partem. Atque hinc sequitur, PAULUM hîc, scribentem καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ, omne, quod praecedit, habuisse in mente, et sibi voluisse: *Et illud quidem, constantiam vestram huiusmodi tanquam indicio esse, a Deo [profectum] est.* Aliis verbis dicit: *Et hoc sane non augurium humanum est, sed Divinum.*

VERS. 29.

Causam, cur ita dixerit, affert PAULUS hoc versu, in quo nulla difficultas est, si excipimus verba τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, de quibus valde inter se discrepant Interpretes. OECUMENIUS ea ita sumsit ac si scripsisset auctor ὑπὸ Χριστοῦ; sed hoc haud secus, quam coniecturam Anonymi apud BOWYERUM, qui ὑπὸ pro ὑπὲρ substituit, repudiandum esse, quisque sua sponte intelligit. CALVINUS aliique ea cum *Vulgato Latino* reddiderunt *pro* CHRISTO; sed sic quidem Articulus τὸ plane neglectus est. Quod ipsum si vel minus obstat interpretationi BEZAE *in* CHRISTI *negotio*, non video tamen, quomodo formula τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, secundum loquendi usum, hanc

notionem obtinere possit. Neque audiendi sunt, qui Ellipsi verbi ποιεῖν vel σπουδάζειν orationi affingenda pro libidine agunt et manifesto produnt, se in desperata versari causa. Quod haud dubie etiam prodidit KRAUSIUS, PAULUM in mente habuisse aiens *causam* CHRISTI *tueri*; sed generatim illud expressisse, ut continuo sigillatim et per partes proponeretur. Nuperrime MATTHIESIUS dictum τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ eodem modo, ac prope praecedens τὰ περὶ ὑμῶν, explicandum esse statuit, ut sibi voluerit auctor *quod attinet ad* CHRISTUM. Atque haec sententia aliis iam ante placuit bene multis. Sed ut praesidium non habet in verbis τὰ περὶ ὑμῶν, quae cum superiori ἀκούσω connectenda esse vidimus, sic ferri nequit, nisi cum CAMERARIO, et quidem sine causa, sumatur, Praepositionem ὑπέρ pro περί scriptam esse. Nec praetermittendum est, hunc etiam in locum ingratam importari redundantiam, si dictum tale orationi inseratur. Minus sane reprehendendus mihi videtur GROTIUS, qui PAULO aperte *Pleonasmum* tribuit; quamvis ne hanc quoque sententiam probandam esse puto, nisi ea correctionem subeat. Atqui huius correctionis adhibendae viam quodammodo STORRIUS, HEINRICHSIUS, PALMIUS, RHEINWALDUS, et multo ante CORNELIUS A LAPIDE, SLICHTINGIUS, HEINSIUS, COCCEIUS monstrarunt: quorum consiliis adiutus, dicam quod sentio. Auctor lectores suos, ut vidimus, monuit supra, si firmi et interriti starent in fide, talem hanc esse constantiam, ut divinitus tanquam adversariis eorum perniciem, iis vero salutem auguraretur. Iam grave, quo illud confirmaretur, argumentum in eo erat, quod ipse Deus *Philippenses* ad atrocia quaevis viriliter patienda vocaverat. Hoc igitur nunc utitur PAULUS; nec vero satis habet iis vocationem illam proponere, sed scribere incipit, singularem in illa cerni, quem Deus iis praestiterit, favorem. *Nam vobis*, ait, *favor ille praestitus est, ut pro* CHRISTO, et adiicere vult *atrocia quaevis pateremini*. Sed se adiecturum videt, quod, quamvis frequenter illud in

ore ferat (1), Paradoxon tamen haberi possit. Quid igitur? Animum impelli sentit ad homines hac in causa diutius tenendos. Et tenet eos, quemadmodum fieri solet in collocutione vitae communis. Rei enim gravissimae magis quam verborum curans, orationem sic persequitur: *non solum (inquam), ut eum fide amplecteremini, sed ut pro causa eius atrocia quaevis etiam pateremini.* Atque huic interpretationi haud scio, quid iure opponi possit, si modo meminerimus, PAULUM non Philosophorum more scripsisse, sed populariter, ut scriptio eius omnibus obnoxia esset affectionibus animi, quae in sermone familiari se produnt. Similis autem orationis negligentia, ut HOOGIUS ostendit, se offert *Rom.* III: 25, 26. 1 *Cor.* VIII: 1-4. *Eph.* I: 13. II: 1-5, 11-13, item *Eph.* III: 1. Ceterum Verbum πάσχειν, ut Scriptorum Sacrorum mos est, dici pro κακῶς πάσχειν, res ipsa loquitur.

VERS. 30.

Oratio quomodo procedat, VV. DD. inter se disputant. Nonnulli Participium ἔχοντες coniunxerunt cum praecedentibus στήκετε, συναθλοῦντες, πτυρόμενοι, uti BENGELIUS, MICHAËLIS et haud ita pridem LACHMANNUS: sed ne illud ab his longius distare dicam, quam ut commode coniungi possint, animadvertendum est, notionis diversitatem huic nexui non favere: si quidem alterum *Philippensium conditionem* significet, alteris *eorum officia* proponantur. Quod STORRIUS et FLATTUS putant, huic Versui cogitando praemittenda esse verba οἵ ἐστε, orationem facit frigentem, nec probari potest comparatione *Col.* III, 16, ubi διδάσκοντες non scriptum est pro οἵ ἐστε διδάσκοντες, sed pro ὥστε ὑμᾶς διδάσκειν. Qui autem Participium ἔχοντες positum esse sumunt pro καὶ ἔχειν, sumunt haud dubie, quod, et Parallelismum membrorum in

(1) REINHARDI *Opusc. Acad.* Tom. II. p. 386 sqq.

Versu superiori tollit, et Particulis ἀλλὰ καί dissuadetur. Nec valde se commendat, quod BEZAE, GROTIO aliisque magnis Viris placuit, Nominativum ἔχοντες positum esse pro Dativo ἔχουσιν, qui aeque ac Pronomen ὑμῖν ad verbum ἐχαρίσθη referendus sit. Nam hac Enallage, si vel concedatur, locum ei dari posse, formula τὸν αὐτὸν ἀγῶνα ἔχοντες ad Verbum etiam πιστεύειν, ad quod non pertinet, refertur, et plus *Philippensibus* tribuit, quam iis tribuere voluit auctor. Quod uti vidit MATTHIESIUS, sic veram ingressus esse videtur viam, Participium ἔχοντες Verbo πάσχειν annectens et *Eph.* III: 18 et IV: 2. comparans (1). Hi enim loci docent, PAULO, si in praeceptis dandis seu votis nuncupandis versaretur, more fuisse receptum, ut Nominativum Participii cum Infinitivo coniungeret, et eo quidem consilio, ut altero alterum explicaret. Quare, iustam in reprehensionem non incurram, si verba τὸν αὐτὸν ἀγῶνα ἔχοντες interpretor: *ita ut idem illud habeatis certamen.* Iam sequuntur in Editione recepta οἷον ἴδετε ἐν ἐμοὶ, καὶ νῦν ἀκούετε ἐν ἐμοί. Sed pro ἴδετε scribendum puto cum MATTHAEO, VATERO, LACHMANNO, SCHOLZIO, GOESCHENIO εἴδετε, quod mutasse videntur librarii, quia, aut nesciebant hoc esse Aoristum, aut formam eis praeferebant magis usitatam et vulgo cum verbo ἀκούειν compositam, uti etiam supra vs. 27. Utrumque saepe in libris MSS. confundi, notavit SCHWEIGHÄUSER in *Lex.* HEROD. Fortasse quis mirabitur, Verbum ἀκούετε, aeque atque εἴδετε, post se habere Praepositionem ἐν. Hinc vero, quaeso, ne cogat cum ENDIO aliisque, credendum esse Lexicographis, qui illi Praepositioni notionem Latinae *de* tribuant: quemadmodum iam interpretatus est AMBROSIASTER. Sed PAULUS ea idcirco bis usus est, quod reticebat Participium ὄντα: quae breviloquentia in scriptis auctoris, ad imitationem Hebraeorum, frequentissima est.

(1) Minus convenit *Col.* III: 16, ubi Verbum non infinitum, sed finitum Participio praepositum est. Cff. quae excitat WINER. p. 497, 498.

Exemplo nobis sit 1 *Cor.* V: 1: Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία: quod non est: *vestro in ore et sermone omnino est impudicitia*, nam Apostolus offenditur negligentia et quasi torpore Corinthiorum; sed *auditur omnino* vel *fama fert*, *esse in vobis*, vel *vestra in societate impudicitiam*, ἐν ὑμῖν οὖσα vel ὑπάρχουσα, uti cap. XI: 18: ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν. In Praesenti autem scripsit ἀκούετε, quoniam Praesens una cum Praeterito comprehendebat, ut aliis in locis, quos excitavit WINERUS p. 243, 244. Rem nempe memorabat, quam *Philippenses* nondum audire desinebant. Monitio igitur Apostoli haec est: homines illos in eodem plane versari discrimine, in quo ipse et *Philippis* versatus esset, cum flagellis eum caedi, in carcerem coniici, urbe educi viderent, et nunc, ut fando audiverant et audire pergebant, *Romae* versaretur captivus, miseriisque et aerumnis obnoxius. Haud multo aliter verba eius iam interpretati sunt CHRYSOSTOMUS et THEOPHYLACTUS. Illo autem dicto *Philippenses* ad constantiam et alacritatem excitare conatur, quippe mala tantum, quae cum iis ipse communia habuisset et haberet, et nihil novi subire coactos. Quod ut PELAGIUS iam notavit, ita SCHINZIUS et MATTHIESIUS summo iure occurrerunt HEINRICHSII sententiae, dicam, an commento, Apostolum, adversarios memorantem, *Philippensibus* non preposuisse praesentia, sed futura praedixisse.

CAPUT SECUNDUM.

VERSUS 1, 2.

Haud pauci Interpretes hoc in loco tractando ita versantur, ac si dicendi argumentum vel novum invenerint, vel certe cum superiori minus cohaerens. Fortasse uni alterique fraudem fecit prava Capitum divisio: sed eos in viam reducere potuerat Particula *οὖν*, cuius quidem vim recte observarunt COCCEIUS, BENGELIUS, PIERCIUS, MICHAËLIS, alii. Quamvis enim concedo WINERO (1), illam haud raro orationis tantum continuationi inservire, nusquam tamen ea, quantum memini, sententiae graviori et oratoriae inserta est, quin *proponi* significet *quod ex praecedentibus sequatur*. Una superest quaestio, utrum Versum primum an alterum huius Capitis cum praecedentibus connectat. Sed si animadverterimus, hunc quidem continere, quae argumenti supra tractati affinia sint, illum non item, in responsione sane non haerebimus. Ergo hanc facimus verborum structuram: *πληρώσατε οὖν — φρονοῦντες· εἴ τις παράκλησις — οἰκτιρμοί.* Atque ita Particulae saepissime, quamquam in priore sententiae parte positae sunt, ad posteriorem referri debent, ut lectorem docere poterunt *Luc.* XVI: 11. *Rom.* XII: 20.

(1) l. c. p. 416. Cff. MATTHIAE. p. 901, 902. *Annot. crit.* subiecta HEMSTERH. *et* VALCKEN. *Oratt.* p. 396 et qui ibi laudantur.

Col. III: 1 et alii loci. Comparari quodammodo meretur illud VIRGILII (1):

Praeterea, si qua est HELENO prudentia, vati
Si qua fides, animum si vatis implet APOLLO,
Unum illud tibi, Nate Dea, praeque omnibus unum
Praedicam.

Verum hac disputatione multum lucis nondum allatum est sententiae, cuius obscuritas, ex dicendi maxime brevitate exorta, inenarrabile fere interpretationis peperit discrimen. Periculum igitur faciamus, quantum caliginis nobis discutere contingat. Quod in principio legimus: *εἴ τις παράκλησις ἐν Χριστῷ*, ut supplendum est verbo *ἐστι*, ita triplicem admittit orationis structuram. Sed quae primum in mentem venit *εἰ παράκλησις ἐν Χριστῷ τις ἐστι*, ut vocabula *ἐν Χριστῷ* inserviant explicationi praecedentis *παράκλησις*, me iudice, ferri nequit, quia Nomini illi praefixus non est Articulus, sive *τοῖς*, seu *ἡ*. Hinc sequitur, nec assentiendum esse BEAUSOBRIO (2) aliisque, verba *ἐν Χριστῷ* reddentibus *qui Christiani sunt* vel similiter, neque iis etiam, qui cum CALVINO scribant CHRISTI, vel *quae in* CHRISTO *est*. Haud secus improbanda videtur ratio STORRII, FLATTI et quorundam antiquiorum, vocabula *εἴ τις ἐστί* interpretantium: *si quid apud vos valet*. Altera enim, qua haec ratio nititur, structura: *εἰ παράκλησις ἐν Χριστῷ ἐστι τις* itidem sibi, ut stare possit, requirit Articulum, sed Nomini *παράκλησις*, quo illud definiatur, praepositum. Librariorum autem negligentia Articulum non omissum esse, apparet inde, quod eo carent quoque sequentia *παραμύθιον* et *κοινωνία*. Cf. 1 *Cor.* III: 7. Utique nihil nobis restat, quam orationem sic constituere: *εἰ παράκλησίς τις ἐστιν ἐν Χριστῷ*, quod iam CHRYSOSTOMO placuisse haec eius docet interpretatio: *εἴ τινα ἔχετε παρά-*

(1) *Aeneid.* III. vs. 433 sqq.

(2) *Remarq. Hist. Crit. et Phil. sur le N. T.* ad h. l.

κλησιν ἐν Χριστῷ. Quomodo tamen illud *ἐν Χριστῷ* intellexerit, Commentarius eius non perspicue ostendit. Equidem non dubito, quin eodem modo sumendum sit ac cap I. vs. 15, 26 aliisque locis omnibus, nempe: *in communione* CHRISTI, vel *societate cum* CHRISTO *contracta:* ut perperam cum WOLFIO scribatur *per* CHRISTUM, aut cum HEINRICHSIO *propter* CHRISTUM. Sed quaestio est, quid vox *παράκλησις* significet. Plerique Veteres, quos CALVINUS, GROTIUS aliique secuti sunt, ei *consolationis* notionem tribuerunt, PAULUM et hîc, et infra *Philippenses* excitasse putantes ad officia sibi Apostolo praestanda. Quod nemo aptius enunciavit quam THEOPHYLACTUS his verbis: *Εἰ βούλεσθε παράκλησίν τινα δοῦναί μοι ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου· εἴ τινα παραμυθίαν, οἵαν ἡ ἀγάπη γεννᾷ· εἰ μέλλετε δεῖξαι, ὅτι κοινωνίαν τινα ἔχετε μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πνευματικοῖς καὶ κατὰ Κύριον· εἰ σπλαγχνίζεσθε καὶ οἰκτείρετέ με ἐφ' οἷς πάσχω· ταῦτα πάντα ἐν τούτῳ μοι ἀπόδοτε, ἐν τῷ ἀλλήλους ἀγαπᾷν.* Et sane, considerato loquendi usu, eodem iure scribere possumus *consolatio*, atque *exhortatio*, quod iam ab AMBROSIASTRO scriptum et a LUTHERO aliisque probatum est, neque omnino improbatum ab OECUMENIO. Sed aliter iudicandum erit, si attenderimus ad orationem, cuius interpretatio nunc agitur. Nam primum vocem *παραμύθιον*, quomodocunque accipiatur, minus commode praecedit *consolationis* laudatio. Deinde in PAULI scriptis, sicubi *παράκλησις* de *consolatione* dicitur, ut 2 *Cor.* I: 5, 6. VII: 13, eorum expressa commemoratio est, quorum erecti vel erigendi sunt animi; hoc vero loco non item. Praeterea in oratione superiori vs. 27 sqq. ubi Apostolus de se tantum obiter mentionem facit, sed totus est in *Philippensibus* monendis, nulla cernitur causa, cur hîc ab iis consolationem petierit. Et vix credibile est, eum, cum lectores ad concordiam ducere vellet, aut meris usum esse rationibus, ex caritate sui desumtis, aut ab huiusmodi certe incitamento incepisse. Quod bene quidem animadvertit MAT-

THIESIUS, sed supervacanea videtur distinctio *admonitionis* et *exhortationis*, ab eo proposita: si quidem nemo, quantum scio, est, qui illud quam hoc scribere malit.

Iam primis verbis in sermonem Latinum sic redditis: *Si exhortatio quaedam est in communione* CHRISTI, vel *societate cum* CHRISTO *contracta*, videamus, quis sensus sit proxime sequentium: *εἴ τι παραμύθιον ἀγάπης*. Sic enim scripsisse PAULUM, minime vero *εἴ τις παραμύθιον ἀγάπης*, ut in nonnullis legitur Codd. MSS. persuasissimum erit omnibus, qui regulam illam criticam, scriptionem difficiliorem faciliori praeferendam esse, adeo urgere nolint, ut praeferant etiam, quae paucis tantum libris iisque minoris fere fidei testata, ex literarum earundem repetendarum libidine enata et prorsus absurda sit. Laudanda igitur est prudentia LACHMANNI, SCHOLZII, GORSCHENII, qui Masculinum *τις* in orationem non receperunt, quamvis GRIESBACHIUS parem ei auctoritatem ac Neutro *τι* tribuerat. Utique longe quaesitum est quidquid ad explicandum illud commenti sunt CAMERARIUS, BEZA, BENGELIUS, MATTHAEUS aliique. Nec melior tamen dux est WOLFIUS, cum sequitur Editionem receptam. Videlicet hoc loco, aeque ac 2 *Cor.* XIII: 13, beneficia CHRISTI, Dei Patris, et Spiritus Sancti laudari putans, vocem *ἀγάπης* de *caritate Dei erga homines* explicare iubet. Atqui haec caritas nusquam ita dicitur, nisi adiecto voci Articulo ipsoque Dei nomine. Et vix aut ne vix quidem Deo *παραμύθιον* adscribi potest. Obtemperandum igitur est HEINRICHSIO et RHEINWALDO, *caritatem hominum* hic spectari monentibus. Quo tamen omnis non amovetur disputandi causa. Plerique nempe, vestigia Veterum prementes, PAULUM hortantem faciunt *Philippenses*, ut solatio ei afferendo ostendant, quanta caritate eum complectantur. Sed auctorem, quamvis aeque ac 2 *Cor.* II: 8. *Gal.* V: 6 omnem huius caritatis amplitudinem sibi proponeret, *suam* tamen, *non alienam* in mente habuisse, intelligimus ex praecedenti *παραμύθιον*. Quotquot

enim hoc interpretantur *solatium*, cum in culpam incurrunt eorum, quos de interpretatione vocis *παράκλησις* reprehendimus supra; tum animadvertere negligunt, scriptores Graecos, *παραμύθιον* de *solatio* usurpantes, nec silentio prorsus praeterire solere eos, qui solatio indigeant, neque adeo malum ipsum, cuius solatium requiratur. Argumento nobis sunt loci, quos STEPHANUS et WETSTENIUS, ipse sententiae illius fautor, congesserunt. Quare generalem vocis notionem retinens, verba PAULI sic interpretor: *Si persuadens* (flexanimum) *quoddam alloquium caritatis est.* Haud multo aliter PALMIUS et MATTHIESIUS. Ceterum minus circumspecta sedulitas eorum est, qui ad sensum huius loci definiendum comparant verba 1 *Cor.* XIV: 3: *ὁ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν.* Nam quamvis similia sunt *παραμυθία* et *παραμύθιον*, res tamen ipsa loquitur, alterum, cum verbo *λαλεῖ* subiectum sit, idem atque alterum significare non posse. Maiori iure provocabimus ad ea, quae leguntur 1 *Thess.* II: 11. *Οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ, παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι*, ubi oratio tam praecedens quam sequens Participium *παραμυθούμενοι* *solatium* explicare vetat, sed PAULUS memoriam renovat crebrae exhortationis et alloquii persuadentis seu flexanimi, quibus Thessalonicenses ad pietatem et virtutem excitaverit. Nec supervacaneum erit, haec verba describere APPIANI (1): *Ἀνάγκη δέ τι καὶ τῷ στρατῷ γενέσθαι παραμύθιον ὑβρισμένῳ τε καὶ παροξυμένῳ.*

Quod nunc sequitur: *εἴ τις κοινωνία πνεύματος* difficultate non laborat. Satis enim constat hanc PAULI mentem esse: *Si per communem Spiritum Sanctum quaedam animorum coniunctio est.* Nec multum negotii interpretibus facesserent postrema: *εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί*, si id unum agendum esset, ut verba *σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί* explicaremus.

---

(1) Bell. civil. Lib. IV. cap. 10.

Quemadmodum nempe illud generatim de *quibusvis* dicitur animi *affectionibus*, quarum sedem Hebraei in visceribus ponebant; ita hoc sigillatim *affectiones* significat *caritatis erga calamitosos vel ope indigentes*. Ergo utriusque coniunctione, tantum abest, ut mera inducatur Tautologia, ut alterum altero restringatur. Quod haud temere sumi, non solum apparet ex *Col.* III: 12, ubi vox *σπλάγχνα* definitur adiecta *οἰκτιρμῶν*, vel potius *οἰκτιρμοῦ*; sed etiam ex *Iac.* V: 11, quo in loco legimus: *πολύσπλαγχνός ἐστιν ὁ Κύριος καὶ οἰκτίρμων*. Et omnino comparari meretur dictum *Prov.* XII: 10: *Δίκαιος οἰκτείρει ψυχὰς κτηνῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἀσεβῶν ἀνελεήμονα.* PAULUS autem *σπλάγχνα* et *οἰκτιρμοὺς* coniunxit oratorum more, quo significantius mentem suam enunciaret. Dicit igitur verbis vulgo editis: *Si quae sunt affectiones et affectiones quidem misericordiae erga eos, qui ope indigent:* quo nimirum *Philippenses* spectat, non *se*, aut *Deum*, ut nonnulli, invita oratione contexta, voluerunt (1). At in hac tamen interpretatione acquiescere non licet, si BENGELII, GRIESBACHII, MATTHAEI, LACHMANNI, SCHOLZII iudicium sequendum est, qui pro Neutro *τινα* Masculinum *τις* substituere iubent. Et illud quidem, ut primum legitur, correctionem manus alienae sapere, hoc vero librorum antiquissimorum testimonio satis probatum esse videtur. Sed firmiter mihi persuasum est, dictum PAULI omni omnino carere sensu, si haec admittatur mutatio. Nam quae Viri Docti, qui et hîc Verbum singulare *ἔστι* in mente habendum esse censebant, suo quisque modo tentarunt, profecto talia sunt, ut Apostolo scribendi insolentiam obtrudant, cuius et in Epistolis eius, et alibi frustra quaeritur exemplum. Qui autem Verbum *ἔχει* hîc omissum esse contendunt, sequentis, ut iam monuit ERASMUS, immemores sunt Nominativi *οἰκτιρμοί*. Deinde Veterum Interpretum nemo dictum PAULI ita in

---

(1) Cff. GROT. ad h. l. et TITTMANN. l. c. p. 68, 69.

sermonem vernaculum convertit, ut se Masculinum singulare legisse proderet: *Vulgatus Lat. Arabs Pol.* aliique sine ulla controversia Neutrum plurale reddiderunt. Tum Patrum Graecorum plurimi Editioni receptae pondus et momentum adiiciunt; etiam CHRYSOSTOMUS, qui Neutrum illud, et alibi (1), et hoc loco bis expressit; etiam testis omnium fere antiquissimus, CLEMENS *Alex.* apud quem itidem *τινα* legimus (2). Ceteri, quorum in exemplis hodie Masculinum *τις* fuisse traditur, uti OECUMENIUS, scriptionem insolentem in commentariis suis silentio tam alto praetereunt, ut ne ipsi quidem eam ante oculos habuisse videantur. Quae cum ita sint, ego KNAPPIO, VATERO, GOESCHENIO aliisque illud, quod vulgo editum est, retinentibus, plane assentior, varietates librariis deberi putans, quorum incuria vel sedulitate prava Masculinum, quippe ex eorum opinione bis vel ter praecedens, pro Neutro plurali substitutum, aut hoc rursus in Neutrum singulare *τι* mutatum sit. Nec longe tamen absum a coniectura, in Archetypo tantum fuisse: *εἴ σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί*; librarios vero, discrimen Singularis et Pluralis non animadvertentes, Pronomen huic postremae quoque dictioni deesse non posse censuisse, aliosque illud aliter scripsisse, donec nullus amplius exstaret Codex, quem corrigendi vel potius corrumpendi libido non affecisset. Equidem certe hanc similemve viam ingredi malo, quam PAULO affingere, quod omnino absurdum est.

His igitur quatuor rationibus *Philippenses* obtestari volens, auctor, ut GROTIUS aliique recte monuerunt, ad gravitatem orationi adiiciendam Particula *εἰ* utitur. Tum sic pergit: *πληρώσατέ μου τὴν χαράν.* Quibus verbis interpretandis: *quod gaudio, mihi a vobis allato, adhuc deest, explete*, et iudicibus rerum intelligentibus, uti CHRYSOSTOMO,

(1) Opp. Tom. III. p. 503.
(2) *Strom.* Lib. IV. Tom. I. p. 604.

morem gerimus, et Verbo πληρόω suam tribuimus notionem, etiam cap. IV: 18, 19. *Ioann.* III: 29. *Rom.* XV: 13 conspicuam. Haec autem cum sequentibus arctissime cohaerent, ac si scriptum sit χαρὰν ταύτην, quod Pronomen, ante Particulam ἵνα, nunc expressum est, uti *Ioann.* XV: 8. XVII: 3, nunc, uti *Ioann.* IV: 34. 1 *Cor.* IV: 3, non expressum, sed intelligendum. Scripsit nempe PAULUS: ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμψυχοι, τὸ ἓν φρονοῦντες. Sed quaestio nunc est, utrum auctor *Philippensibus* diversa officia praescribat, an diversis dicendi formulis eos ad eiusdem officii religionem impellat. Pro illa quidem parte nemo argutius disputavit quam BENGELIUS, quatuor nervis Versus primi quatuor Versu secundo respondere aiens fructus, eodem ordine. Quod, ut perversa nititur verborum interpretatione, sic orationis, commoto ex animo tanquam eruptae, omnem vim et gravitatem tollit. Lenius quidem reprehendendi, nec tamen audiendi sunt, qui cum CALVINO, BEZA, STORRIO, FLATTO multisque aliis contendunt, formulis ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε et τὸ ἓν φρονοῦντες, vel earum alterutra *officium de doctrina consentiendi* proponi. Quid enim? Nonne haec interpretatio in omne orationis et praecedentis et sequentis incurrit argumentum? Nonne ea PAULO admonitionem tribuit, quae *Philippensibus*, quantum ex hac Epistola intelligimus, supervacanea fuisse videtur? An verisimile sit, Apostolum, si admonitionem illam dare vellet, tantum scripturum fuisse τὸ ἓν φρονοῦντες, certo dici nequit, quoniam eadem formula alibi non usus est, at valde tamen dubito: sed praecedentia ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, secundum loquendi usum, aliter explicanda esse, ex quinque locis similibus *Rom.* XII: 16. XV: 5. 2 *Cor.* XIII: 11. *Phil.* IV: 2 et, ut vulgo editum est, III: 16, quos recte attulit TITTMANNUS, luculenter apparet. Atque hi loci itidem obstant Viris Doctis, qui verba τὸ αὐτό, vel cum MICHAËLE interpretantur *idem atque antea*, vel etiam *idem atque ego*. Uti-

que praestat eorum in partes ire, qui omnia hîc proposita ad eiusdem officii religionem referunt. Quod ut ipse iam suasit CHRYSOSTOMUS scribens: *Βαβαὶ, ποσάκις τὸ αὐτὸ λέγει ἀπὸ διαθέσεως πολλῆς*; sic nemo sane hoc interprete melius docuit, talem hanc non esse sententiam, ut PAULUM eadem temere repetentem et loquacem faciat. Sed sigillatim, age, dicendi formulas, quibus Apostolus utitur, lustremus. Incipit igitur ab admonitione *ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε*, id est, uti puto, *ut eodem, quidquid agatur, studio ducamini*. Iam, quomodo hoc fieri possit, continuo ostendit verbis *τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες*, ubi ex usu Participii, quamquam cum BEZA Speciem a Genere distinguere subtilius est, intelligere tamen mihi videor, haec admonitioni praecedenti substrata esse. Haud dubie autem sibi vult *omnes eadem quemque caritate complectentes*. Sed ulterius procedens, huius caritatis mutuae tanquam fontem et originem monstrat scribendo *σύμψυχοι*, *unanimes*, vel *sic affecti, ut unus idemque animus vobis omnibus inesse videatur*. Atque hoc maxime patefacere iubet eo, quod sint *τὸ ἓν φρονοῦντες*, *unum habentes, ad quod adspirent omnes per totam vitam*. Nec sine causa utitur Articulo *τό*, sed ut rem certam et definitam significet. Illud nempe unum sibi vult quod paulo inferius in CHRISTO illustre fuisse monet, ut, communi se quisque saluti devovens, vel ad crucem usque, si necessitas urget, obediant Deo. Sic deinceps crescit oratio, ardore pectoris cumulata, donec tandem lectoribus perfectionis proponatur fastigium, quo nihil maius et superius in mentem venire possit.

Iam longiore tanquam itinere per aspera peracto, consistamus paulisper ad videndum, quantum profecerimus. Ad duo igitur attendendus animus est: sensum eorum, quae his versibus continentur, et nexum, quo et singula inter se et universa cum oratione praecedenti cohaerent. Utrumque vero speramus fore, ut perspicue ex hac intelligatur circumlocutione: *Itaque vos, ut admonitionem meam, uno animo pro*

causa CHRISTI *standum et decertandum esse, revera observare possitis, exhortatione illa, quae societatis cum* CHRISTO *contractae propria est, et persuadente alloquio, quod ex caritate proficiscitur, et animorum coniunctione per eundem Spiritum Sanctum, et affectionibus benevolentiae erga eos, qui ope indigeant, commoveamini ad illud, quod gaudio, mihi a vobis allato, adhuc deest, explendum atque id omnino agendum, ut eodem omnes studio ducamini, eadem quemque caritate complectentes, sic affecti, ut vobis omnibus unus idemque inesse videatur animus, unum habentes, ad quod omnes adspiretis per totam vitam.* Iam vero tam gravi obtestatione PAULUS non usurus fuisse videtur, nisi negligentia caritatis mutuae atque inde exorta discordia *Philippis* latius regnassent, quam SCHINZIUS aliique concedere volunt.

VERS. 3.

Nunc PAULUS, si *Philippenses* ad scholae diligentiam doceret, illud CHRISTI propositurus fuisset exemplum, quod ei ante oculos obversaretur. Sed institutio popularis, qua in Epistolis suis usus est, aliter se habet quam philosopha. Priusquam igitur eo progreditur, vitiis occurrit, quorum contagione serpente fieri nequeat, ut homines ad unum illud adspirent, cuius imago in vita CHRISTI cernitur. Et cum duo maxime sint, quae ipsi in mentem veniant, utrumque sic perstringit, ut simul ostendat, quid contra quisque agere debeat. Alterum eius praeceptum hoc est: *Μηδὲν κατὰ ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν.* Pro una Particula ἢ duo vocabula *μηδὲν κατά*, quae librorum nonnullorum veterum testimonio commendantur, substituere LACHMANNO visum est et MATTHIESIO. Sed si ceteris paribus brevior scriptio alteri praeferenda est, hîc sane nihil mutandum esse puto, cum et inter se Codd. MSS. dissentiant et Patres Graeci tueantur quod Editio habet recepta. Hoc autem, nisi fallor, mutationem

subiit, quia homines iam ab antiquo cavere voluerunt, ne quis ἐριϑείαν et κενοδοξίαν inter se distinguere negligeret.

Priorem sententiae partem Μηδὲν κατὰ ἐριϑείαν ἢ κενοδοξίαν, ut stare possit, HEINRICHSIUS cum proxime praecedentibus τὸ ἓν φρονοῦντες connectendam esse monuit, Versum 3 incipere aiens a Particula ἀλλά. Atque hoc aliis quoque placuisse, nemo mirabitur, siquidem structura illa vox μηδὲν pendet a Participio, quod ea secundum distinctionem vulgarem desiderat. Sed in librorum veterum interpretatione non omne probandum esse, quod ultro se offerat, hoc ex loco iam satis intelligi posse videtur. Primum enim, si attendimus ad proxime praecedentia; τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμψυχοι, multo credibilius est, PAULUM orationem conclusisse dicto simili τὸ ἓν φρονοῦντες, quam plura aliterque desinentia ei adiecisse. Deinde dictum illud τὸ ἓν φρονοῦντες, quomodocunque explicetur, frigebit, nisi vocabula τὸ ἓν sola a Participio φρονοῦντες pendeant: quod sentiens fortasse GROTIUS interpretatus est: *Hoc unum studentes*, maxime scilicet, *ne quid contentiose aut ambitiose agatis*; pro ingenii quidem sui acumine, sed vim tamen tribuens Articulo, quam habere tantum potest, ubi Verbum sequitur (1). Duobus hisce addatur tertium, inde petitum, quod a se mutuo divelluntur opposita, si alterum cum Participio φρονοῦντες coniungimus. Et vel hac structura orationis seriem turbari videbit, qui animadverterit, verba ἀλλὰ — — ἑαυτῶν opponi quidem posse praecedentibus μηδὲν — κενοδοξίαν, per se consideratis, non item vero, si haec connectantur cum remotioribus τὸ ἓν φρονοῦντες, quippe quae iam multo plus quam illa dicant. Itaque probata distinctione vulgari PAULUM puto, ad vitium, virtuti propositae adversarium, reprehen-

(1) Cadit igitur, quod MIDDLETONUS p. 368 sqq. GROTII vestigia secutus disputat, quamquam haud temere attentos facit lectores ad Articulum τό, quem multi Interpretes neglexerunt.

dendum, *Philippenses* monere incepisse, sed ingenii fervore, quo incitaretur, ad Apodosin iam delatum esse, priusquam Protasin absolvisset, ut scriberet tantum: *Μηδὲν κατὰ ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν*, relicto lectoribus officio orationis Participio supplendae, quod ipse in mente retineret: hoc autem Participium idem illud esse *ποιοῦντες*, quod, cum facillime ex oratione intelligatur, Scriptores Sacri et exteri sexcenties omiserint (1). Atque sic, ducibus OECUMENIO et THEOPHYLACTO, vel potius Interprete *Syro* antiquissimo, plerique iudicarunt Viri Docti, etiam GROTIUS, quamquam haec verba, ut vidimus, cum superioribus arctissime connectens.

Iam dictum *μηδὲν κατὰ ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν*, scil. *ποιοῦντες*, primo adspectu minus perplexum esse videtur, quam revera est. De voce *ἐριθεία* nemo doctius disputat, quam FRITZSCHIUS (2); nec tamen disputatio eius ita comparata est, ut me poeniteat eorum, quae scripsi ad cap. I: 16, cum ea nondum uti poteram. Quod enim Vir Doctus sibi persuasum habere ait, *τὴν ἐριθείαν* in Novo Testamento ubique significare *summam invidiam pectore conclusam proclivitatemque ad machinationes*, vix aliud quam coniectura est, cui coniecturam opponere licet. Neque illud valde se commendat, si animadvertimus, hanc interpretationem, et verbosiorem, et vero talem esse, ut ipse eam deserat auctor, quippe formula *τοῖς ἐξ ἐριθείας Rom.* II: 8 generatim *homines nequam* denotari contendens. Sententia autem, a me proposita, voce *ἐριθεία cupiditatem* dici *sui efferendi* vel *ambitionem*, vide, quam egregie confirmetur, cum PAULUS, *ἐριθείαν* et *κενοδοξίαν* pariter a *Philippensibus* abesse iubens, alterius explicandae causa alteram ei adiungat per Particulam *ἢ*, quam a Particula *καὶ* ipse FRITZSCHIUS (3) re-

(1) Exemplorum copiam praebent BOS l. c. p. 646 sqq. Cf. WINER. p. 526.
(2) *Comment. in Ep. ad Rom.* p. 143 sqq.
(3) *Comment. in Marc.* VII: 13.

cte distinxit. Tum Apodosin huius orationis, lectores adhortantem, ut modesti sint, huic sententiae praesidio esse, quisque me tacente intelliget (1). Verba τοῖς ἐξ ἐριθείας *Rom.* II: 8 quod attinet, haec quoque, si redduntur: *iis vero, qui sui efferendi ducuntur cupiditate*, vel *ambitione*, optime quadrant in homines, sive ex Iudaeis, seu aliunde prognatos, qui, Apostolis CHRISTI obsistentes, maiorum instituta iactarunt. Nam quis mirabitur homines illos, quamvis huius loci nondum esset eorum reprehensio, auctori tamen adeo ante oculos obversatos esse, ut qualescunque veri et honesti oppugnatores verbis describeret, quae ab audacia eorum mutuaretur? Iam voce ἐριθεία sic exposita, dictionis μηδὲν κατὰ ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν sensus erit: *Nihil facientes, quod dictat ambitio aut vanae gloriae studium.* Similiter κενόδοξοι *Gal.* V: 26 *vanae gloriae* non sunt *possessores*, sed *captatores*. Nec κενοδοξία *Sap.* XIV: 14 *falsam opinionem* significat, ut vulgo interpretari iubent, sed *vanae gloriae studium*, quo pater, filio orbatus, hunc Deum fecisse dicitur, ut, scilicet, Dei pater videretur (2). Legantur verba LUCIANI: Ὅσην μὲν τὴν ἀλαζονείαν κομίζει, ὅσην δὲ ἀμαθίαν, καὶ ἔριν, καὶ κενοδοξίαν (3): ubi, cum Philosopho cuidam obiiciantur *vitia*, vox κενοδοξία omnino reddenda est *vanae gloriae studium*, ut interpretatur etiam DE RHOER (4), vel *gloriatio rerum, quae vanae sunt.* Particula autem κατά *Rom.* VIII: 4. X: 2. 1 *Tim.* V: 21 et alibi notionem habet, quam ei hic tribuimus.

Apodosis: ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν se ipsa fere sic interpretatur: *sed ea, quae*

(1) Cff. HEINSII *Exercitt. Sacrae ad N. T.* p. 450, 451.

(2) Cf. PLINII *Panegyric.* cap. 11.

(3) *Opp.* Tom. I. p. 369.

(4) *Feriae Daventrienses.* p. 145. Ceterum qui eodem uti vult loco ad notionem *contentionis* voci ἐριθεία vindicandam, animadvertat ille, quaeso, ἔριν et ἐριθείαν haud dubie inter se differre.

vobis insit, modestia, quisque alterum se superiorem ducentes. Quaeritur tantum, quî fieri possit, ut qui re ipsa excellit prae aliis, existimet eos praestantiores, quos procul a se distare novit. Verba sunt CALVINI, cuius tamen, uti et aliorum responsione difficultas magis obtegitur, quam tollitur. Tollitur verò magnam partem, si sumere licet, praestantiam, quam PAULUS memorat, *pietatem et virtutem* spectare. Quod tamen, ut strenua sua disputatione probaverit SCHINZIUS, eo magis vereor, quo attentius considero, et Apostolum dicendi modo uti nullis finibus circumscripto, et generatim quoque accipiendum esse quod loci habent similes *Rom.* X: 10, 16. *Eph.* V: 21. 1 *Pet.* V: 5. Sed hi ipsi loci nobis viam monstrant et rationem nodi, quo offendimur, expediendi: ab Apostolo nempe non *iudicandi*, sed *agendi* praescribi normam et regulam: hac de causa *ἀλλήλους* dici, non *ἄλλους* vel *πάντας*: nec Participium *ἡγούμενοι, ducentes*, aliter explicandum esse quam *ostendentes, vos ducere,* quemadmodum Verbum *ἡγεῖσθαι* 1 *Thess.* V: 13 et alibi populariter sumendum sit: itaque PAULUM idem illud praecipere *Philippensibus*, quod et *Romanis* praeceperit scribendo: *τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι,* et ipse IESUS, cum voce, tum exemplo, *Matth.* XX: 26. *Ioann.* XIII commendaverit discipulis, *ut sibi mutuo praestarent officia, qualia superioribus inferiores praestare solerent*, seu *sibi mutuo ministrarent.* Haec autem interpretatio, ut auctores iam habet SLICHTINGIUM, CRELLIUM, BEAUSOBRIUM, alios, sic una convenit orationi sequenti, ubi CHRISTUS se non inferiorem duxisse, sed inferioris instar egisse dicitur. Cf. *Sir.* III: 18.

VERS. 4.

Alteri vitio, quo ab officio ad unum idemque adspirandi deflectitur, Auctor sic occurrit: *Μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστοι σκοποῦντες, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστοι.* Assentior enim LACH-

MANNO, MATTHIESIO aliisque, hanc genuinam videri scriptionem PAULI, unde Editio recepta longe discesserit. Et pro Participio quidem σκοποῦντες, quod optimorum librorum fide nititur, atque ideo nuperrime a SCHOLZIO et GOESCHENIO quoque probatum est, Verbum finitum σκοπεῖτε ab aliis positum esse puto, quia admonitionem, saepissime lectam vel auditam, ita suggereret memoria; ab aliis propter opinionem, novam hîc requiri dicendi formam, cum novum auctor argumentum aggrederetur. Sed ex supra disputatis intelligi potest tantum abesse, ut Verbum finitum huius loci sit, ut eo perturbetur series orationis, a Versu 2 usque ad 5 continuatae. Per iocum potius, quam serio dixeris notasse WOLFIUM, plura esse Participia, quae a verbo φρονῆτε pendeant; nec quidquam esse causae, cur ea novo quodam augeamus. Minoris ponderis est mutua librorum dissensio de Pronomine, quoniam eodem redit sensus orationis, sive editur ἕκαστος, seu ἕκαστοι. Sed si quaeris, utrum PAULUS scripserit, Plurale omnino Singulari praeferendum videtur, et quidem haud secus in priori sententiae membro, ubi GRIESBACHIUS, minus sibi constans, alterum retinuit, atque in posteriori. Utrumque enim locum, nisi fallor, corruperunt homines, pro rarissimo Plurali usitatissimum Singulare substituendum censentes. Quod eorum quoque nonnullis placuit, qui Pronomen, voci ἑτέρων subiectum, perperam cum Versu sequenti coniungebant. Sicuti autem vario modo oratio depravata est; sic fuerunt etiam, qui Pronomine semel omittendo suum auctori detraherent. Redundantiam nempe existimarunt repetitionem, quae de industria facta est, quo penitius animis mandaretur doctrina, omnes, excepto nemine, officio proposito teneri. Ceterum incuria aut festinatione magis quam consilio nonnulli Articulum pluralem τά in singularem τό mutarunt, ignorantes certe commentum BENGELII, altero perversam significari utilitatem, altero veram. Omissio vero Particulae καί, utrum itidem negligentiae tribuenda sit, an

pravae sedulitati eorum, qui PAULUM monentem facere vellent, nullam plane sui habendam esse rationem, equidem dicere non ausim. VICTORINUS eam quoque omisit in sua interpretatione, et alteram tamen sequens sententiam scripsit: *Non sua propria tantum unusquisque vestrum perspiciat, sed aliorum singuli.* Sed quidquid huius rei est, auctoritate et fide librorum, qui ab utraque parte testantur, secum mutuo comparatis, nemo prudens dubitabit, quin opinione fallantur, qui Particulam cum TELLERO (1) oratione expelli iubent. Postremum librorum aliquot, qui habent τῶν ἑτέρων, tanti non est testimonium, ut Articulum recipere debeamus. Neque eo sane indiget oratio, in quam haud magis quadrat τῶν ἑτέρων, quam ἑτέρων, id est, *aliorum quorumcunque*, uti 2 *Cor.* VIII: 8, quem locum mihi monstravit KLUITIUS (2).

Oratione sic constituta, de sensu eius brevis esse poterit disputatio. Quod enim RAPHELIUS et KEILIUS (3) imprimis tueri conantur, τὰ ἑαυτῶν esse *suas cuiusque*, τὰ ἑτέρων *aliorum dotes atque virtutes*, ut PAULUS *Philippenses* aliena haud minoris quam sua, immo maioris aestimare iubeat, a nemine facile probabitur, qui 1 *Cor.* X: 24, 33. XIII: 5. *Phil.* II: 21 et alios inspexerit locos, ubi idem dicendi genus exstat. Et huic sententiae, ut recte monuit HOOGIUS, sine dubio obstat sequens laudatio CHRISTI, quacum nihil commune habet admonitio, quae aliis debeantur, iis tribuenda esse. Utique nulla causa est, cur non acquiescamus in vulgari interpretatione, quam nuperrime etiam secutus est MATTHIESIUS, ut τὰ ἑαυτῶν et τὰ ἑτέρων explicemus *id, quod cuique, et quod aliis utile est.* Iam PAULUS scribens σκο-

---

(1) Annot. ad TURRETINI *Tract. de S. S. Interpret.* p. 365.

(2) l. c. p. 404. Affert etiam locum valde similem 1 *Cor.* X: 24, 29, ubi Articulus legitur. Sed ἕτερος ibi est *alter*, non *alius*. Cf. et MIDDLETON. p. 370.

(3) *Comment. in Phil.* II: 5—11. *Opusc. Acad.* p. 172 sqq.

ποῦντες, Verbo utitur, quod generatim significat *observare*, sed pro rerum, quae observantur, diversitate, nunc *evitandi*, nunc *honorandi*, nunc etiam *curandi* notionem sibi attrahit. *Curandi* notio ei tribuenda est, ubi similia adiuncta sunt eorum, quae hîc leguntur, ut luculenter apparet ex locis a WETSTENIO allatis. Cf. 2 *Macc.* IV: 5. Particulam *καὶ* quod attinet, nec redundat quidem illa, nec tamen indicat, in altero membro reticeri Adverbium *μόνον*, quod iam putans PELAGIUS interpretatus est: *Non quae nobis solis expediunt, sed quae et aliis prosunt.* Secuti sunt PAREUS (1), BEZA, multi alii, haud ita pridem HEINRICHSIUS, FLATTUS et I. A. WOLFIUS (2). Dignissima, quae describantur, sunt verba CRELLII: »Rem mire librat et limitat Apostolus. Nam prior pars huius sententiae simpliciter fuerat elata, ita nimirum, ac si plane non liceret sua quaerere. Sed in posteriore parte dictum id aliquo modo limitat, addita Particula *etiam*, quae indicat, ita propemodum accipienda esse priora verba, ac si iis apposita fuisset Particula *tantum*. Non apposuit tamen eam Apostolus, ut indicaret, potius aliorum, quam nostri ipsorum, habendam esse in iis, de quibus agitur, rationem." Haec vide, num reapse differant ab eo, quod hodie monent Viri Docti, PAULUM primum intercedere voluisse, quominus *Philippenses* sua quisque quaererent, mox vero praeceptum severius emollivisse Particula orationi inserenda (3). Mens auctoris igitur sic explicanda videtur: *id non agentes, ut quisque sibi ipsi prosit, sed in aliorum tantum salute suam quisque salutem quaerentes.* Nihil autem similius reperi, quam verba DEMOSTHENIS (4): *Παρακαλεῖν τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, μὴ λόγοις, ἀλλὰ*

(1) *Adversar. in Epist. ad Philipp. Opp.* Parte III. ad h. l.

(2) *De agnit. Ellips.* cet. in POTT. *Syll. Comm. Theol.* Vol. VIII. p. 20.

(3) FRITZSCHIUS, *Excurs.* II ad *Comm. in Marc.* p. 788. WINER. p. 465. Cf. SCHAEFER ad BOSII *Ellips.* p. 309, 310.

(4) *Ad Phil. Ep.* Tom. I. p. 101. SCHAEFERI.

καὶ τοῖς ἔργοις, πρὸς τὴν ὑπὲρ ἡμῶν συμμαχίαν, id est: *Ceteros Graecos multo magis agendo, quam dicendo ad societatem belli pro nobis ineundam exhortari.* Ceterum SCHINZIUS et MATTHIESIUS bene refutarunt Interpretes, qui aut homines Christianos ex gentibus exteris ortos, aut Iudaeos ad Christum conversos, aut quosdam multitudinis doctores hîc notari contenderunt. Immo generalis haec est admonitio, omnibus apta et accommodata.

VERS. 5.

Reprehensis duobus, quae in praeceptum τὸ ἓν φρονοῦντες incurrunt, vitiis et virtutibus, quae utrique oppositae sunt, laudatis, PAULUS animos ad contemplandum CHRISTI exemplum convertit, quod, cum praeceptum illud observare iubebat, iam in mente habuit. Scripsit igitur secundum Editionem receptam: Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Dictum profecto dignissimum, quod pectoribus penitus inculcetur, neque operosae vel dubiae interpretationis. Primum enim, quod STORRIUS, FLATTUS, VATERUS contendunt, Praepositionem ἐν pro ὑπό scriptam esse, licentiae olim usurpatae commentum est, quod hodie neminem facile paulo intelligentiorem morabitur. Immo in utroque loco vulgaris significatio vocis observanda est, ut verba ἐν ὑμῖν et ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ explicentur *in animis vestris* et *in animo* CHRISTI IESU. Temere autem, ad errorem defendendum, excitantur 1 *Cor.* VII: 22. XII: 9: illic enim verba ἐν Κυρίῳ exponenda sunt *in communione Domini*, ut apparet ex Versu 24; hîc vero formula ἐν τῷ αὐτῷ Πνεύματι similiter dicit *in communione eiusdem Spiritus*, ut ea a praecedentibus διὰ τοῦ Πνεύματος et κατὰ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, et haud sine causa quidem, distinguatur. Deinde posteriori sententiae membro ex priori cogitando adiici debet ἐφρονήθη, quod, cur MATTHIESIUS dixerit, CHRISTO minus convenire quam ἦν, equidem non intelligo, nisi cum C. VORSTIO opinatus sit, Verbum

φρονεῖν non nisi de homine vulgari recte usurpari posse. Sed hoc scrupulo non laborarunt CAMERARIUS, ERASMUS SCHMIDIUS, WOLFIUS (1), alii. Eodem autem modo, Verbis σκανδαλισθήσεσθαι, χαρίζεσθε, ἐνῴκησε *Marc.* XIV: 29. 2 *Cor.* II: 10. 2 *Tim.* I: 5 praecedentibus, reticentur σκανδαλισθήσομαι, χαρίζω, ἐνοικεῖ. Silentio denique praetermittere non licet Particulam καί, quippe orationi non insertam, ut redundaret, sed ut studium proponi significaret, quod alii cum CHRISTO habuissent et haberent commune, quamquam ceteroquin exemplum eius esset incomparabile. Itaque hoc Versu PAULUS dicere vult: *Illud enim vestris animis insit studium, quod cum maxime in animo fuit* CHRISTI IESU. Nam Coniunctione γάρ, quam recte COCCEIUS, adversus BEZAM disputans, *Aetiologicam* vocat, haec oratio cum superiori sic copulatur, ut, utraque admonitione praecedenti confirmanda, ad praeceptum gravissimum τοῦ ἓν φρονεῖν recurrat. Nexus autem tollitur, si cum LACHMANNO Coniunctionem illam reiicimus. Sed valde dubito, an a Viro acutissimo reiecta fuisset, nisi semel testimonium librorum maxime Orientalium in iudicio ferendo sequi constituisset (2). Fere omnes certe Patres Graeci cum plerisque codicibus MSS. et Versionibus antiquis eam reddiderunt. Omissionem vero nunc peperisse videtur comprehensio verborum ἕκαστοι vel ἕκαστος τοῦτο φρονεῖτε; nunc opinio, hunc Versum cum superiori minus cohaerere; nunc, et plerumque fortasse, consuetudo lectionis pro concione populi ab hoc inde loco incipiendae. Sed aliter iudicandum puto de quaestione, utrum Passivum φρονείσθω retinendum sit, an pro eo substituendum Activum φρονεῖτε. Activum enim, quod plerique Codices antiquissimi auctoritate sua fulciunt, propter sequentia ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ difficilius est, quam ut homines illud scripsisse censendi sint,

(1) *Cur. Philol.* ad h. l.

(2) *Theol. Studien und Kritiken.* Jahrg. 1830. p. 817 sqq.

quotquot suo in exemplo legerent Passivum. Nec tamen, si Editio recepta corrigenda est, aut posteriori membro Verbum aliud quam ἐφρονήθη cogitando adiici debet, aut sensus Orationis mutationem subit, ut bene iam notavit CALVINUS.

VERS. 6-11.

Incipit PAULUS, secundum KEILIUM et plerosque Interpretes, exemplum CHRISTI ita proponere, ut ταπεινοφροσύνην illam, quam supra commendaverit, in eo adspectabilem fuisse doceat. Sed uti haec sententia in Versum 3 quidem quadrat, in Versum 4, ubi alia praecipitur virtus, quam modestia, non item (1); sic in oratione sequenti vs. 7, 8 ἡ ταπεινοφροσύνη CHRISTI non laudatur, quatenus hominibus etiam inferioribus cessit, sed quatenus se ultro subiecit Deo. Utique auctor, *studium* CHRISTI *quale fuerit*, expressis verbis non dixisse, sed ea tantum attulisse videtur, ex quibus studii illius naturam et indolem ipsi colligere possent lectores. Quod si mihi non vetitum est, equidem singulare spectari puto studium se communi hominum saluti devovendi, quod conspicuum fecerit obedientia Deo, cuius consilia exsequeretur, ad crucem usque praestanda. Sed hîc brevior esse possum, quoniam a constitutione huius nexus non pendet interpretatio loci, in quem nunc delati sumus.

Locum gravissimum esse ab antiquo omnes uno ore professi sunt: modo ne coeca et indigna cum vetera repetendi, tum nova fingendi cupiditas fecisset, ut saepe magis obscuraretur, quam illustraretur. Profecto longum sit, varias hominum, qui de eo commentati sunt, sententias, si minus enarrare, at sigillatim tamen explorare. Sed pars luxuriantis

(1) Rationem Versus 4 maxime habuit VICTORINUS, scribens inter alia: *quae omnia docent et hortantur nos, ut similiter, imitantes Dominum, nos de aliis potius cogitemus, quam de nobis ipsis.* Vitiose a MAIO editum est *non de aliis.*

ingenii sunt inventa, quae oblivio iam delevit; pars commemoratae sunt a KESLERO (1), WOLFIO, I. I. SCHULTENSIO (2), HEINRICHSIO, KEILIO, MARTINIO (3) aliisque, ad quos lectorem mittere malo, quam exponenda interpretationis historia tempus consumere, quod sibi ipsa postulat interpretatio. Ceterum, quamvis brevitatis causa in sensu, qui mihi orationi tribuendus videtur, explicando et probando, quantum fieri possit, subsistere constitui; satis larga mihi tamen erit copia de rationibus et argumentis, quae maxime celebritatem nacta sunt, deinceps disputandi.

VERS. 6.

Pauca hoc in loco sunt, quae Viros Doctos magis exercuerint, quam principium: Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Quamvis enim nec de eo, quid PAULUS scripserit, nec de orationis distinctione ulla quaestio est; totidem tamen disputandi fere causas invenerunt Interpretes, quot verba sibi occurrebant. Et primum quidem laborem peperit formula ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων. Nimirum ea *naturam Christi Divinam* proponi Patres Ecclesiae propemodum omnes communiter sumserunt et posteritati adeo persuaserunt, ut Viri Doctissimi acriter reprehenderent eos, qui dissensionem prodidissent, ut ERASMUM BEZA, COCCEIUS GROTIUM. Nec tamen illi unanimes fuerunt, cum alii vocem μορφῇ aut explicarent φύσει, aut οὐσίᾳ, alii eam redundare dicerent, ut pro verbis ἐν μορφῇ Θεοῦ unum Θεός substitui posset. Sed nescio, an discrepantia illa haud obscure iam indicet, homines quovis modo probare voluisse interpretationem, a patribus et maioribus sibi tradi-

(1) *Observ. in Ep. Pauli ad Phil.* in *Thesauro Novo ex Musaeo* HASAEI *et* IKENII. Tom. II. p. 947, 948.

(2) *Sylloge dissert. Philol. Exeget.* Tom. I. p. 443 sqq.

(3) GABLERUS, *Journal für auserl. Theol. Liter.* Tom. IV. p. 34 sqq.

tam plausuque acceptam (1), quod ea praesidium ad Haereticos refellendos afferret (2). Quidquid huius rei est, interpretationi illi omnino obstat loquendi usus. Si enim loci, ubi vox *μορφή* primo adspectu idem ac *φύσις* vel *οὐσία* denotare, aut redundare videtur, attentius oculis lustrantur, fraudem sibi fecisse deprehendimus, qui alterutrum contenderent. Nuper FLATTUS provocavit ad verba IOSEPHI (3): *μορφήν τε καὶ μέγεθος ἡμῖν ἀφανέστατος*, quibuscum comparavit paulo superiora (4): *ὁποῖος κατ' οὐσίαν ἐστὶν ἄγνωστον*: sed illic perperam adscriptum est *μέγεθος*, nisi *μορφήν* interpretari oportet *formam*, vel *imaginem in sensus incurrentem*, *ab interna natura*, id est, *οὐσίᾳ* distinguendam. Cum autem BRETSCHNEIDERUS (5) quoque his in locis lapsus sit, operae pretium erit utrumque plenius describere. In altero igitur legimus: *Οὗτος* (*Deus*) *παντὸς οὑτινοσοῦν φανερώτερος, μορφήν τε καὶ μέγεθος ἡμῖν ἀφανέστατος. Πᾶσα μὲν γὰρ ὕλη πρὸς εἰκόνα τὴν τούτου, καὶ ἂν ᾖ πολυτελής, ἄτιμος· πᾶσα δὲ τέχνη πρὸς μιμήσεως ἐπίνοιαν ἄτεχνος*: in altero: *Αὐτὸν ἀπέφηνε καὶ ἀγένητον, καὶ πρὸς τὸν ἀΐδιον χρόνον ἀναλλοίωτον, πάσης ἰδέας θνητῆς κάλλει διαφέροντα, καὶ δυνάμει μὲν ἡμῖν γνώριμον, ὁποῖος δὲ κατ' οὐσίαν ἐστὶν ἄγνωστον.* Quae quidem huc redeunt: incognitum esse, qualis Dei *natura* (*οὐσία*) sit, sed hoc tamen, MOSE interprete, sciri, eum *formam*

(1) Cf. hoc de genere LÜCKE, *Theol. Zeitschr.* Edd. SCHLEIERMACHERO, DE WETTIO et LÜCKIO. Part. III. p. 121 sqq.

(2) Vix ullo loco ad Haereticos refellendos frequentius usi vel potius abusi sunt Patres Ecclesiae, etiam CHRYSOSTOMUS, cuius disputationem, dubito, an ERASMUS propter loquacitatem auctoris spuriam habiturus fuisset, si Vir magnus meminisset, OECUMENIUM, THEOPHYLACTUM, alios hic itidem more suo loquaciores esse.

(3) *Contra Apion.* Lib. II. cap. 22.

(4) Ibid. cap. 16.

(5) *Capita Theologiae Iudaeorum Dogm. e* FL. IOSEPHI *Script.* p. 19, 20, ubi et hic Vir Doctus, ad verba PAULI explicanda, voces *μορφή* et *οὐσία* idem significare sumit.

(μορφὴν) habere, nulli hominum adspectabilem, omni arte imitatoris humani superiorem, omnique specie mortalium pulchriorem: ut IOSEPHUS sententiae Philosophorum Orientalium, Deum lucem esse subtilissimam, particeps fuisse videatur (1). Quemadmodum autem vox μορφή ubique *formam* significat, sic etiam in locis Veterum, in quibus ἡ μορφή τινος alteri adscribitur, verba explicanda sunt *de imagine, quam ille referat*, ut evidenter docent *Ies.* XLIV: 13 et alii loci, a GROTIO et WETSTENIO laudati. Hinc vero sequitur, dictum PAULI ἐν μορφῇ Θεοῦ omnino sibi velle *in imagine Dei*. Atque ita iam interpretatus est *Syrus* antiquissimus, tum AMBROSIASTER, quos plures secuti sunt, postremum SLADIUS (2), KEILIUS, KRAUSIUS, MATTHIESIUS (3). Neque aliam interpretationem fert formula similis: μορφὴν δούλου λαβών et omnis oratio substrata, ut infra docebitur. Iam si CHRISTUS dicitur ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, Participium quidem ὑπάρχων eandem plane notionem non habet ac Participium ὤν; sed nihil tamen est in sermone Latino, quo mentem auctoris melius reddamus, quam verbo *esse*. Atqui cum hoc Verbum Participio careat, circumlocutione opus est, quam Coniunctio quaedam quasi ducat, et quidem, ut plerisque placuit Interpretibus (4), Concessiva *quamvis*. Exemplo nobis sit MENELAI vox de ULYSSE apud HOMERUM (5):

Δείδω, μή τι πάθῃσιν ἐνὶ Τρώεσσι μονωθεὶς,
Ἐσθλὸς ἐών. —

(1) Ipse IOSEPHUS cap. 34 scribens: *τί γὰρ οὐχὶ — — εἰς Θεοῦ φύσιν καὶ μορφὴν ἀνέπλασαν*, divinam *naturam* a *forma* distinguit.

(2) *Annotations on the Epist. being a continuat. of Mr.* ELSLEY's *Annot.* ad h. l.

(3) Eodem redeunt quoque verba Interpretis Veteris, quo iam usus est CYPRIANUS, *advers. Iudaeos* Lib. II. cap. 13: *qui in figura Dei constitutus.*

(4) Iam NOVATIANO, *de Trinit.* cap. 17, ut verba docent descripta a CLERICO.

(5) *Iliad.* A. vs. 470, 471.

Sed sexcenti sunt loci similes, tam apud Scriptores Sacros, quam exteros (1). Ergo PAULUS sibi velle videtur: *qui*, *quamvis in imagine Dei* (non *fuerat*, multo minus *fuisset*, ut scripserunt nonnulli, neglecta copulatione Participii Imperfecti ὑπάρχων cum Indicativo ἡγήσατο, sed) *erat*, id est, *quamvis imaginem Dei referebat* (2). Cuiusmodi interpretationem ut probaret, recte KEILIUS excitavit *Phil.* III: 21, item *Col.* I: 15. *Hebr.* I: 3. Neque omittendum est ipsius IESU effatum *Ioann.* XIV: 9. Utra vero maiestas CHRISTI, ante, an post adventum in hunc terrarum orbem eius propria, a PAULO laudata sit, ex oratione maxime sequenti intelligemus.

Sequitur igitur: *Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ.* Quorum priora cum posterioribus difficiliora sint, videamus, an his uti possimus ad lucem illis afferendam. Vulgaris Interpretum sententia est, formulas *ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν* et *εἶναι ἴσα Θεῷ*, quippe eodem redeuntes, inter se permutari: quod etiam sibi placere declararunt KEILIUS, RHEINWALDUS, MATTHIESIUS. Argumenta vero, quibus hoc probaretur, haud scio usquam usurpata esse, praeter unum illud, quod ex ipsa PAULI oratione petierunt. At vero haec oratio utriusque formulae distinctionem omnino suadet: quoniam verisimile non est, auctorem, quod uno Pronomine τοῦτο scribere posset,

(1) Recte STORRIUS excitat *Matth.* XXI: 46. 1 *Cor.* IX: 21. *Gal.* IV: 1. *Phil.* 8. Multos item locos congessit WINERUS p. 328, 329, etiam ex scriptoribus exteris, quibus addi possunt HOMER. Od. *Δ* vs. 717. ISOCRAT. *Evagr.* cap. 6. XENOPH. *Mem. Socr.* Lib. III. cap. 6. § 1. POLYB. Lib. IV. p. 285 C.

(2) Nonnulli Participium ὑπάρχων Praesens esse putarunt, quibus calculum adiecit Doct. UMBREIT, *Studiën und Kritiken*. Tom. I. p. 594. Sed nexus eius cum Aoristo ἡγήσατο hoc ferre non videtur. Nam loci, ubi Participium Articulo ὁ, ἡ, τό definitur, ut *Ioann.* I: 18. III: 13. *Apoc.* XIV: 13, hinc alieni sunt. In ceteris, quos WINERUS p. 324, 325 attulit, etiam *Act.* XIX: 24. 1 *Pet.* III: 5, Participio tantum temporis praeteriti comprehenditur spatium, quantum Verbo finito, quocum coniunctum est.

(μορφὴν) habere, nulli hominum adspectabilem, omni arte imitatoris humani superiorem, omnique specie mortalium pulchriorem: ut IOSEPHUS sententiae Philosophorum Orientalium, Deum lucem esse subtilissimam, particeps fuisse videatur (1). Quemadmodum autem vox *μορφή* ubique *formam* significat, sic etiam in locis Veterum, in quibus *ἡ μορφή τινος* alteri adscribitur, verba explicanda sunt *de imagine, quam ille referat*, ut evidenter docent *Ies.* XLIV: 13 et alii loci, a GROTIO et WETSTENIO laudati. Hinc vero sequitur, dictum PAULI *ἐν μορφῇ Θεοῦ* omnino sibi velle *in imagine Dei*. Atque ita iam interpretatus est *Syrus* antiquissimus, tum AMBROSIASTER, quos plures secuti sunt, postremum SLADIUS (2), KEILIUS, KRAUSIUS, MATTHIESIUS (3). Neque aliam interpretationem fert formula similis: *μορφὴν δούλου λαβὼν* et omnis oratio substrata, ut infra docebitur. Iam si CHRISTUS dicitur *ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων*, Participium quidem *ὑπάρχων* eandem plane notionem non habet ac Participium *ὤν*; sed nihil tamen est in sermone Latino, quo mentem auctoris melius reddamus, quam verbo *esse*. Atqui cum hoc Verbum Participio careat, circumlocutione opus est, quam Coniunctio quaedam quasi ducat, et quidem, ut plerisque placuit Interpretibus (4), Concessiva *quamvis*. Exemplo nobis sit MENELAI vox de ULYSSE apud HOMERUM (5):

Δείδω, μή τι πάθῃσιν ἐνὶ Τρώεσσι μονωθεὶς,
Ἐσθλὸς ἐών. —

---

(1) Ipse IOSEPHUS cap. 34 scribens: *τί γὰρ οὐχὶ — — εἰς Θεοῦ φύσιν καὶ μορφὴν ἀνέπλασαν*, divinam *naturam* a *forma* distinguit.

(2) *Annotations on the Epist. being a continuat. of Mr.* EENLEY'S *Annot.* ad h. l.

(3) Eodem redeunt quoque verba Interpretis Veteris, quo iam usus est CYPRIANUS, *advers. Iudaeos* Lib. II. cap. 13: *qui in figura Dei constitutus.*

(4) Iam NOVATIANO, *de Trinit.* cap. 17, ut verba docent descripta a CLERICO.

(5) *Iliad.* A. vs. 470, 471.

Sed sexcenti sunt loci similes, tam apud Scriptores Sacros, quam exteros (1). Ergo PAULUS sibi velle videtur: *qui*, *quamvis in imagine Dei* (non *fuerat*, multo minus *fuisset*, ut scripserunt nonnulli, neglecta copulatione Participii Imperfecti ὑπάρχων cum Indicativo ἡγήσατο, sed) *erat*, id est, *quamvis imaginem Dei referebat* (2). Cuiusmodi interpretationem ut probaret, recte KEILIUS excitavit *Phil.* III: 21, item *Col.* I: 15. *Hebr.* I: 3. Neque omittendum est ipsius IESU effatum *Ioann.* XIV: 9. Utra vero maiestas CHRISTI, ante, an post adventum in hunc terrarum orbem eius propria, a PAULO laudata sit, ex oratione maxime sequenti intelligemus.

Sequitur igitur: *Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ.* Quorum priora cum posterioribus difficiliora sint, videamus, an his uti possimus ad lucem illis afferendam. Vulgaris interpretum sententia est, formulas *ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν* et *εἶναι ἴσα Θεῷ*, quippe eodem redeuntes, inter se permutari: quod etiam sibi placere declararunt KEILIUS, RHEINWALDUS, MATTHIESIUS. Argumenta vero, quibus hoc probaretur, haud scio usquam usurpata esse, praeter unum illud, quod ex ipsa PAULI oratione petierunt. At vero haec oratio utriusque formulae distinctionem omnino suadet: quoniam verisimile non est, auctorem, quod uno Pronomine τοῦτο scribere posset,

---

(1) Recte STORRIUS excitat *Matth.* XXI: 46. 1 *Cor.* IX: 21. *Gal.* IV: 1. *Phil.* 8. Multos item locos congessit WINERUS p. 328, 329, etiam ex scriptoribus exteris, quibus addi possunt HOMER. Od. *Δ* vs. 717. ISOCRAT. *Evagr.* cap. 6. XENOPH. *Mem. Socr.* Lib. III. cap. 6. § 1. POLYB. Lib. IV. p. 285 C.

(2) Nonnulli Participium ὑπάρχων Praesens esse putarunt, quibus calculum adiecit Doct. UMBREIT, *Studiën und Kritiken*. Tom. I. p. 594. Sed nexus eius cum Aoristo ἡγήσατο hoc ferre non videtur. Nam loci, ubi Participium Articulo ὁ, ἡ, τό definitur, ut *Ioann.* I: 18. III: 13. *Apoc.* XIV: 13, hinc alieni sunt. In ceteris, quos WINERUS p. 324, 325 attulit, etiam *Act.* XIX: 24. 1 *Pet.* III: 5, Participio tantum temporis praeteriti comprehenditur spatium, quantum Verbo finito, quocum coniunctum est.

scripsisse verbis alibi non reperiundis *εἶναι ἴσα Θεῷ*. Mihi certe, si in memoriam revoco locos, ubi eandem rem aliis verbis repetere videtur, nullum huiusmodi succurrit exemplum. Deinde, si bene exposui alterum *ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων*, ut *similitudinem* Dei denotet, alterum *εἶναι ἴσα Θεῷ* sensum ab eo diversum habere necesse est. Hic enim vocis *ἴσα* satis constans cum alibi, tum in Novo Testamento usus est, ut *aequalitatem* significet, similitudine longe superiorem. Quamnam autem aequalitatem sibi auctor proposuerit, ex huius vocis forma eiusque coniunctione cum Verbo *εἶναι* perspicue intelligimus. Est nempe Adverbium, et eandem quidem vim habens ac formula *κατ' ἴσα μέρη* (1). Iam SCHLEUSNERUS aliique aiunt quidem, hoc Adverbium pro Adiectivo *ἴσον* positum esse, ut commentarii instar sit, quod *Ioann.* V: 18 legimus, ubi IESUS a Iudaeis dicitur *ἴδιον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ*: sed ut ad causam suam tuendam nihil probabile afferunt (2), sic iis obstant loci a DINDORFIO ad *Thesaurum* allati, in quibus Verbum *εἰμί* Adverbio iungitur. Iidem autem loci, quemadmodum et vocis ipsius proprietas, PAULI dictum interpretari iubent: *esse aequaliter Deo.* Hoc vero, vehementer dubito, an aliter explicari possit, quam *aequali modo vivere, quo vivit Deus.*

Extremis huius Versus partibus bene, uti spero, expositis progrediamur ad mediam: *οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο.* Quam alii

---

(1) RAPHELIUS ex ARRIANO excitat *τὰ ἴσα*, BOS *Ellips.* p. 295 ex HOMERO *κατὰ ἴσα*, quod HEYNIUS interpretatur *ἴσως*. Similiter *ἴσα* scriptum est pro *κατὰ ἴσα βήματα*, ut exemplis docent *Anecdota Hemsterh.* p. 245.

(2) SCHLEUSNERUM bene refutavit KRAUSIUS l. c. p. 33, 34, BOSIUM, *Exercit. Phil.* ad h. l. et paucos alios sequens, qui hoc in Versu formulam *εἶναι ἴσα Θεῷ* ab altera distinxerunt et probabiliter exposuerunt. Adverbium autem *ἴσα* ab Adiectivo *ἴσον* distinguendum esse, ut iam docuit COCCEIUS, ita hodie communi fere consensu censent Interpretes, etiam recentissimus STEIN, in *Studiën und Kritiken.* Tom. X. p. 165 sqq.

interpretati sunt *non usurpandum duxit*, alii *non ostentandum duxit*, alii, ut et MARTINIUS et STEINIUS, *non rapuit*, alii aliter: ita vero, nisi fallor, omnes, ut formulas *ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων* et *εἶναι ἴσα Θεῷ* confunderent et voci *ἁρπαγμόν* notionem alienam tribuerent; vel, etiamsi alterum tanquam scopulum evitarent, inciderent tamen in alterum. Utramque formulam omnino distinguendam esse, abunde mihi probasse videor: restat igitur, ut de notione vocis *ἁρπαγμόν* dicam. Iam STEPHANUS eam *rapiendi actionem* vel *raptum* significare monet, nec tamen vel unum affert locum, ubi hanc significationem habeat. Quod si quis miratur, hunc meminisse velim, apud Veteres frustra adhuc quaesita esse exempla, si excipimus librum *de Puerorum Educatione*, qui PLUTARCHO temere adscriptus est. Ibi autem legimus: *καὶ τοὺς μὲν Θήβῃσι καὶ τοὺς Ἤλιδι φευκτέον ἔρωτας, καὶ τὸν ἐκ Κρήτης καλούμενον ἁρπαγμόν* (1), quorum posteriora interpretatur WYTTENBACHIUS *puerorum raptum in Creta usitatum*. Interpretes vero Epistolae PAULI longe plurimi, pars aliorum auctoritati cedentes, voci *ἁρπαγμός* notionem *rapinae* vel *praedae* affinxerunt, quae vocis affinis *ἅρπαγμα* propria est. Et nonnulli adeo vel audacter perhibuerunt, vel modestius coniecerunt, alteram pro altera positam esse, uti BOSIUS, HEINRICHSIUS, STORRIUS, qui testem advocavit DRUSIUM (2). Quid vero DRUSIUS? Monet utrumque *ἁρπαγμός* et *ἁρπαγή* significare *raptum*, *ἅρπαγμα* autem *rapinam* seu *praedam:* tum sic pergit: »Sed confundi scias. Nam et *ἁρπαγή rapina Ies.* III: 14. *καὶ ἡ ἁρπαγὴ τοῦ πτωχοῦ ἐν τοῖς οἴκοις ὑμῶν.*" Verum, si bene se habet haec disputatio de voce *ἁρπαγή*, an inde iam sequitur, affinem *ἁρπαγμός*, de

(1) *Moral.* p. 10 F. 11 A. Partem loci iam descripsit WETSTEN.

(2) Sic etiam WAKEFIELD. Part. III. p. 112 sqq. et nuper HEINICHEN ad EUSEB. Tom. III. p. 41, 42. Paulo ante MARTINIUS, quippe ex HELIODORO et aliunde locos afferens, ubi legitur *ἅρπαγμα*.

qua una nobis quaestio est, etiam *rapinam* vel *praedam* denotare? Sed qui paululum modo ad verba IESAIAE attenderit, videbit, ea, si reddantur: *Et rapina pauperis in aedibus vestris*, hac tantum conditione ita reddi posse, ut *rapina* exponatur *quod raptum est*, non vero *praeda* (1). Legimus etiam ἁρπαγή *Lev.* VI: 2. *Eccles.* V: 7. *Nah.* II: 12 et apud THEODOT. *Prov.* X: 6, sed nusquam ita, ut *praedam* significet. Nec DRUSIO ad vocem Hebraeam גזל (scriptum vellem גזלה) provocasse prodest, quippe quae de *raptu* vel *eo, quod raptum est* etiam dicitur, ut loci docent a GESENIO, WINERO aliisque allati in Lexicis (2). Itaque iure suo PALMIUS, SLADIUS et MYNSTERUS, COCCEII, TILLII, CLERICI aliorumque vestigia sequentes, notionem illam vocis ἁρπαγμός, quae in *Pseudo-Plutarcho* cernitur, retineri iubent, ut PAULI dictum interpretemur: *raptum non duxit.* At quî fieri potest, ut, hac interpretatione probata, media illa οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο cum extremis conspirent? Nimirum *raptu* denotatur, ut docent Lexicographi, *actio*, *qua quis aperte*, *quod suum non est*, *suum facit.* Hoc autem in loco actio illa, ut mihi persuasum est, *de re* dicitur, *quae actionis causa est.* Metonymia se ipsa offert, neque longe quaerenda sunt exempla. Quid enim verba *Iac.* I: 2: *Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε, ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις,* aliud sibi volunt, quam: si quando in varias incideritis calamitates, quibus exploremini, hanc *rem* ducite, *de qua omnino gaudeatis?* Similiter PETRUS 2 *Ep.* III: 15 scribens: *τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν μακροθυμίαν σωτηρίαν ἡγεῖσθε,* in mente habuit: indulgentiam Domini nostri *rem* ducite, *quae vobis salutaris sit.* Ergo in reprehensionem quidem non incurram, si eandem orationi quoque PAULI inesse dixero Metonymiam. Quam bene autem verba *οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο,* si sententia mea

(1) Sic interpretantur GESENIUS, HITZIO aliique in *Commentt.* ad h. l.
(2) Cf. ROORDA, *Gramm. Hebr.* Vol. I. p. 207.

probatur, cum praecedentibus et sequentibus cohaereant, haec, nisi fallor, totius versus docebit interpretatio: *qui, quamvis imaginem Dei referebat, vitam tamen, vitae Dei aequalem, rem non duxit, quam suam faceret, cum sua* (suae personae) *non esset* (1). Iam si hanc mentem PAULI esse constat, erroris convincuntur quotquot ab ORIGENE inde eum docere putarunt, CHRISTUM *ταπεινοφροσύνην* suam eo conspicuam fecisse, quod, missa vel occultata gloria sua Divina, naturam assumeret humanam. Immo docet Apostolus, CHRISTUM hac in terra, quamvis Dei esset filius, qui Patris imaginem referret, id tamen non egisse, ut, ad voluntatem hominum voluntati Divinae oppositam, in gloria ac beatitate Dei viveret. Paucis verbis summam complector: CHRISTUS *hac in terra, quamquam poterat, gloriosus esse noluit* (2).

VERS. 7, 8.

Dictioni neganti PAULUS aientem opponit, et quidem bipartitam, quae sic distinguenda est: *Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος· καὶ, σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ.* GROTIUS quidem postremam partem versus 7: *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος*, cum 8 iungi voluit; sed recte eum et alii reprehenderunt, a WOLFIO laudati, et KEILIUS, qui hunc orationis ordinem esse monstravit, ut utrique versui tria insint, quae sibi mutuo respondeant. Cui argumento quis addere recusabit alterum, inde petitum, quod Coniunctio verba illa non praecedit? Ita et propterea, quod Coniunctio

---

(1) Quod ad vs. 3 de populari explicatione Verbi *ἡγεῖσθαι* monui, hunc etiam in locum quadrare puto, ut, praeeunte CASTALIONE, scribere haud verear: *se rem non ducere ostendit.* Valde me movet Antithesis *ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε* cet. vs. 7, 8. Sed obiter tantum illud attingo, quoniam hinc non pendet interpretatio totius orationis.

(2) Cff. *Ioann.* VI: 15. 2 *Cor.* VIII: 9 et loci a BOSIO laudati.

10*

praemissa non est Verbo ἐταπείνωσεν, alienam esse puto distinctionem GRIESBACHII, MATTHIESII, SCHOLZII, qui, *Vulgatum Latinum* sequentes, vocem ἄνθρωπος cum praecedentibus ad versum 7 referunt. Neque orationis permittit ordo, ut iis *colon* subiiciatur. Causas autem, cur Viri Docti ab Editione recepta discesserint, exigui vel nullius ponderis esse, huius loci, ut spero, interpretatio luculenter docebit. Leviori tantum opus est correctione. *Comma* nempe, quod utrique versui interpositum est, mutari debet in *colon*, ut a GOESCHENIO factum esse video. Duo enim, ut puto, diversa hic tradit PAULUS, et quamnam vivendi rationem CHRISTUS inierit, cum hominum in lucem veniret, et quomodo hanc vivendi rationem ad mortem usque persecutus sit.

Prima verba ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε GROTIUS vertendo reddidit *sed libenter duxit vitam inopem:* at minus animadvertit vir summus, vocabulum κενός et affinia de *inopia* vel *paupertate* tantum accipienda esse in locis, ubi alia sibi habeant adiuncta, quibus notioni late patenti hic terminus ponatur, ut *Gen.* XXXI: 42. coll. 38 sqq. *Iud.* XI: 3. coll. 2. *Luc.* I: 53, qui ab eo excitantur. Tali autem interpretatione non indigemus ad avertendas argutias Theologorum, qui, loquendi usu plane neglecto, PAULUM de *exinanitione*, quam dicebant, vel *evacuatione* CHRISTI scripsisse voluerunt. Nam satis probarunt TITTMANNUS (1), KEILIUS aliique, mentem auctoris hanc esse: *sed semet ipse depressit* (2). Est igitur hoc dictum generale, quod quomodo intelligendum sit, ex duobus apparet sequentibus.

Alterum μορφὴν δούλου λαβών nonnihil ambiguitatis habet

(1) C. C. TITTMANNI, *Opusc. Theol.* p. 642, 643.

(2) Particulam ἀλλά nec reddendam esse *tamen*, nec *nihilominus*, nec *quin potius*, bene monuerunt SCHULTENSIUS p. 486, 487 et STEINIUS: quocum Pronomen ἑαυτὸν efficacitatis causa Verbo ἐκένωσε *praepositum* esse puto. Sed, efficacitate illa semel ei tributa, *postpositum* est Verbo ἐταπείνωσε, ibique locum habet commodiorem.

propter vocem *δούλου*, quam multi Interpretes *ministrum hominum*, nonnulli, etiam LAUNAEUS, *ministrum Dei atque hominum* explicarunt, et pars quidem ita, ut cum CHRYSOSTOMO propriam *servi* notionem urgerent. Sed rectissime MICHAËLIS, STORRIUS, MORUS (1), KEILIUS, praeeuntibus iam aliis (2), monuerunt PAULUM significasse *ministrum Dei*. Primum enim, cum formula *μορφὴν δούλου λαβών* pars orationis sit (3) oppositae praecedenti *ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων*, utraque eodem spectare debet: atqui eodem non spectant, nisi pariter referuntur ad necessitudinem, quae inter *Deum* et CHRISTUM intercessit. Deinde proxime sequentia *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος* ita comparata sunt, ut iis magis decrescat quam accrescat oratio, si vocem *δούλου* aliter quam *ministri Dei* interpretamur. Praeterea sic interpretari iubent verba sequentia, quae his respondent, *γενόμενος ὑπήκοος*, quoniam iis quoque, ut infra probabitur, nomen *Dei* cogitando subiiciendum est. Et similiter hoc nomen saepe, ut norunt omnes, orationi adiicere debemus, e. c. *Luc.* XVII: 10, ubi plene scriptum foret: *ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν τῷ Θεῷ*. Fortasse quis rogaverit, cur PAULI oratio hac *Dei* appellatione careat; sed in promtu nobis est, quod respondeamus: omissionem, nempe, propter praemissum *μορφήν*, quod comparationem fieri significat, necessariam fuisse, ne figuratum et

---

(1) *Diss. Theol. et Phil.* Vol. I. p. 313, 314.

(2) RHENFERDUS in MEUSCHENII *N. T. ex Talmude* cet. p. 1109. CORN. A LAPIDE, ESTIUS, qui opportune cum hoc loco comparavit formulam *παῖδα Θεοῦ*, qua *Act.* III: 13, 26. IV: 27, 30 CHRISTUS non *filius*, sed *minister* Dei dicitur, ut evidenter docuit NITZSCHIUS, *Studiën und Kritiken.* Tom. I. p. 331 sqq.

(3) Consulto ita scripsi. Nam uni formulae *ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων* omnia, quae CHRISTUS facere noluerat et quae revera fecerat, deinceps ab auctore opposita sunt, et ita quidem, ut haec rursus opponeret illis. Lubenter largior, formulam ei tum maxime ante oculos obversatam esse, cum scriberet *μορφὴν δούλου λαβών*; sed hinc non sequitur, quod multi sumunt Interpretes, haec sola verba Antithesin continere.

proprium coalescerent. Figuratum autem sibi constat, si interpretamur: *cum imaginem servi susciperet:* eius vero in locum proprio substituto, mens auctoris est: *cum Dei se faceret ministrum*. Ne quis autem inepte in Aoristo *secundo* causam quaerat, cur scribendum non sit *faceret*, sed *fecisset*, obiter notandum est, Graecos *primum* λήψας non usurpasse, neque Aoristos inter se differre notione, sed forma.

Postremam huius versus partem: *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος*, COCCEIUS cum KEILIO multisque interpretatur *homo factus*: sed vocem ὁμοιώματι negligi non posse, ut monuerunt praeter alios CLERICUS et BELSHAMUS, ita perspicue intelligimus, cum ex circumiectis μορφή et σχῆμα, tum ex loco simili *Rom.* VIII: 3, quo, quamquam minus recte, iam usus est CHRYSOSTOMUS, disputans contra *Marcionitas*. Sicuti nempe verba πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας aliter exponi nequeunt quam: *misso* (Filio suo) *in similitudine hominum vitiosorum;* sic haec exponere necesse est *similitudinem hominum adsciscens*, vel, ut via et ratione procedat oratio: *et hominum se similem redderet*. Quod scripsit auctor, ut doceret, CHRISTUM, quamquam imaginem Dei referret Deique Filius esset, se hominum tamen instar mandatis eius subiecisse. Atque ita haec formula praecedentem, eius illustrandae causa, opportune sequitur. Alienum vero ab hoc loco est, quod CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS aliique PAULUM significantem faciunt, ὅτι οὐκ ἦν ψιλὸς ἄνθρωπος. Nec magis congruit sententia nonnullorum, quibus calculum adiecit FLATTUS, Apostolum haec monuisse, ut indicaret, CHRISTUM naturam non assumsisse humana superiorem. Sed longissime aberrarunt, quotquot verbis auctoris abusi sunt ad somnia *Docetarum* commendanda.

Haec de ratione, quam iniit CHRISTUS, cum hominum in lucem veniret. Nunc docere pergit PAULUS, quomodo eam ad mortem usque persecutus sit. Primum igitur ille dicitur σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Quae, egregie falluntur, qui

plane eodem redire putant ac dictum praecedens. Incipiamus ab interpretanda voce *σχήματι*. Nihil amplius illa, si C. VORSTIO, ENDIO, KEILIO fides est, significat, quam *ὁμοιώματι*. CASAUBONUS eam omnino redundare ait, ut apud SOPHOCLEM (1), ubi legimus *καὶ ζῆ τύραννον σχῆμα ἔχων*. Sed tantum abest, ut hoc scriptum sit pro *τύραννον εἶναι*, ut Poëta nobis tyranni *habitum* proponat, in oculos incurrentem. Similiter apud PLUTARCHUM de CLEOPATRA: *ἡ μὲν γυνὴ, καταλιποῦσα βασιλείαν τοσαύτην καὶ διατριβὰς εὐδαίμονας, φθείρεται μετὰ σοῦ* (ANTONI) *στρατευομένη, σχῆμα παλλακίδος ἔχουσα*, id est, *habitum vilis concubinae habens* (2). Et diligens locorum, qui a RAPHELIO et WETSTENIO allati sunt, lustratio docebit, voci *σχῆμα*, ubi lectori minus attento redundare videatur, suam revera esse notionem, et eam quidem, quam ab origine sibi repetat. Neque aliud effici poterit ex comparatione dictionum *παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου* 1 *Cor.* VII: 31, et *ὁ κόσμος παράγεται* 1 *Ioann.* II: 17; si quidem PAULUS *hunc mundum adspectabilem* significat, IOANNES *societatem hominum depravatam*. Rectissime igitur BENGELIUS ad vocem *σχήματι* explicandam adscripsit: *habitus*, cultus, vestitus, victus, gestus, sermones et actiones. Quocum satis convenit HESYCHII *Glossa* ad 1 *Cor.* VII: 31: *σχῆμα· πλάσμα, διάθεσις, κόμπος*. Rectissime itidem MATTHIESIUS et haud pauci Interpretes voci illi notionem *habitus* tribuerunt (3). Quod haud scio, an factum iam sit ab auctore *Testamenti* XII *Patriarch.* cum ZABULONEM induceret vaticinantem: *καὶ ὄψεσθε Θεὸν ἐν σχήματι ἀνθρώπου* (4).

(1) *Antig.* vs. 1145 (1169).

(2) *Moral.* p. 61 AB. XYL. Quid? quod apud EURIPIDEM legimus *μορφῆς σχῆμα ἀγρίας* et *ταὐτὰ μορφῆς σχήματα*. *Ion.* vs. 992. *Iphig. in Taur.* vs. 292.

(3) Cff. quae attulit KREBSIUS, *Observat. in N. T. ex* FLAV. IOSEPH. ad h. l.

(4) Cap. 9. apud FABR. l. c. p. 644, 645. Simile, nec tamen idem est quod infra p. 744 ait BENIAMIN: *προσκυνοῦντες τὸν βασιλέα τῶν οὐρανῶν, τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα ἐν μορφῇ ἀνθρώπου ταπεινώσεως.*

Ceterum mittimus eos, qui longius ab usu discedere videntur, ut THEOPHYLACTUS et GROTIUS, quorum alter *σχήματι* interpretatur *σαρκί*, alter *ἀξιώματι*. Progrediamur ad Participium *εὑρεθείς*, quod nihil amplius quam *ὤν* vel *γενόμενος* significare, tralatitium concessumque etiam est a FLATTO et KEILIO. Provocant saepe ad auctoritatem GATAKERI, qui ingenti locorum copia congerenda probare studuit Verbum *εὑρίσκεσθαι*, et in Literis Sacris ad imitationem sermonis Hebraei, et a scriptoribus exteris haud raro positum esse pro *εἶναι* (1). Sed nec ille, neque alius quispiam plus probavit, quam Veteres passim mentem ita enunciasse, ut lectorem incautum facile in opinionem inducant, verba illa inter se permutata esse. Enimvero ubique sic distinguenda sunt, ut alterum *rei naturam* vel *conditionem* significet, alterum vero *illud, quod de ea compertum habetur* vel *cognoscitur* (2). Sine scrupulo igitur, LUTHERI, CALVINI, GROTII, SLICHTINGII, aliorum vestigiis ingressi, hic scribemus: *cum deprehenderetur*. Iam si sequitur *ὡς ἄνθρωπος*, Particula *ὡς* comparationi inservit, non confirmationi, quam vim eius multis locis Interpretes temere affinxerunt (3). Et comparatio, uti huic formulae inesse debet, quoniam inest praecedenti *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος*, cui illa respondet; sic desiderari nequit, ne oratio in sensum alienum torquea-

---

(1) Ad MARC. ANTON. Lib. IX. cap. 9.

(2) Cff. WINER. l. c. p. 557, 558. FRITZSCHE ad *Matth.* I: 18.

(3) Huius numeri etiam THEOPHYL. aliique ad h. l. esse aiunt *Ioann.* I: 14, ubi LUCKIUS quoque (*Comment.* Ed. 2.), egregius ceterum Interpres, sine causa vulgarem sequitur sententiam, vocabulis *μονογενοῦς* et *πατρός* CHRISTUM et *Deum* significari. Quod visum quoque est WINERO. p. 116, 559. et nuperrime WETTIO, *Kurze Erklär. des Evang. und der Br. Joh.* ad h. l. Equidem non dubito, quin IOANNES *gloriam τοῦ Λόγου cum gloria, quali gaudet filius, qui Patri suo unicus est, comparaverit*, et, hac semel facta comparatione, CHRISTUM nunc porro *unicum* dixerit *Dei Filium*, cap. I: 18. III: 16, 18 item. 1 *Ioann.* IV: 9, quibus in locis, praemisso Articulo, *ὁ μονογενής* legitur. Cf. egregia disputatio KLUITII. l. c. Tom. I. p. 581 sqq.

tur. Nam hîc quoque PAULUS dicere non vult, quod dicentem eum fecerunt CHRYSOSTOMUS aliique, Filium Dei hominem esse factum; sed *habitum eius fuisse talem*, *ut deprehenderetur similis esse hominum:* id est, minister Dei, ut alii homines, Deo subiectus. Hanc autem mentem suam melius enunciare non potuit, quam usu Singularis *ἄνθρωπος*, *homo quilibet*, quocum tamen Interpretes recte conferre iubent Plurale *ἄνθρωποι*, *Psalm.* LXXXII: 7. et *πάντες οἱ ἄνθρωποι*, *Iud.* XVI: 17.

Minus disputandi causa est de sequentibus: *ἐταπείνωσεν ἑαυτόν*, quae superioribus *ἑαυτὸν ἐκένωσε* respondere, nemo negabit. Si quaeritur, Synonyma haec sint, ut post alios monuit KEILIUS, an notione inter se differant, vix esse arbitror, quod in indicio haereas. Nam, ut alia nunc mittam, formula *ταπεινοῦν ἑαυτόν* de iis usurpari solet, qui non solum *semet ipsi deprimunt*, aut *se faciunt submissos*, quod altera *κενοῦν ἑαυτόν* significari vidimus, sed etiam *submisse se gerunt*, uti docent *Matth.* XVIII: 4. *Luc.* XIV: 11. 2 *Cor.* XI: 7 et alii loci a SCHLEUSNERO et WETSTENIO allati. Hanc autem interpretationem verba *ἐταπείνωσεν ἑαυτόν*, ut adiunctorum ratio habeatur, sibi omnino postulant. Dicit igitur PAULUS: *Et, cum habitu* (suo) *deprehenderetur*, *ut homo quilibet*, *Dei minister esse*, *submisse se gessit.*

Quomodo autem submissio illa apparuerit, nobis tradit auctor verbis: *γενόμενος ὑπήκοος*, id est, *eo quod se omni in re obedientem praestabat Deo.* Plausum non tulit GROTII sententia, obedientiam hîc memorari *hominibus* praestitam, *tam Iudaeis*, *quam Romanis:* neque hoc sane mirandum. Nam primum, qui interpretationem illam probet, necesse est respuere multa eorum, quae orationi praecedenti inesse recentior aetas nobiscum exploratum habuit. Deinde, si summa laus CHRISTI cernitur in iussis *hominum* peragendis, non intelligo, quomodo dici possit, quod statim sequitur, *propterea Deum etiam eum evexisse.* Tum loquendi

iubet usus Adiectivo *ὑπήκοος* cogitando adiici Nomen *Θεῷ*, ut apparet ex *Rom.* V: 19. *Hebr.* V: 8 aliisque locis, quos attulit FLATTUS. Et quamvis CHRISTUS se ab adversariis suis male tractari passus est; nonne tamen CHRISTO aliena tribuit, qui eum hominum illorum obedientem facit voluntati? Quae si bene disputata sunt, mens PAULI quoque esse nequit, quam ei affingunt SLICHTINGIUS aliique, CHRISTUM *primum obedientem factum esse Deo, deinde et, ex Dei voluntate, Principibus Iudaeorum et Praesidi* PILATO. Quid? quod usus eiusdem vocis *ὑπήκοος* ad significandum, quomodo CHRISTUS se erga Deum Sanctissimum et homines improbissimos gesserit, plane absurdus videtur. Quod autem supra interpretationi adieci *omni in re*, meo non factum est arbitratu, sed propter sequentia *μέχρι θανάτου*, quibus indicat auctor obedientiae *perpetuitatem haud intermissam*, *donec* ille *moreretur*, seu morti se traderet, ut docent loci similes *Act.* XX: 7. *Rom.* V: 14. 1 *Tim.* VI: 14, ubi Praepositio *μέχρι* eandem vim habet. Ex aliis vero, praesertim 2 *Macc.* XIII: 14 et vel *Phil.* II: 30, simul apparet, me vocem *θανάτου* bene interpretatum esse (1). Quibus consideratis, nullam esse videbimus causam, cur, mutata distinctione, haec ipsa *μέχρι θανάτου* ad verbum *ἐταπείνωσε* referantur, ut placuit etiam BENGELIO. Immo hac structura et vis formulae praecedentis *γενόμενος ὑπήκοος* vehementer infringitur, et coalescunt duo, quorum utrumque sibi constare necesse est, ne superiorum *ἑαυτὸν ἐκένωσε* et *μορφὴν δούλου λαβών* alterutri desit, quod sibi sigillatim respondeat. Ceterum obedientiae CHRISTI magnum cumulum addunt adiuncta *θανάτου δὲ σταυροῦ*, *et quidem moreretur in cruce.* Particulam enim *δέ* tali in oratione augendi vim habere, recte monuerunt RAPHELIUS et WOLFIUS: quod tamen cum ex omissione Verbi *λέγω* exortum sit, inde non sequitur, vocem sibi

(1) Cf. TITTMANN. *de Synon.* Lib. I. p. 33 sqq.

alienam admittere notionem. Plene scribi potuerat: *θανάτου δὲ λέγω σταυροῦ,* quod est se ita corrigentis: *mortis vero dico crucis:* sed affectio animi brevitatem commendabat Graecis usitatissimam.

VERS. 9.

Iam quo acrius *Philippenses* ad CHRISTI imitationem excitentur, PAULUS continuo in gloriam plane singularem, quam ille obedientiae suae causa consecutus est, praedicandam excurrit: *Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα.* Sic enim ad librorum veterum fidem cum GRIESBACHIO, LACHMANNO aliisque scribendum esse videtur, ut voci *ὄνομα* restituatur Articulus, quem ab antiquo haud paucos omisisse puto, sive quod eum supervacaneum haberent, seu errore oculorum et festinatione. Particula *διό*, a quo incipit oratio, multi quidem abusi sunt ad contendendum, CHRISTUM sibi ipsum gloriam suam promeruisse; sed absit tamen, ut eam *causalem* dicere et interpretari vereamur *propterea*, quam notionem ei post alios recte vindicarunt KEILIUS et MYNSTERUS. Sequentia *καὶ ὁ Θεός, etiam Deus*, si exponimus *pro sua parte Deus*, intelligitur, vocem *καί* non redundare, sed inservire ad Antithesin consummandam. Verbum autem compositum *ὑπερύψωσε* ut plerique Interpretes, ORIGENE (1) iam praeeunte, a simplici distinxerunt; sic subiecta *τὸ ὄνομα τὸ ὑπέρ* cet. docent, PAULUM dicere velle: *eum supra omnes alios evexit.*

Haec IESU gloria quaenam sit, auctor in altero huius versus membro explicare incipit praemissa Particula *καί*, quae, ut in omni sermone humano, sic in Literis Sacris duas saepe connectit sententias, quarum ad priorem explican-

(1) Opp. Tom. II. p. 549 E. Verborum copiam, quorum vim auget Praepositio *ὑπέρ*, congessit VOORSTIUS, *Animadv.* p. 64. Ita et Verbum *ὑπερυψόω Psalm.* XCVI: 9.

dam posterior adiecta est: quod abunde docent BRETSCHNEIDERUS aliique Lexicographi. Negari autem nequit, Verbum ἐχαρίσατο vertendo reddendum esse *gratiose donavit* vel *largitus est*, uti cap. I: 29 multisque Novi Testamenti locis, quorum rationem recte habuerunt COCCEIUS aliique. Nec dubitandum sane est, quin remuneratio perfectae IESU obedientiae attribuenda sit favori singulari, quo Deus hunc *Filium hominis* prosecutus est, eundem rebus in facto positis *suum* esse *Filium* declarans. Sed quid IESUS a Patre acceperit, Interpretes vulgo minus intellexisse videntur. Nimirum quod PAULUS scripsit *τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα* plerique ita sumserunt, ut eo *gloriam*, *maiestatem* vel *dignitatem* denotari censerent *omni alia gloria*, *maiestate*, *dignitate superiorem*. Sic haud secus PRZIPCOVIUS, SLICHTINGIUS, CRELLIUS, quam LUTHERUS, CALVINUS, BEZA, GROTIUS, LAUNAEUS, et duce quidem CHRYSOSTOMO, cuius verba ὄνομα *αὐτοὶ* (*Haeretici*) *τὴν δόξαν λέγουσιν*, ad corrigendum Interpretem Latinum, reddenda sunt: *nomen* IPSI *gloriam esse dicunt:* tum recentiores fere omnes, nuperrime MATTHIESIUS (1). Pars vocem *ὀνόματι* vs. 10 eodem modo interpretantur; pars vero illam ibi redundare putant. Quod iam ORIGENI placuit, cum dictum PAULI, si Interpreti Latino fides est, exponebat de *genibus* IESU *flectendis* (2). Sed, minus sibi constans, alibi propriam et vulgarem notionem *nominis* retinuit (3). Similiter PELAGIUS, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS, COCCEIUS,

---

(1) Paulo ante, quam haec scribebam, incideram in Tom. XXXII operis: *Verhandd. van Teylers Godgel. Genootschap*, ubi Doct. VAN DER WILLIGEN. p. 207 sqq. id strenue egit, ut voci *ὄνομα* notionem haud valde dissimilem *auctoritatis* vindicaret. Eadem vox placuit quoque BELSHAMO. RUCKERTUS vero in *Comm.* ad *Rom.* I: 5 dubitandum non esse ait, quin PAULUS hâc voce *gloriam* seu *dignitatem* CHRISTI coelestem expresserit. Quod, ut alios mittam, certum quoque habet WINERUS l. c. p. 132.

(2) Opp. Tom. I. p. 58. Tom. III. p. 361.

(3) Tom. I p. 367, 268. Ib. p. 786. Tom. II. p. 462.

ESTIUS, MICHAËLIS, MYNSTERUS. At hi tamen Viri vel a mente auctoris longius aberrant, nomen *Filii Dei* significari contendentes; vel eam certe ab omni parte assecuti non esse videntur. Equidem diu persuasum mihi habui, tam firmam esse fidem Interpretationis maxime vulgaris, ut labefactari non posset: re vero haud ita pridem denuo explorata animadverti, hîc quoque *Traditionem* regnare *Exegeticam*, quae se virorum magnorum auctoritate magis tueatur, quam argumentorum vi et pondere. Et primum sane, quamquam Interpretes et Lexicographi multos Literarum Sacrarum locos excitarunt ad probandum, vocem ὄνομα saepe non ipsum significare *nomen*, sed eius, qui nomen gerat, *gloriam*, *maiestatem*, *dignitatem* aut simile quid; his tamen in locis nihil inesse reperi, quod a notione *nominis* discedi iubeat. Legantur *Marc.* VI: 14. *Ioann.* XII: 28. *Act.* III: 16. *Rom.* I: 5. IX: 17 et alii, in quorum nonnullis ὄνομα quidem de *nomine splendido* vel *glorioso* accipiendum est, verum ita, ut notio *splendoris* vel *gloriae* ipsi non adscribatur voci, sed orationis contextae causa ei cogitando adiiciatur. Eodem modo iudicemus oportet de locis Veteris Testamenti, ubi aiunt Viri Docti vocem Hebraeam שם *gloriam dignitatem*ve alicuius denotare, uti *Num.* XVI: 2. 1 *Chron.* XVII: 8. *Neh.* IX: 10. *Ies.* XLVIII: 9. Falsam autem hanc interpretationem esse, intelligemus cum maxime ex similibus *Deut.* XXVI: 19. 1 *Chron.* XXII: 5. *Ier.* XIII: 11, ubi vox eadem שם ab aliis, quae *gloriam* vel tale quid significant, ita distinguitur, ut *nominis* retinenda notio sit. Atque hoc tam clare in oculos incurrit, ut vehementer GROTIUM, STORRIUM, RHEINWALDUM illuc provocasse mirer ad vulgarem errorem defendendum. Idem docetur locis Novi Testamenti, quibus Interpretes abusi sunt, quemadmodum *Ioann.* XII: 28: nam ὄνομα ibi nihil aliud esse, quam *nomen Dei Paternum*, bene monuit LUCKIUS. Imprimis vero animum attendere debemus ad *Eph.* I: 21 et *Hebr.* I: 4,

ubi CHRISTUS aeque atque in *Ep. ad Philipp.* postquam in cruce mortuus erat, *nomen* accepisse dicitur. Quamquam enim his maxime in locis praesidium sibi quaerunt, qui vocem *ὄνομα dignitatem* vel similiter interpretantur, illius tamen interpretationis perversitas in altero ex adiecto Pronomine *ὀνομαζομένου*, in altero ex appellatione *Filii Dei*, quae versu 5 legitur, luculentissime apparet. Rationem sic concludimus, in Literis Sacris locos quidem haud paucos esse, ubi vocabula שֵׁם et *ὄνομα* de *nominis gloria*, *maiestate* vel *dignitate* dicantur; sed nullos omnino, qui ita comparati sint, ut, spreta *nominis* notione, *gloria*, *maiestas*, *dignitas* vel aliud quid pro eo substitui debeat. Scriptores exteros nunc praeterimus silentio, quamvis iis quoque Interpretes abusi sunt (1). Sed ad ipsam revertamur orationem, cuius causa hanc disputationem suscepimus. Mirum iam est, PAULUM, si scribens *ὄνομα* in mente haberet *gloriam*, vs. 11 vocem *δόξαν* a superiori distinxisse. Multo mirabilius, eodem in loco illud *ὄνομα* ter legi, et vel sic tamen notionem eius veram et propriam spernendam esse. Atqui hoc fieri non posse, evidenter docet formula proxime sequens *ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ κάμψαι*, quam interpretandam esse *in nomine* IESU *flectere* infra videbimus. Quae cum ita sint, posterius huius versus membrum sic explicare non dubito: *et largi-*

---

(1) ERASM. SCHMID. ad *Matth.* X: 41. WETSTEN. ad h. l. excitant verba PHILOSTRATI *de Vit. Apoll.* Lib. III. cap. 22: *Ὑφ' οὗ πολλοὶ καὶ τῶν μὴ πάνυ σπουδαίων ἐς ὄνομα ἤχθησαν.* Sed quamvis *ὄνομα* ibi *nominis* includit *famam* vel *celebritatem;* vera tamen interpretatio est: *a quo multi etiam, qui non valde excelluerant, nomen* (apud posteritatem) *acceperunt.* Hos enim ignobiles, nominatim ab HOMERO memoratos, opponit auctor PALAMEDI, de quo ne mentionem quidem Poëta fecit. Mitto alia, ab iis excitata. Addere tamen lubet verba *Clem. Rom.* apud COT. Tom. I. p. 171: *ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς,* quae primo adspectu de *dignitate Episcopatus* explicanda videntur; sed haec fuit mens auctoris: *litem fore de nomine eius, qui episcopatu potiretur.* Respicit nempe quae scripsit paulo superius de tribubus Israëlis: *ὁποία αὐτῶν εἴη τῷ ἐνδόξῳ ὀνόματι (τῆς ἱερωσύνης) κεκοσμημένη.*

tus est ei nomen illud, quod omni nomine superius est, scilicet *nomen Domini regni Divini*. Hoc enim nomen *Domini* auctoris in mente fuisse, non coniectura est, ex *Act*. II: 36. 1 *Cor*. VIII: 6 aliisque tantum locis petita, ubi illud CHRISTI proprium dicitur; sed perspicue intelligimus ex verbis vs. 11 ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστός.

VERS. 10.

Quonam consilio Deus CHRISTO illud nomen *Domini* largitus sit, PAULUS sententia explicat, cuius pars prior haec est: Ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. Quae quidem verba de *genibus* ipsi IESU *flectendis* sumi debere, Interpretibus, quomodocunque ceterum de iis disputent, omnibus, quorum nunc memini, omnino (1) adeo persuasum esse video, ut prope absit, quin contradicturus mihi ipse diffidam. Sed lustratis et ponderatis, quae communi hominum persuasioni obstant, argumentis, animum mirifice confirmari sentio. Quandoquidem nempe vox ὄνομα vs. 10, ut effecisse mihi videor, nihil aliud quam *nomen* significat; dubitandum quoque non est, quin formula ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ non aliter exponenda sit, quam *in nomine* IESU. Quis enim inficiabitur, auctorem, cum hac formula uteretur, *nomen* respexisse, quod supra scripsisset Deum CHRISTO largitum esse? Atqui hoc si constat, res ipsa loquitur, notionem vocis, quemadmodum ibi constituta sit, hîc omnino esse retinendam. Multis igitur refellere non opus est STORRIUM, HEINRICHSIUM, KEILIUM aliosque Interpretes, qui, vel Praepositionem ἐν pro εἰς positam esse monentes, PAULUM sibi voluisse aiunt *ad honorem*, vel *gloriam* IESU; vel, eandem Praepositionem hîc Dativum indicare

(1) Excepto nempe ORIGENE, qui in ll. supra all. semel iterumque verbis PAULI doceri sumsit *genua Deo flectenda esse*. Alibi vero ostendit, se sibi non constare.

meminit sane, scriptoribus antiquis, cum exteris, tum maxime Sacris, hanc breviloquentiam usitatissimam esse, ut Verbum omittant ex Praepositione, quae Nomen praecedit, explicandum. Huius omissionis iam supra hac in Epistola PAULI nobis occurrerunt exempla. Sed loci hîc imprimis notandi sunt, ubi voci ὄνομα, ad mentem auctoris bene intelligendam, Verbum adiici debet. Tales sunt *Matth.* XVIII: 20. XXVIII: 19. *Act.* VIII: 16. XIX: 5. 1 *Cor.* I: 13, 15, in quibus omnibus breviter scriptum est εἰς τὸ ὄνομα pro *ad nomen colendum* vel *profitendum*. Similiter etiam supplenda sunt quae exstant *Matth.* X: 41, 42, εἰς ὄνομα προφήτου, δικαίου, μαθητοῦ, ut exponantur: *ad eum, qui vatis Divini, viri probi, discipuli mei nomen gerit, colendum* vel *honorandum*. Nec Verbo carere possumus ad explicandam sententiam IESU *Marc.* IX: 41, ubi legimus: Ὃς ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος, ἐν ὀνόματι (sic enim scribendum cum GRIESBACHIO aliisque), ὅτι Χριστοῦ ἐστε. Mens igitur eius ita reddenda est: *Qui enim vobis poculum aquae bibendum dederit, quod sectatorum* CHRISTI *nomen profitemini*. Atque eiusdem numeri sunt loci, qui plenam continent formulam ἐν τῷ ὀνόματί τινος, uti *Marc.* XVI: 17. *Luc.* X: 17. cf. *Act.* XIX: 13. Sed brevis esse possum monendo, ubicunque Verbum, hanc formulam praecedens vel sequens, rem proponat, quae *in alicuius nomine* fieri non possit, Praepositionem ἐν convertendam esse in aliud Verbum, quod voci ὀνόματι conveniat.

Iam vero, si bene attendimus ad ea, quae hîc sequuntur, πᾶν γόνυ κάμψῃ, *ut omne genu se flecteret*, paucis tantum opus erit ad litem dirimendam. Nam *genua flectere in templo, in solo* et similia recte dicuntur: at, quid sit *in nomine alicuius* hoc facere, ne ipsi quidem illi explicare poterunt, qui se formulam intelligere putant, quod a pueris inde orationem PAULI memoriter recitare solent, sensum ei tribuentes, prout fando audiverunt. Nec Verbo κάμπτω, ad

venerationis, quod dicitur, *obiectum* denotandum, usquam subiacet Nomen a Praepositione ἐν pendens: sed, si excipimus *Eph.* III: 14, ubi πρὸς τὸν Πατέρα legimus, ubique, quantum scio, Nomen sequitur in Dativo, sine ulla Praepositione. Loquendi igitur usus cum Verbo κάμψῃ connectere vetat formulam ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ: ut nihil aliud restet, quam illud ab hac secernere et interpretari: ut *flecterent se*, scil. *Deo*. Ita 2 *Chron.* XXIX: 29: ἔκαμψεν ὁ βασιλεὺς καὶ πάντες οἱ εὑρεθέντες, καὶ προσεκύνησαν: id est: *Rex et omnes, qui cum eo erant, genua flexerunt Deo eumque adorarunt.* In Codice autem Hebraeo, ut hoc loco, sic etiam *Esth.* III: 2 bis sine Nomine subiecto positum est Verbum כרע, quod Interpres Graecus apud ORIGENEM bis reddidit Verbo κάμπτω, non item *Alexandrinus*, qui addito Pronomine scripsit προσεκύνουν αὐτῷ et προσεκύνει αὐτῷ. Breviloquentia PAULI, nec difficultatem parit, cum proxime praecedat ὁ Θεός; neque aliunde exstitisse videtur, quam quod ille, scribens κάμψῃ, iam in mente habebat ἐξομολογήσηται, itidem sine Nomine positum. Et quoniam ipsius Dei, dictum *Ies.* XLV: 24: Ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, quo usus etiam est *Rom.* XIV: 11, ad rem suam convertebat, nec vero Pronomen ἐμοί orationi conveniebat, Dativum omittere maluit, quam alium pro eo praeter necessitatem substituere. Sed si verba ἵνα πᾶν γόνυ κάμψῃ a mediis ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ secerni debent, res ipsa loquitur, haec itidem ab illis secernenda et exponenda esse *adhibito nomine* IESU, vel similiter. Atque ita PAULUS eandem fere proponit doctrinam atque ipse IESUS *Ioann.* XIV: 13, 14. XV: 16. XVI: 23, 24, 26.

Sequuntur verba ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, quae haud scio, an commate a praecedentibus seiungenda sint, ut explicentur *Coelestium, dico, et Terrestrium, et Subterraneorum.* Sic habet Editio Recepta, quam probarunt GRIESBACHIUS aliique, 1 *Cor.* I: 2: ἐν παντὶ τόπῳ,

αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν, id est: *in omni loco, eorum, dico, et nostro.* Iam haec distinctio, cui et usus favet Genitivi Pluralis sine Articulo, et huius Genitivi separatio a Nominativo Singulari *γόνυ*, si probanda est; dubitari nequit, quin auctor, cum verba *πᾶν γόνυ κάμψῃ* talia esse videret, ut quis ea ad solos terrarum incolas restringere posset, Adiectivum *πᾶν* explicare voluerit illis, qui sibi in mente erant, sigillatim enumerandis. Sed ne sic quidem sublata quaestio est, quosnam sibi haec scribens proposuerit. Satis multi verbis *ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων* notionem subiecerunt figuratam. Quod tamen, quamvis nec CHRYSOSTOMO, OECUMENIO et THEOPHYLACTO plane displicuit, KEILIUS, RHEINWALDUS, MATTHIESIUS haud secus a probabili abhorrere docent, quam coniecturas, ab HEINRICHSIO commendatas, Adiectiva *ἐπουρανίων* cet. Neutrius Generis, non Masculini esse, vel inservire tantum ad universitatem denotandam (1). Ceterum nihil quidem asseverare ausim; sed cum his tamen plurimisque Interpretibus THEODORETI sententiam sequi malo quam aliam: ut PAULI verba exponam: *Geniorum coelestium, hominum viventium hac in terra, mortuorum, qui sunt apud Inferos.* Vox enim *καταχθόνιος*, quae in Literis Sacris semel tantum occurrit, apud Scriptores exteros *Defunctorum manes in orco versantes* significat, ut et PLUTO a Poëta dicitur *ὁ καταχθονίοισιν ἀνάσσων*. Ex eo autem, quod collocatio hominum mortuorum apud Inferos vix aut ne vix quidem permittit, ut hîc etiam homines in coelo collocentur, omnino sequi videtur, *ἐπουρανίους* dici *Genios coelestes*. Vulgo conferre iubent *Exod.* XX: 4, 11. *Deut.* IV: 17, 18. V: 8. *Psalm.* XCVI: 11. CXLVI: 6. *Ezech.* XXXVIII: 20. *Act.* IV: 24. *Apoc.* V: 13: sed hi loci nullius usus sunt, quoniam in iis, ratione Inferorum

---

(1) HEINRICHSIUS secutus est NOESSELTUM, *Exercitat. ad S. S. interpr.* p. 198. Et hunc iam praecesserunt LAUNAEUS aliique.

non habita, recensetur quidquid in coelo, terra marique est.

VERS. 11.

Progrediamur ad alteram partem sententiae, qua PAULUS consilium explicat, quo Deus CHRISTO homen *Domini* largitus est. *Καὶ πᾶσα γλῶσσα*, inquit, *ἐξομολογήσηται, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός.* Distinctionem secutus sum Editionis Receptae, ut postrema coniungantur cum Verbo *ἐξομολογήσηται*, non vero cum voce *Κύριος*, quae vi sua omnino privatur, sive interpretamur *Dominus ad gloriam*, seu, Praepositione *εἰς* pro *ἐν* sumta, scribimus *in gloria*, ut placet BEZAE, SCHMIDIO, imprimis BENGELIO, qui Veterum, CYPRIANI, VICTORINI, AMBROSIASTRI, etiam *Vulgati Lat.* vestigia premunt. Distinctioni vulgari iam favet *Ies.* XLV: 24, 25, quem cum locum PAULUS in mente haberet, comprehendisse videtur *ἐξομολογήσηται εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός*, quemadmodum ibi cohaerent *ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν Θεὸν* et *λέγων, δικαιοσύνη καὶ δόξα πρὸς αὐτὸν ἥξει.* Deinde eam valde commendant loci similes *Eph.* I: 6, 12, 14, ubi formulae *εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον (τῆς) δόξης αὐτοῦ* et *εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ* non ad proxime praecedentia referri debent, sed ad Verba remotius posita *ἐξελέξατο, ἐκληρώθημεν, ἐσφραγίσθητε.* Valet autem utrumque hoc argumentum ad eos quoque refellendos, qui verbis *εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός* totius orationis superioris vs. 9-11 conclusionem inesse putant. Mecum plerique consentiunt Interpretes, etiam *Novum Test. Valp.* ducibus CHRYSOSTOMO, THEODORETO, THEOPHYLACTO.

Constituta orationis structura, haud difficilis eius est interpretatio. Vocabula *πᾶσα γλῶσσα* non significant *omnes populos*, ut THEODORETO et PELAGIO visum est; sed Parallelismus iis notionem multo ampliorem tribui iubet, ut tam ad *Coelestium* et *Inferorum*, quam ad *hominum terrestrium linguas*

referantur. Quod nihil habet absurdi, cum et illi supra aeque atque hi genua flectere dicantur, et PAULUS 1 *Cor.* XIII: 1 *τὰς γλώσσας τῶν ἀγγέλων* memoret. Pro Subiunctivo, qui sequitur, Aoristi *ἐξομολογήσηται* aliquot in libris legimus Indicativum Futuri *ἐξομολογήσεται;* quam discrepantiam peperisse videtur levitas hominum nescientium, orationem bene procedere, dummodo repetatur Particula *ἵνα.* Certe quod vulgo editum est testimoniis Veterum tam fide dignis nititur, ut nulla causa sit illud in suspicionem vocandi. Iam Verbum compositum *ἐξομολογεῖσθαι* hactenus tantum a simplici *ὁμολογεῖσθαι* differt, ut exitum vocis ex ore tanquam adspectabilem faciat: ceterum vim notionis non auget Praepositio, ut loci non solum docent Literarum Sacrarum, quos congesserunt BIELIUS, SCHLEUSNERUS, BRETSCHNEIDERUS aliique Lexicographi, sed scriptores etiam exteri, ubi Composito illo utuntur (1). Quamvis vero bene se habet interpretatio communis *profiteretur*, formula tamen integra *ἐξομολογήσηται εἰς δόξαν Θεοῦ,* haud scio, an explicanda sit *laudibus celebraret Deum*, ut idem valeat ea ac brevior *ἐξομολογεῖσθαι Θεῷ,* Hellenistis usitatissima. Atque haec interpretatio si bona est, insigniter confirmata video quae supra de Verbo *κάμψῃ* disputavi. Voci autem *Πατρός,* qua haec sententia concluditur, cogitando non adiiciendum videtur *ἡμῶν* vel *πάντων,* sed *αὐτοῦ,* quod Pronomen in simili oratione *Rom.* VI: 4 omissum est, expressum vero *Matth.* XVI: 27, ita tamen, ut ibi Reciprocum *αὑτοῦ* legatur.

Quonam nomine laudandus Deus Pater sit, PAULUS declarat scribendo: *ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστός.* A sensu haud secus

---

(1) Cff. Ipp. ad *Matth.* III: 6, ubi Participium *ἐξομολογούμενοι* tamen minus recte a FRITZSCHIO exponitur *lubenter, aperte et vehementer confitentes.* Add. REITZ. *ad* LUCIANI *Hermot.* cap. 75. MATTHAEUM *ad* IOANN. CHRYS. *Homiliae* IV. Vol. II. p. 96, 97. CLEM. *Rom.* etiam apud COTEL. Tom. I. p. 176. Notatu quoque dignum est, Interpretem *Alex. Psalm.* XLI: 5 scripsisse *ἐξομολογήσομαι*, AQUILAM vero *ὁμολογήσομαι.*

aberrat C. VORSTIUS, perinde dicens, sive *Κύριος* attributi loco sumatur, seu *Χριστός*, quam Interpretes, qui hoc illi praeferunt. Ex eo enim, quod vox *Κύριος* praeposita, *Χριστός* postposita est, et utraque quidem sine Articulo, sequitur hanc veram verborum structuram esse: *ὅτι Ἰησοῦς Χριστός ἐστιν Κύριος*. Nec praetermittendum est, altera structura, et vocem *Κύριος* notionis suae amplitudine destitui, et seriem orationis a versu inde 9 perturbari. Sed in disputando brevis esse possum, quoniam Interpretes fere omnes ad recentissimum usque MATTHIESIUM mecum consentiunt. Itaque PAULUS hîc sibi velle videtur: *et ut omnes, quotquot in coelo, in terra et apud Inferos sunt, Deum, Patrem* IESU CHRISTI *laudibus celebrarent, quod hunc Filium suum Principem fecerit regni Divini.*

VERS. 12.

Orationis sequi conclusionem, Particula *ὥστε*, a qua hic versus incipit, nobis indicio est, ut praeter alios monstravit WOLFIUS. Sed quomodo illa orationis conclusio se habeat, vereor, ne multi Interpretes minus perspexerint. Quotquot enim ita iudicant, PAULUM nunc redire ad admonitiones de mutua hominum caritate, vs. 1-4 propositas, hunc in locum tanquam hiatum inducunt; quandoquidem auctor vs. 5-11, nulla plane huius caritatis facta mentione, perfectam CHRISTI tantum praedicat *obedientiam et* singularem *eius remunerationem.* Nimirum quod *Philippensibus* praecipit de unius rei studio, deinde conspicuum iis facit laudando CHRISTI exemplo. Hinc continuo excurrit ad commemorandam gloriam, quam CHRISTUS perseverantia pietatis et virtutis consecutus est. Tum vero ducitur ad monitum generale, eodem modo eius sectatoribus perseverandum esse, ut beatitate veri nominis potiantur. Atque sic oratio deinceps serie perpetua ab aliis ad alia procedit, ut post CALVINUM,

GROTIUM, multosque Interpretes, etiam antiquiores, bene vidit MATTHIESIUS.

Versum 12 quod attinet, quamvis ab iis, quae habet Editio Recepta, nunc plures, nunc pauciores libri discedunt; satis exploratum est, omnem illam discessionem partim negligentiae hominum, partim male sedulo corrigendi studio tribuendam esse. Ergo PAULUS haud dubie scripsit: *Ὥστε, Ἀγαπητοί μου, καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατε, μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου, μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε.* Iam de membrorum distinctione quaestio haud difficilis est. Leviores coniecturas, tum alias, praetereo, tum WERENFELSII (1), quem satis superque refutavit WOLFIUS. At hic vero ubi dicit, se nosse neminem, qui verba *μὴ ὡς — ἀπουσίᾳ μου* ad sequentia retulerit, vehementer memoria lapsus est. Magni enim Interpretes, CALVINUS, CAMERARIUS, GROTIUS orationem iam ita distinxerunt. Et sane, si rationibus standum est, primum Virorum illorum sententiae favet Particula *ὡς*, quae hîc non ad rei confirmationem inservire potest, multo minus redundat, sed *obedientiae simulationem* significat, atque ideo valde friget, si subiungitur verbis *καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατε* (2). Deinde si vel his cum verbis connecti possint proxime sequentia *μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον*, at neutiquam tamen remotiora *ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου*: nisi quis crediderit auctorem, et Adverbio *νῦν* abusum esse, et leviter adscripsisse *πολλῷ μᾶλλον*. Tum admonitio *Philippensium*, ut recte ait MATTHIESIUS, haud parum enervatur, si declaratio praecedit, eos iam PAULO absente officio suo satisfecisse. Quae cum ita sint,

---

(1) *Opuscula Theol.* cet. Vol. I. p. 340 sqq.

(2) Recte WOLFIUS conferri iussit *Eph.* VI: 6. Addi possunt *Act.* XXVIII: 19 aliique loci, ubi Particula cum negatione concurrit *ad falsum aliquid amovendum*. Ceterum cff. dicta ad vs. 8.

neque altera sententia habeat, quo se tueatur, orationis structuram sic constituere non dubito, ut, verbis *καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατε* tanquam in Parenthesi positis (1), cetera secum mutuo cohaereant.

Iam illud *ὑπηκούσατε*, si praecedentia inde a versu 6 uno tenore relegeris, melius, nisi fallor, intelliges, quam ex commentariis eorum, qui vel *τῷ εὐαγγελίῳ*, vel *τῷ λόγῳ*, vel *ἐμοί*, vel, uti PELAGIUS, *exemplo eius*, *qui usque ad mortem obedivit*, orationi cogitando adiiciunt. Quemadmodum nempe ibi plus semel, etiam post vocem *ὑπήκοος*, reticetur *Dei* nomen; sic hoc loco PAULUS, ut CRELLIO paucisque aliis visum est, in mente habuisse videtur *Θεῷ*. Talia certe hic sequi puto, ut iniuria fiat auctori, nisi interpretemur: *quemadmodum* (inde ab eo tempore, quo CHRISTI sectatores facti estis) *semper obedientiam* (Deo) *praestitistis*. Itaque Apostolus a laudandis *Philippensibus*, quod ad hunc usque diem, quo scribebat, sentiendi et agendi rationem vere Christianam secuti erant, orationem incepit, ut et animos admonitioni suae conciliaret, et tanquam bene currentes in stadio ad cursum haud intermittendum incitaret.

Admonitioni PAULUS non solum, verbis blandis *Ἀγαπητοί μου*, caritatis suae declarationem praemittit; sed priusquam illam proponat, modum etiam ostendit eius observandae. Ostendit autem ita, ut quaenam et sui, et Dei habenda sit ratio, deinceps memoret. Alterum sic agit: *μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου*, id est: *non*, *ut qui mihi praesenti tantum placere voluistis*, *sed nunc multo magis*, *cum a vobis absim*. Alterum praecipit usu formulae *μετὰ φόβου καὶ τρόμου*, *cum timore et trepidatione*, quae breviloquentia est, eo tollenda, quod verbis expressis addatur: *ne a via deflectatis* vel simile quid, ut etiam monuit *Interpres vern. in Annot.*

(1) Sic quoque CORN. A LAPIDE, ESTIUS, CALMETUS, alii.

Marg. Imago, quam nobis offert, a servis petita, si in dictionem propriam convertatur, scribendum esse ***summa animi demissione***, locis similibus *Psalm.* II: 11. 1 *Cor.* II: 3. 2 *Cor.* VII: 15. *Eph.* VI: 5 conferendis, maximopere probare conatus est CAMERO, CHRYSOSTOMUM, qui scripsit *μετὰ ταπεινοφροσύνης*, aliosque Veteres secutus. Reapse vero illis magis assentimur, quam assentiri videmur, si cum VATABLO interpretamur ***cum summa diligentia***, vel potius, ut suadet MATTHIESIUS, ***ex mente Deo religiosissime devota.*** Ceterum Participium *ὑπακούσαντες* ***obedientiam praestantes*** non praecedentibus *ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου*, ut vulgo statuitur, sed huic formulae *μετὰ φόβου καὶ τρόμου* cogitando subiiciendum esse, tria mihi persuaserunt: et ipsius formulae, quippe cui iam implicite ***obedientiae*** notio inest, observatio; et locorum supra excitatorum, in quorum plerisque ***obedientia*** proxime memoratur, comparatio; et consideratio denique, admonitionem sequentem *τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε* talem esse, ut aegre ac difficulter cum illa connecti possit.

Ex supra disputatis iam intelligitur, quonam loco et numero ipsam habeam admonitionem *τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε*. Sequor interpretationem eius, de qua omnes, quantum scio, inter se consenserunt Ecclesiae Patres, omnes post Sacrorum instaurationem Viri principes, donec haud ita pridem nonnulli, nec tamen indocti Viri, aliam ingrederentur viam, quae nunc maxime trita et consueta est. Nimirum Pronomen *ἑαυτῶν* pro *ἀλλήλων* positum esse sumentes, PAULUM praecipientem faciunt, ***mutuo quisque quod aliis saluti sit perficite.*** Iam ultro et libenter fateor, orationem contextam ita esse comparatam, ut hanc interpretationem primo aspectu omnino postulare videatur. Tum subsidio veniunt multi loci, ex libris tam exterorum, quam Sacrorum Scriptorum petiti, in quibus eandem aiunt utriusque vocis permutationem reperiri. Sed lustratis, quae afferun-

tur, exemplis (1), valde dubito, an usquam Pronomen ἑαυτῶν *illud* significet, *quod mutuo praestatur*, nisi adiuncta sint verba, quae hanc significationem alteri omnino praeferri iubeant, uti *Eph.* IV: 32. *Col.* III: 13. 1 *Pet.* IV: 8-10. Tantum vero abest, ut hic talia Pronomini ἑαυτῶν adiuncta sint, ut vox proxime sequens σωτηρία nullam aliam ferat interpretationem, quam *vestram ipsorum*, quae olim communis erat, vel potius *vestram ipsi.* Haec enim, ut iam cap. I: 19, 28 et in plerisque locis N. T. in quibus sine Articulo legitur, *veram et perennem sectatorum* CHRISTI *beatitatem* significat; sic, Articulo praecedente, constanter, nisi fallor, hanc notionem habet, si *Act.* XXVII: 34 excipimus, ubi *de liberatione ex certo quodam sumenda est malo*, quod in oratione contexta perspicue indicatur. Talis autem indicii cum nemo dixerit hîc vel ullum apparere vestigium, sequitur, quidquid aiat PEIRCIUS, τὴν σωτηρίαν hîc explicandam esse *veram et perennem beatitatem.* Atqui hac explicatione probata cadit omnino sententia, PAULUM nunc ad idem illud rediisse *communis utilitatis studium*, quod vs. 1-4 commendaverit, atque ideo Pronomen ἑαυτῶν pro ἀλλήλων accipiendum esse. Sed ex hac ipsa oratione superiori, ad quam provocant, alterum et haud minus grave quidem petimus argumentum interpretationis veteris defendendae. Ibi enim, sine ulla controversia, Pronomina ἀλλήλων et ἑαυτῶν inter se ita distinguuntur, ut hoc usurpetur de *sui ipsius studio*, illud de *officiis mutuo praestandis.* Iam vero quis crediderit, eodem in loco, ubi utrumque distinguatur, nonnullis interiectis, alterum substitui pro altero? Nullum certe huius permutationis, quae revera confusio est,

(1) Praeter Interpretes huius loci vide VV. DD. ad XENOPH. *Eph.* p. 168. HEINDORF. ad PLAT. Vol. III. p. 211. BORGERUM, *Vaderl. Letteroef. Febr.* 1820. p. 120. Ipse ego olim nonnulla hanc in causam disputavi in *Rec. ook der Rec.* Tom. XV. p. 208, 209.

exemplum me usquam legere memini. Ceterum formulas circumiectas μετὰ φόβου καὶ τρόμου et ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν graviores esse puto, quam ut admonitioni, aliorum commoda promovenda esse, aeque conveniant, atque interpretationi vulgari. Sed hoc minus urgere volo, quam orationis seriem non intelligi ab iis, qui inde argumentum petant interpretationis illius oppugnandae. Supra enim probasse mihi videor, PAULUM ab officio caritatis mutuae commendando deinceps ita progressum esse, ut postremum remunerationem obedientiae, quam CHRISTUS Deo praestitisset, proponeret. Iam vero conclusionem mihi aptiorem quam hanc fingere nequeo, similiter a *Philippensibus* Deo obediendum esse, ut remunerationis in CHRISTUM collatae fiant participes. Altera igitur eius parte, ut vidimus, praemissa, alterum sic enunciat auctor: *vestram ipsi beatitatem perficite.* Sic nempe Pronomen ἑαυτῶν *Matth.* XXIII: 31. *Act.* XIII: 46. *Rom.* II: 14. XII: 19. 2 *Cor.* III: 1 aliisque in locis quam plurimis occurrit, ut nobis facultatem praebeat hîc interpretandi *vestram ipsi*, non vero, ut fieri solet, *vestram ipsorum.* Verbum autem κατεργάζεσθε cum CHRYSOSTOMO et optimis quibusque Interpretibus a Simplici ἐργάζεσθε distinguendum esse, praeter alios bene ostendit CAMERO. Unde apparet, homines, non obedientiae immemores, sed eius valde studiosos hîc admoneri, ut viam, quam ingressi sint, perpetua cura ac diligentia persequantur.

VERS. 13.

Admonitioni PAULUS pondus et momentum adiicit scribendo: Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Nexus cum superioribus se ipse explicabit, si singulorum verborum interpretationem ita confecerimus, ut orationis pateat sensus. Incipimus a proximis ὁ Θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν, quae RAPHELIUS, WOLFIUS aliique eleganter et per Emphasin posita esse contendunt pro ὁ Θεὸς

ἐνέργει, suspensum tamen tenentes lectorem ad quaestionem, quaenam haec elegantia sit. Utique ipsa locorum, qui afferuntur, exempla docent, hac scribendi ratione homines de industria uti, si indicare velint, subiectum, quod agens inducitur, hoc nomine ab alio aliisve diversum esse. Sic *Luc.* XXII: 28: Ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ cet. *Ioann.* VI: 63: Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν. 1 *Cor.* XII: 6: Ὁ δὲ αὐτός [ἐστι] Θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν (1). Itaque Graeca cum BEZA reddenda puto: *Deus is est, qui efficit*, quod hunc sensum habet: *nemo alius effector est, quam ipse Deus.* Similiter recentiores nonnulli Interpretes, nuperrime SCHINZIUS. Iam si dicitur Deus ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν, *in vobis*, haud dubie illa Dei *in Philippensium animos* significatur *efficacitas*, quam Apostolus alibi Spiritui Sancto tribuit. Supra iam attuli 1 *Cor.* XII: 6: Ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσι. Adde *Gal.* III: 5: ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν: item *Test.* XII *Patr.* l. l. p. 538: Φθόνος οὐκ ἐᾷ τὴν σύνεσιν ἐν ἀνθρώποις ἐνεργεῖν. Quid autem Deus efficiat, perspicue docent verba καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, quorum brevitati hac circumlocutione succurretur: *et voluntatem vestrae beatitatis perficiendae, et huius voluntatis exsequendae efficacitatem.* Recte enim VALLA et ERASMUS *Vulgatum* reprehendunt *Latinum*, qui Infinitivum ἐνεργεῖν reddidit *perficere*, Participium vero ἐνεργῶν *operatur.* Recte item GROTIUS utrumque τὸ θέλειν et τὸ ἐνεργεῖν ad *Philippensium* refert officium supra propositum. Sed quonam iure Vir summus τὸ θέλειν revelationi promissorum Divinorum, τὸ ἐνεργεῖν Spiritui Sancto deberi scripserit, equidem non intelligo. Neque assentiri possum Interpretibus, qui cum MATTHIESIO censent, Verbum ἐνεργεῖν

(1) Plura huius dicendi rationis exempla locis insunt congestis a KLUITIO, Part. I. p. 240 sqq. et WINERO, p. 106. Valde simile quoque est quod legimus apud AESOPUM, *Fabul.* XXV: ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ καὶ ὑμᾶς αὐτὰς σώζων.

superiori κατεργάζεσθε respondere. Immo utrumque consulto distinxit auctor, hoc quidem enuncians quod hominum esse, illo, quod Dei esse iudicabat. Itaque *Philippenses* ad beatitatem suam perficiendam hoc argumento adhortatur, quod huius officii peragendi studium et vim Divinitus in animis suis accipiunt.

Quod supremum addidit PAULUS: ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, multum peperit controversiae, nec tamen intellectu difficile videtur. Orationis contextae plane immemores sunt, qui vocem εὐδοκίαν ad *homines* referunt, ut AMBROSIASTER, PELAGIUS et iam *Syrus* Graeca interpretans ܗܘ ܡܕܡ ܕܨܒܝܢ ܐܢܬܘܢ. Neque huic interpretationi ex *Psalm.* CXLV: 19, quem GROTIUS excitavit, praesidium quaeri potest, ut iam monuit COCCEIUS. PAULUS haud dubie *Deum* in mente habuit, sed studio suo brevitatis indulsit, Pronomen αὐτοῦ omittens, utpote orationi minus necessarium. Sic εὐδοκία etiam sine Pronomine αὐτοῦ vel αὑτοῦ, aut ipsius Dei Nomine legitur *Sir.* XXXI: 18. XXXV: 14, item XV: 15, ubi pro ποιῆσαι levi mutatione fortasse scribendum est ποιήσει, ut alterius membri sensus sit *et fidem liberabit placiti sui benigni.* Adde *vitam Adami* apud FABR. *Cod. Pseud.* V. T. Vol. I. p. 17: δωδεκάτη (ἡμέρᾳ ἐπιτελεῖται) ἔντευξις ἀνθρώπων εἰς εὐδοκίας. *Psalm. Sal.* VIII ibid. p. 944: Ἡμῖν καὶ τοῖς τέκνοις ἡμῶν ἡ εὐδοκία εἰς τὸν αἰῶνα: et verba *Luc.* II: 14 ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, quorum probanda videtur interpretatio vulgaris: *In hominibus est placitum eius benignum*, vel *hominibus bene cupit.* Quod autem vocem εὐδοκία reddo *placitum benignum*, non *benevolentia*, ut plerique, secundum Glossam SUIDAE: τὸ ἀγαθὸν θέλημα τοῦ Θεοῦ, aliasque similes; hoc fit consulto, ne ineptam loquacitatem obtrudere cogar PAULO *Eph.* I: 5, ubi scripsit κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. cf. vs. 9. Superest quaestio de notione Praepositionis ὑπέρ, et gravior quidem, quo plures Interpretum de ea sunt sententiae. Haud pauci, LUTHERO duce, pro ea

scripserunt *secundum*, quod CAMERO imprimis defendere conatus est. Sed frustra haec causa agitur, quoniam nullus in Novo Testamento exstat locus, ubi vox significationem illam habeat. Nec multo magis se ERASMI, BEZAE, GROTII commendat interpretatio *pro:* nam loci, quibus Viri Docti ad hanc interpretationem tuendam utuntur, uti *Rom.* XV: 8, 9. 1 *Cor.* X: 30. 2 *Thess.* I: 5, tales sunt, ut potius sibi postulent Latinum *propter*, quod ad hunc etiam locum retulerunt WOLFIUS, KRAUSIUS aliique. Vereor tamen, ut et hi, et OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, ceterique omnes, quotquot Praepositione *causam finalem* denotari viderunt, mentem auctoris omnino assecuti sint. Nimirum Graeca *ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας* reddenda esse puto *ad placitum suum benignum*, atque haec explicanda: *ut placitum suum benignum ostenderet*. Similiter *Ioann.* XI: 4 verba *ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ* explicanda videntur *ut gloria Dei conspicua fiat; Rom.* I: 5 *ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ*, de quibus supra iam diximus, *ut nomen eius illustraretur;* cap. XV: 8 *ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ ut verax deprehenderetur Deus* (1). Ceterum quod MICHAËLI in mentem venit, formulam *ὑπὲρ τῆς εὐδόκιας* cum Versu sequenti connectendam et exponendam esse *ultro et libenter*, et plura alienissima, quamvis a magnis Viris profecta, refellere non opus est.

Atque sic interpretatione huius versus absoluta, restat, ut ostendam, quomodo ille cohaereat cum superiori. Sed missis, brevitatis causa, qui dissentiunt, dicere tantum lubet, quod mihi videtur. PAULUS igitur cum *Philippenses* beatitatem suam perficere iusserit obedientia, non sibi, sed Deo praestanda, iusso suo, nisi fallor, gravitatem addit monendo: *unum enim esse Deum, non se hominem, qui iis huius officii peragendi studium et vim praebeat.* Haud multo aliter orationis seriem proponunt SLICHTINGIUS, CRELLIUS,

(1) Cff. *Godgel. Bijdragen.* Tom. VI. p. 671 sqq.

BENGELIUS. Et sane, hanc viam ingressi, intelligimus, cur auctor non scripserit *ὁ Θεὸς γὰρ ἐνεργεῖ*, sed *ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν*; neque etiam *ἐν ἡμῖν*, ut rem sibi et lectoribus suis communem memorans, sed *ἐν ὑμῖν*; nec denique superiori in versu *τὴν ὑμῶν σωτηρίαν*, sed *τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν*, quippe quo Pronomine *ἑαυτῶν* indicaret, quemque suam ipsius beatitatem perficere debere.

VERS. 14.

Sequitur admonitio, quae primo adspectu cum superiori cohaerere non videtur: *Πάντα ποιεῖτε χωρὶς γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν*: sed quamvis RHEINWALDO aliisque concedo, eas arcto non contineri nexu, monstrari tamen potest, quomodo posterior ex priori tanquam emanaverit. Adiectivum enim *πάντα* ita restringendum esse, ut *omnia* tantum denotet, *quae facienda sunt*, res ipsa loquitur. Iam nihil aptius est, quam restringendi formulam cum WOLFIO petere ex praecedentibus *τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε*, ut hîc intelligatur *quidquid a quovis salutis suae causa peragendum est.* Admonitioni igitur generali PAULUS, quo plenior eius perfectiorque sit observatio, singularem adiicit. Interpretatio autem pendet a quaestione, quid vocabula *γογγυσμός* et *διαλογισμός* significent. Nimirum alii iis notari putant *peccata in Deum*, quod iam visum est CHRYSOSTOMO, THEODORETO, OECUMENIO, multis Veterum, etiam *Interpreti vern.* Alii, uti GROTIUS et MICHAËLIS, alterum *peccatum* exponunt *in Deum*, alterum *peccatum in homines.* Alii denique et hoc et illud *peccatum in homines* significare contendunt. Et sic imprimis plerique eorum, quorum ex iudicio Pronomen *ἑαυτῶν* vs. 12 pro *ἀλλήλων* positum est, quippe hinc praesidium errori suo quaerentes. Hos vero frustra disputare, iam apparet inde, quod de vocabulorum illorum interpretatione cum iis consentiunt CALVINUS aliique

antiquiores, quamquam vs. 12 sententiam, quae olim communis fuit, sequuntur. Sed quid plura? Loquendi usus nobis veram interpretationem, nisi fallor, perspicue ostendit. Vox enim γογγυσμός et affines γογγύζω et γογγυστής in *Hellenistarum* libris, ubicunque nihil aliud sibi adiunctum habent, ad quod diserte referantur, *murmurationem* vel *disputationem adversus Deum* significant, ut *Exod.* XVI: 7, 8, 9, 12. *Psalm.* CV: 25. *Ies.* XXIX: 24. LVIII: 9. 1 *Cor.* X: 10. *Iud.* 16. Altera autem διαλογισμός, quam Novi Testamenti scriptores frequentant, si redditur *ratiocinatio*, in medium affertur quod omnibus locis appositum est, etiam *Luc.* IX: 46, ubi ei temere notionem tribui *mutuae hominum disceptationis*, tam evidenter docent adiecta τῆς καρδίας αὐτῶν vs. 47, ut verba *Marc.* IX: 33, 34 nihil iuvent ad disputandum contra (1). Ut vero ubique ex orationis serie colligendum est, qualis ratiocinatio sit, vocabulo διαλογισμός denotata; sic hoc loco circumiecta docent, significari *ratiocinationes de iussis divinis*, et quidem exsequenda illa an non exsequenda sint. Iam PAULUS *Philippensibus* praescribens, ut ab his ratiocinationibus sibi caveant, levius peccatum commode subiicit graviori, quod committunt, *qui iussis illis murmurando renituntur.* Ergo simili, a servis translato, eos monet: *omnia, quae perficienda sunt, ita facite, ut de iussis, quae vobis Divinitus imposita sunt, nec murmuretis, nec ratiocinemini.* Monitum autem illud, quomodo auctori in mentem venerit, postquam scripsisset: *Vos, Deo mente et religiosissime devota obedientes, vestram ipsi beatitatem perficite*, quisque sua sponte videbit.

(1) Litem iam diremit BUDAEUS. p. 254.

VERS. 15.

Admonitioni PAULUS incitamentum adiungere incipit, scribens: ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, quae PILLIUS aliique interpretantur: *ut praestetis vos* cet. Sed huic interpretationi, quamquam nihil habet contra loquendi usum, in oratione tamen sequenti, et alia obstant, et verba ἐν οἷς φαίνεσθε, quibus demum publica *Philippensium* illustratio proponitur. Ergo Graeca reddenda sunt: *ut existatis inculpati* (apud homines) *et simplices* (coram Deo). Similiter interpretatur GROTIUS. Consulto autem usus est auctor Verbo γένησθε, ut pietatis et virtutis significaret incrementum, quod a *Philippensibus* faciendum esset. Sed capta hinc temere offensione, librarii et Interpretes pro eo substituerunt ἦτε, quod probans LACHMANNUS haud scio, an quodammodo etiam iudicandi normam deseruerit sibi constitutam.

Appositionis vim habent, quae sequuntur: τέκνα Θεοῦ ἀμώμητα μέσον γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης. Pro ἀμώμητα LACHMANNUS edidit ἄμωμα, quod MATTHIESIUS alteri fide aequale censet. Sed Veterum testimonia si ponderantur, favent omnino Editioni Receptae, quam consulto librarii mutasse videntur, ut locum vocis minus cognitae usitata occuparet. PAULUM vero scripsisse ἀμώμητα, ex eo probabile est, quod suam in rem convertit verba *Deut.* XXXII: 5, ubi legimus τέκνα μωμητά, γενεὰ σκολιὰ καὶ διεστραμμένη. At iure meritoque LACHMANNUS cum aliis, vulgari ἐν μέσῳ ex oratione expulso, legendum praebuit μέσον, quod in plerisque Codicum optimorum exstat, nec loco suo motum esset, nisi homines vano corrigendi studio indulsissent. Patres autem Graeci cum omnes, excepto CLEMENTE *Alex.* adulterinum ἐν μέσῳ receperint; iam ab antiquissimo tempore corruptela in libros irrepsisse videtur. Sed nullam difficultatem parit vox μέσον, quae et hic, et *Matth.* XIV: 24 Adverbii loco usurpatur pro κατὰ μέσον, nec notione, ut ENDIUS putavit, differt

a formula ἐν μέσῳ vel simili. Ergo verba μέσον γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης vertendo reddimus cum STORRIO *media in progenie refractaria et perversa*. Nam voce μέσον *Philippenses* hîc dici *undique* ab illa progenie *circumdatos*, ut paucitas cum multitudine comparetur, rectissime CALVINUS aliique Interpretes viderunt (1). Praecedentia autem τέκνα Θεοῦ ἀμώμητα a se invicem non separanda sunt cum LUTHERO, sed coniunctim enuncianda: nam si comma verbis illis interponitur, vim suam amittit Appositio, et Antithesis fere perit. Quae cum ita sint, PAULUM sibi velle puto: [*ut*] *filii Dei* [*existatis*] *a macula vacui*, *quos undique circumdant aequales*, *superstitionibus et flagitiis servientes*.

Ἐν οἷς, inquit, φαίνεσθε ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ. Articulum in Plurali Masculino positum esse, quoniam Nomini col-

---

(1) ABRESCHIUS, Interpres egregius, in *Paraphr. et annot. in Ep. ad Hebr.* Fasc. I. p. 118, ad SCHWARZIUM provocans monet, in Graecis pariter et Graeciensibus ἐν μέσῳ, item εἰς μέσον et ἀνὰ μέσον idem valere, quod Lat. *in*, *apud*, *inter*, et vel simplicem denotare praesentiam, vel etiam exponi posse per *palam*, *in propatulo*. Plerumque Viri Docti in notionibus acquiescunt primum commemoratis earumque causam ex Hebraeorum more explicant. Sed locis plurimis Literarum Sacrarum lustratis dubito equidem, an Hebraeum תוך et Graeca μέσον, ἐν μέσῳ cet. usquam aliud denotent, quam *quod abundat*, vel *eminet*, vel *circumdatum* seu *in luce positum est*. Dicendi autem ratio inde repetenda videtur, quod prisci homines id quam maxime agere solebant, ut res tanquam oculis facerent adspectabiles. Atque hoc cum Orientalibus quodammodo commune habentes Graeci eadem satis crebro dicendi ratione usi sunt, imprimis Poëtae, inde ab HOMERO, qui *Odyss.* Δ. vs. 412, 413 Deam marinam de PROTEO narrantem inducit:

Αὐτὰρ ἐπὴν πάσας (φώκας) πεμπάσσεται ἠδὲ ἴδηται,
Λέξεται ἐν μέσσῃσι, νομεὺς ὣς πώεσι μήλων.

Hodie quidem haud raro fieri novi, ut quis loquatur de *medio*, etiamsi nihil aliud significet quam *in*, *inter*, *apud*; sed ex minus attenta Literarum Sacrarum lectione abusus vocabuli, nisi fallor, exstitit inque recentiorum populorum sermones irrepsit.

festivo *γενεᾶς* respondeat, satis superque probavit STORRIUS. Voce *φωστῆρες*, quae scriptoribus Graecis minus usitata fuit, ab *Hellenistis* dicuntur sol et luna, utpote *lumina huius terrarum orbis*. Interpretes vero inter se dissentiunt de Verbo *φαίνεσθε*, Indicativus sit an Imperativus. Hoc iam antiquis placuit, AMBROSIASTRO, PELAGIO, THEOPHYLACTO, tum CALVINO, STORRIO, RHEINWALDO, aliis: illud plerique praetulerunt et MATTHIESIUS nuper hoc nomine defendit, quod dictio figurata minus novam admittit admonitionem, quam explicationem superioris. Nec vim huius argumenti infringunt loci similes *Matth.* V: 14 sqq. *Eph.* V: 8. 1 *Thess.* V: 4 sqq. Nam admonitionem figuratam ibi comparatio praecedens tanquam inducit. Postrema *ἐν κόσμῳ*, si connectuntur cum Verbo *φαίνεσθε*, explicanda sunt *genus humanum, idque depravatum*, quae BENGELII aliorumque sententia est. Sed ut verisimile non est, PAULUM Praepositionem *ἐν* eidem Verbo bis subiecisse, sic vocabula *ἐν κόσμῳ* genus humanum denotare nequeunt, quoniam hoc iam denotatur superioribus *ἐν οἷς*. Haud magis se commendat interpretatio *in coelo*, vel *in aethere*, quam et RHEINWALDUS alteri praefert: nam frustra his in Literis locum quaesiveris, ubi vox *κόσμος* hanc notionem habeat. Immo ad loquendi usum scribendum esse *in mundo*, vel *terrarum orbe*, apparet inde, quod duo illa *ἐν οἷς* et *ἐν κόσμῳ* sibi invicem respondent. Itaque PAULUS *Philippenses* sic laudat: *in quibus lucetis, quemadmodum lumina in mundo*, scil. *lucent*, quod recte nonnulli reticeri monent.

VERS. 16.

Arcte cum praecedentibus cohaeret *λόγον ζωῆς ἐπέχοντες*, quod ita sane haud pauci interpretati sunt, ut usum loquendi negligerent. CHRYSOSTOMUS scripsit: *μέλλοντες ζῆσεσθαι, τῶν σωζομένων ὄντες*; THEODORETUS: *τῷ λόγῳ προσέχοντες τῆς ζωῆς*. Eodem aliove modo peccarunt WETSTENIUS, MICHAËLIS,

STORRIUS, FLATTUS. Neque audiendi sunt, qui, ab HESYCHIO decepti, Participium ἐπέχοντες exponunt κρατοῦντες, *tenentes*, *retinentes*, uti WOLFIUS, temere provocans ad *Act.* XIX: 22, ubi ἐπέσχε χρόνον significat *exhibuit tempus*, id est *remansit aliquamdiu, ut Ioniae operam daret*: sequitur enim εἰς τὴν Ἀσίαν (1). Mirifice BEZA, φωστῆρες et ἐπέχοντες connectens, lumina *sermonem vitae* facit *praetendentia*, quod a luminibus plane alienum est. Sed, ne plura huius generis memorem, in PAULI orationem aeque atque in loquendi usum quadrabit interpretatio, si illud ἐπέχοντες ad Verbum φαίνεσθε retulerimus et scripserimus *attollentes*, vel *spectandum praebentes*, ut scribi iussit MORUS (2), quocum summatim conveniunt ERASMUS, CALVINUS, GROTIUS, etiam MATTHIESIUS aliique recentiores. Iam cum de eo, quid sit λόγος ζωῆς, nulla esse possit quaestio, verba sic explicamus: *doctrinam, quae ad vitam veri nominis ducit, spectandam praebentes.* Quod quam bene comparationi praepositae congruat, nihil attinet ostendere.

Facilia sunt subiecta: εἰς καύχημα ἐμοὶ εἰς ἡμέραν Χριστοῦ. Quod enim BEZA, SLICHTINGIUS aliique aiunt, Praepositionem εἰς pro ἐν sumendam esse, neminem morabitur, qui meminerit supra iam plus semel disputata. PAULUS haud dubie vult: *ut mihi gloriandi causa sit ad diem* CHRISTI, id est *ad tempus illud, quo* CHRISTUS *ad iudicium venturus est.* Quid vero gloriari velit, continuo sic memorat: ὅτι οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, οὐδὲ εἰς κενὸν ἐκοπίασα. Imagine utitur petita a cursoribus in stadio, quemadmodum 1 *Cor.* IX: 26. *Gal.* II: 2. 2 *Tim.* IV: 7. Quod autem Verbo dixit figurato, idem proprio repetit, ut incertus Auctor in *Anthologia*, laudatus a PALAIRETO, cuius verba sunt:

Πῖνε καὶ εὐφραίνου· τί γὰρ αὔριον, ἢ τί τὸ μέλλον,
Οὐδεὶς γιγνώσκει· μὴ τρέχε, μὴ κόπια.

---

(1) WINER. p. 392. (2) *Dissert.* Tom. I. p. 64, 65.

Locus etiam ab eo laudatur, unde intelligimus, formulam εἰς κενὸν scriptoribus Graecis usitatam fuisse: ut et apud IOSEPHUM eam legi docuit KREBSIUS. Mentem PAULI bene explicuit OECUMENIUS: ὅτι οὐ ματαία καὶ ἀνωφελὴς γέγονέ μοι ἡ εἰς ὑμᾶς διδασκαλία, id est Latine: *institutionem, quam vobis dederim, non inanem et inutilem fuisse.* Quo in dicto GROTIUS, STORRIUS, HEINRICHSIUS *Litoten* esse contendunt: sed uti vereor, ne saepe Interpretes inducenda *Litote* Veteribus plus tribuant, quam ipsi sibi voluerint; sic ea hoc loco modestiae auctoris iniuriam facere videtur. Mecum praeter alios RHEINWALDUS consentit.

VERS. 17, 18.

Ab admonendis *Philippensibus* PAULUS orationem denuo ad se convertit, scribens: Ἀλλ᾽ εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν: quae, CRELLIUS ait, non satis patere, quomodo cum superioribus nectantur. Eadem, quam ille confitetur, ignorantia GRIESBACHIUM, STORRIUM ceterosque seduxit omnes, quotquot inter haec verba et praecedentia maiorem illam distinctionem ponebant, qua novi argumenti (Periodi) initium indicari solet (1). Nec rem acu tetigerunt BEZA, ENDIUS, HEINRICHSIUS aliique, qui Particulam ἀλλά reddebant ita, ut notio adversandi ei adimeretur. Interpretum vero, qui ab hoc errore sibi cavebant, haud pauci quidem orationi seriem continuatam inesse concesserunt, at, qualis ea sit, patefacere neglexerunt: ceteri, quorum commentarios legere mihi contigit, vel ex remotiori disputatione capitis I. vel ex Verbo proximo ἐκοπίασα, suo quisque modo, nexum explicant, quod nuperrime etiam MATTHIESIUS probasse videtur. Sed attenta consideratio verborum εἰς καύχημα ἐμοὶ εἰς ἡμέραν Χριστοῦ mihi persuasit,

---

(1) Errorem etiam propagavit *Novum Test. Valp.* sed correxit nuper GOESCHENIUS.

PAULUM nunc spei eventus sibi laeti metum eventus tristioris opponere. Illis enim verbis exoptans, ut coram CHRISTO, si ad iudicium venisset, gloriandi causam de *Philippensibus* haberet, spem suam se eo usque in terra superstitem fore significat; hîc vero declarat quod metuit, nimirum fieri posse, ut antea mortem subeat violentam. Interpretationis, age, verborum singulorum faciamus periculum, ut scrupulus, an mentem auctoris assecuti simus, si quis forte lectori residet, ex animo evellatur.

Videlicet Apostolus fidem sectatorum CHRISTI cum victima comparat arae imposita, quae vino super eam effundendo libatur Deo; se autem, huic fidei operantem, cum sacerdote, qui victimam illam Deo offert, et ita quidem, ut ipse sacrificulus super sacrificium mactetur. Iudicium hoc quoque, si minus omnino, magnam certe partem, CALVINI, BEZAE, GROTII est et plerorumque Interpretum, etiam RHEINWALDI et MATTHIESII. Itaque primum ne confusione comparationis et rei comparatae oratio turbetur, Verbum σπένδομαι non reddendum est cum *Vulgato Latino immolor*, sed *libor*: quae vera notio, nulla causa est, cur ei etiam adimatur 2 *Tim*. IV: 6, ubi PAULUS alia similia aliis cumulat. Eiusdem autem loci quoque docet comparatio, si PAULUM PAULI interpretem facere velimus, audiendos non esse, qui Verbum σπένδομαι Medium habentes scribant *libo me*, vel pro notione illius propria hanc substituant figuratam *absumor*. Deinde adiecta ἐπὶ — ὑμῶν hoc cum Verbo coniungenda sunt, non vero, uti placuit CHRYSOSTOMO, cum sequenti χαίρω, quippe quod et interdicitur oratione vs. 18 substrata, et in scribendi morem incurrit PAULO usitatum. Vide 1 *Cor*. XIII: 6. XVI: 17 et alios locos, in quibus Praepositio ἐπί cum casu tertio Verbum χαίρω sequitur. Quod autem RETTIGIUS (1) nuper ad distinctionem mutandam disputavit, tale

(1) *Quaest*. p. 27 sqq.

non esse puto, ut a multis probari possit. Pervenimus ad Particulam *ἐπί*, quae perperam exponitur *post* vel *propter*, recte vero *super* vel *ad*. Describere lubet locum ARRIANI, laudatum a RAPHELIO: *Ταύρους τε σφάξας τῷ Ποσειδῶνι ἀφῆκεν ἐς τὴν θάλασσαν· καὶ σπείσας ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, τήν τε φιάλην, χρυσῆν οὖσαν, καὶ κρατῆρας χρυσοῦς ἐνέβαλλεν ἐς τὸν πόντον χαριστήρια*: *Tauros Neptuno caesos in mare immisit, et, cum libaverat super victimas, phialam auream et crateras aureas, gratias agens, in undas iniecit:* quo confirmatur etiam omne, quod de formula *σπένδομαι ἐπί* adhuc disputavimus. In sequentibus *τῇ θυσίᾳ* Articulus inservit ad vocem copulandam cum remotioribus *τῆς πίστεως ὑμῶν;* vox ipsa non Activam, ut nonnulli volunt, *sacrificationis*, sed Passivam *victimae* habet notionem, in Novo Testamento constantem. Quae adiiciantur *καὶ λειτουργίᾳ et administrationi* operam spectare, quam sacerdotes impendant in Sacra, et aliorum docet locorum comparatio (1), et omnis oratio circumiecta. Ergo res ipsa loquitur, cuncta sic cum HAMMONDO aliisque resolvenda esse: *τῇ θυσίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν καὶ τῇ λειτουργίᾳ αὐτῆς (θυσίας)*. Iam Interpretes, qui *λειτουργίαν* cum VITRINGA (2) haud secus ac *θυσίαν* ad *Philippenses* referunt, sive alteram distinguunt ab altera, seu utramque, uti CLERICUS, eodem redire opinantur, et in loquendi peccant usum, et seriem orationis perturbant. Immo huic voci PAULUS illam adscripsit se ipse significans et dicere volens: *libor super victimam fidei vestrae, eiusque, qua fungor, administrationem.* Quo dicto satis mirari non possum SCHOTTUM (3) aliosque Viros Doctos, nulli

---

(1) CASAUB. *de Reb. Sacr. et Eccles. exercit.* p. 382 sqq. SUICER. *Thes.* h. v. Ex iis autem, quae hi aliique vel disputarunt, vel congesserunt, luculenter apparet, vocem *λειτουργίαν* reddendam esse *administrationem* vel similiter. Cf. et annot. CLARISSII, *Encyclop. Theol.* Ed. II. p. 596, 597.

(2) *De Synag. Vet.* p. 70, 71.

(3) *Die Theorie der Beredsamkeit.* Tom. I. p. 291 sqq.

partium studio deditos, abusos esse ad contendendum, PAULUM sibi et cuivis Sacrorum antistiti munus sacerdotale tribuisse. Nam ut oratio tota, sic haec pars eius Allegoriam continet, quae ad Apostoli causam sic transferenda est: *Sanguis meus effunditur*, vel *obtruncor*, *dum corroborandae vestrae operor fidei*, *ut victimae offerendae sacerdos* (1). Mortis autem violentae, quae sibi imminebat; tempus accurate imprimis indicavit usu Praesentis *σπένδομαι*, quo dicere volebat: *his ipsis captivitatis meae diebus*. Nec sine causa huic Verbo Particulam *καί* praeposuit, sed ut vitae suae exstinctionem minus verisimilem esse significaret quam prolationem. Denique Pronomen *ὑμῶν*, ut multi monuerunt Interpretes, praeeunte THEODORETO, non ita premendum est, ut ad unos *Philippenses*, ceteris CHRISTI sectatoribus exclusis, referatur. Ergo Protasis orationis, nisi fallor, huc redit: *Sed si praeter spem mihi hoc ipso tempore accidit*, *ut*, *dum vestrae ceterorumque* CHRISTI *sectatorum fidei operor*, *morti violentae succumbam*. Haec autem scribens PAULUS, ut bene monet LAUNAEUS, in mente habuit opus illud gentes exteras ad CHRISTUM perducendi, cuius causa et in captivitatem inciderat, et nunc fieri poterat, ut capite plecteretur.

Apodosis *χαίρω καὶ συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν* se ipsa explicabit, certum modo sit, quid Verbo *συγχαίρω* denotetur. Multi cum *Vulgato Latino* interpretantur *gratulor* vel *congratulor*. Quod utrumque hunc in locum importavit AMBROSIASTER scribens: *gaudeo et gratulor omnibus vobis: gaudete et congratulamini mihi*. Et sane Medium *συγχαίρομαι* hanc notionem habet 3 *Macc.* I: 8, forte *Gen.* XXI: 6

---

(1) Imagini multum coloris sui detrahitur, si quis cum STORRIO et FLATTO contendit, verba *θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ* posita esse pro *λειτουργίᾳ τῆς θυσίας*. Sed vocem tamen *λειτουργίᾳ* hac in oratione primariam esse, ex praecedentibus et sequentibus intelligimus. Et hoc confirmatur simili *τὰς λειτουργίας τῶν θυσιῶν* 2 *Macc.* III: 3, quod illi excitarunt.

et saepe apud POLYBIUM aliosque. Activum vero an usquam aliud significet quam *gaudeo una cum aliquo*, valde dubito: loci certe Novi Testamenti, ubi illud legitur, tales sunt, ut nihil obstet, quominus sic ubique reddatur. Sed si vel nonnunquam ab hac interpretatione decedendum sit, non crediderim tamen ab ea decedi posse, ubi Simplex χαίρω et Compositum συγχαίρω concurrant. Quare ERASMUM, VATABLUM, alios, etiam MATTHIESIUM sequor, quorum iudicio PAULUS dixit: *gaudeo et una gaudeo vobiscum omnibus.*

Eandem interpretationem sibi postulant sequentia: τὸ δ᾽ αὐτὸ καὶ ὑμεῖς χαίρετε καὶ συγχαίρετέ μοι: ut vertantur: *Id vero ipsum et vos gaudete et una gaudete mecum.* Fortasse quis erit, qui Graeca τὸ αὐτό cum STORRIO aliisque vertenda putet *similiter:* sed, ut vocabula illa vulgo conveniunt Latinis *id ipsum* vel *idem;* sic aliud pro iis substituere vetat connexum χαίρετε, unde apparet, *rem* significari, *ob quam Philippenses gaudere iubeantur.* Quod cum *Vulgato Latino* bene intellexisse videntur ERASMUS, GROTIUS multique Interpretes. Atque his ideo quoque sine scrupulo assentior, quod luce clarius est, PAULUM hîc orationis tanquam filum non admonitione abscidisse generali, sed singulari eandem plane causam persecutum esse, quam versu praecedente attigisset.

Una quaestio est eaque perdifficilis, *quid*, nempe, *Apostolus, et sibi, et Philippensibus gaudio duxerit.* Haud pauci quidem, ut difficultatem tollant, Simplicia χαίρω et χαίρετε alio referunt quam Composita συγχαίρω et συγχαίρετε: sed, ne hoc artificio in orationem obscuritatem importari dicam, ab usu sermonis familiaris alienam, satis illis superque renituntur vocabula τὸ αὐτό, quae cuncta eodem referenda esse docent. Ergo PAULUS gaudii causam vel *in morte sua violenta*, vel *in Philippensium fide*, vel in eo positam ait, *quod interficitur, dum fidei illorum operatur.* Quaevis harum interpretationum suos habet patronos. At prima

haud dubie spernenda est, quoniam verba συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν commune *Philippensium* et PAULI gaudium denotant, illi vero vix aut ne vix quidem induci potuerunt de huius Viri morte violenta gaudentes vel gavisuri. Media autem et postrema, ut hac difficultate non laborant, ita commendantur, illa quidem, quod simile facit gloriationis vs. 16 et gaudii vs. 17 argumentum; haec vero, quod probabilis est sententia, toti huius versus Protasi Apodosin respondere. Sed ab omni asseveratione me deterret ignorantia, quomodo auctor, qui scribendo συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν lectores laudaverat, quippe *gaudii sui participes*, huic laudationi statim adiicere potuerit exhortationem, *ut gaudium secum commune haberent*. Utriusque vero versus repugnantia non tollitur quoque, si Verba χαίρετε et συγχαίρετε cum ERASMO in Indicativo posita esse sumimus et interpretamur: *Id vero ipsum (novi) et vos gaudetis et una gaudetis mecum.* Neque ad nodum solvendum sufficit cum ESTIO Verbis χαίρω et συγχαίρετε cogitando adiicere *de bono meo*, alteris συγχαίρω et χαίρετε *de bono vestro.* Itaque duo illa in concordiam redigi posse non video, nisi huic orationi (quod vereor) congruens habenda sit coniectura, PAULUM laudationi addidisse admonitionem, ut ad gaudium maius et amplius *Philippenses* impelleret. Sed si fluctus forte, ut aiunt, excitavi in simpulo, benevole, precor, huic nimiae meae sedulitati ignoscatur.

VERS. 19.

A tristibus nunc PAULUS ad laetiora, quorum iam mentionem fecit vs. 16, sic redire incipit: Ἐλπίζω δὲ ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, quae, cum conveniant infra vs. 24 scriptis πέποιθα δὲ ἐν Κυρίῳ, exponenda videntur: *spero autem me, adiuvante Domino* IESU, *hoc consecuturum*, ut interpretatus est GROTIUS, quocum CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS et omnes fere consentiunt. Et nemo fortasse dissensu-

rus fuisset, si legeretur: Ἐλπίδα δὲ ἔχω ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ. cf. *Act.* XXIV: 15. Receptum autem Κυρίῳ, pro quo nonnulli substituerunt Χριστῷ, quoniam hoc cum sequenti Ἰησοῦ magis congruere iudicabant, testimonio Veterum satis confirmatum est. Iam vero auctor, quid speret, sic enunciat: Τιμόθεον ταχέως πέμψαι ὑμῖν, *ut* TIMOTHEUM *cito vobis mittam.* Dativum ὑμῖν PRZIPCOVIUS, quem secutus est BENGELIUS, interpretatur *ad vestrum usum et ministerium*, suamque sententiam ingeniose defendit ad orationem maxime contextam provocando. Sed lustratis omnibus Novi Testamenti locis, in quibus Verbum πέμπω legitur, compertum mihi est, loquendi usum huic sententiae non favere. Quod satis magni ponderis esse videtur, ut paucis ostendam. Verbum igitur illud Dativum post se habet *Ioann.* XV: 26 et 1 *Cor.* IV: 17: ibi vero Pronomen ὑμῖν nihil aliud significare quam πρὸς ὑμᾶς, uti *Phil.* II: 25 et plerumque scriptum est, apparet ex comparatione *Ioann.* XVI: 7. *Eph.* VI: 22. *Col.* IV: 8. Similiter *Act.* XI: 29 et *Phil.* IV: 16 adiuncta εἰς διακονίαν et εἰς τὴν χρείαν docent, Dativis τοῖς κατοικοῦσιν ἀδελφοῖς et μοί *commodum* non denotari. Addatur 2 *Thess.* II: 11, ubi et orationis argumentum tale est, ut illud Dativum *commodi* haud secus respuat quam *Apoc.* XI: 10, si retinendum ibi est πέμψουσιν. Restant adhuc verba πέμψον ταῖς (ἑπτὰ) ἐκκλησίαις *Apoc.* I: 11: sed etiamsi quis sequentia εἰς Ἔφεσον cet. vetare putet, quominus illa reddantur: *mitte ad* (*septem*) *Ecclesias;* nemo tamen ea reddens: *mitte* (*septem*) *Ecclesiis*, hoc interpretabitur: *mitte in utilitatem Ecclesiarum.* Sicuti autem loquendi usus PRZIPCOVII interpretationi obstat; sic etiam promissio facta vs. 24: quandoquidem credibile non est, Apostolum, si persuasum sibi haberet, se ipsum brevi venturum *Philippos*, TIMOTHEUM misisse, *ut Philippensium saluti consuleret.* Nec video, quomodo, illa interpretatione probata, posterius huius versus membrum cum priori cohaereat. In

confesso enim est, verba ἵνα κἀγὼ εὐψυχῶ, γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν vertendo reddenda esse: *ut et ego hilari animo sim, cum cognoverim res vestras.* cf. *Col.* IV. 8. Atqui inter haec et promissionem, TIMOTHEUM *Philippensium* causa missum iri, nexum plane desidero, nisi exponantur: *ut tales vos faciat homines, quorum de rebus, si cognoverim eas, etiam ego hilari sim animo.* Sed sic et verbis plus tribuitur, quam ipsa sonant; et temere sumitur, PAULUM nunc tristi fuisse animo, quoties *Philippenses* sibi repraesentaret. Utique vox κἀγὼ significat, auctorem in mente habuisse ὥσπερ ὑμεῖς, quae CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS aliique orationi cogitando adiici iusserunt. Hinc vero sequitur, breviter scriptum esse ἵνα κἀγὼ εὐψυχῶ pro ἵνα, ὥσπερ εὐψυχεῖτε ὑμεῖς, οὕτω κἀγὼ εὐψυχῶ. Itaque PAULUS dicere vult: *vos*, ut scripsi, *gaudetis* (*gaudere debetis*) *de rebus meis: iam id agere mihi propositum est, ut et ego laeter de vestris, si eas cognoverim.* Hoc autem dicto indicat, persuasum sibi esse, *Philippensium* coetum florere adeo, ut nuncio de iis accepto non aliter quam laetari possit. Quod ut argumento totius huius Epistolae congruit, sic orationem serie illa continua procedentem facit, quae Particula δέ significatur, sed a CHRYSOSTOMO multisque Ecclesiae Patribus, tum a STORRIO, HEINRICHSIO, FLATTO, LACHMANNO etiam et GOESCHENIO non observata est.

VERS. 20.

Quare TIMOTHEUM missurus sit, PAULUS sic explicat: *Οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον, ὅστις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει.* Priora THEOPHYLACTUS, quocum plerique consentiunt, recte interpretatur: *Ἠδυνάμην καὶ ἄλλον πέμψαι, ἀλλ' οὐδεὶς οὕτως ἰσόψυχός μοι ὡς οὗτος.* Quod CALVINUS et BEZA aiunt, auctorem TIMOTHEUM non secum, sed cum aliis comparare, improbandum est, quoniam vox ἰσόψυχος, *eodem modo*

animatus (ut eam TITTMANNUS (1) exponit), Verbo εὐψυχῶ respondet. Unde sequitur quoque, a vero aberrasse RHEINWALDUM, cum utrumque coniungeret. Οὐδένα autem secundum popularem loquendi morem tantundem valet, quantum οὐδένα ἄλλον: quod tamen ut exemplo confirmaret, minus recte provocavit STORRIUS ad *Ioann.* XIII: 28, ubi ne IOANNES quidem, quid IESUS sibi vellet, scivisse dicitur. Itaque in priori huius versus parte mens PAULI est: *Neminem enim alium hic mecum habeo, qui eodem modo atque ego animatus sit.* Nam Apostolum, ut vulgo censent VV. DD. adiutores spectare, secum Romae versantes, oratio docet contexta et usus loquendi confirmat. Cf. praeter alios locos *Matth.* XXVII: 16, ubi Verbum εἶχον, propter circumiecta ὄχλῳ, ἤθελον et αὐτῶν, non impersonaliter sumendum, sed explicandum esse videtur *habebant sibi* vel *apud se*, ut sensus orationis sit: *aliquis ex popularibus eorum erat captivus.* Progrediamur ad Apodosin, quam reddidit *Vulgatus Latinus: qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit*, Praesentis notionem tribuens Futuro μεριμνήσει, cuius temporis proprietatem et multi alii cum CHRYSOSTOMO, OECUMENIO et THEOPHYLACTO observare neglexerunt. Haud dubie PAULUS de TIMOTHEO praedicit, quid boni ille *Philippis* post adventum suum sit facturus. Quamobrem a PRZIPCOVIO rogatum nollem: » Quid opus erat eiusmodi hominem quaerere, tantum ad explorandum, in quo statu res *Philippensium* essent: quod per literas et simplicem tabellarium fieri sufficiebat?" Nec *Philippensibus* tamen TIMOTHEUM promittit hoc consilio venturum, ut saluti eorum consulat. Immo mens PAULI, nisi fallor, tantum haec est: *Qui, aeque atque ille, res vestras simpliciter et nihil sibi appetens curabit:* qua ab interpretatione haud longe discedunt ERASMUS, CALVINUS, GROTIUS. Spem igitur facit lectoribus suis,

(1) De Synon. l. c. p. 67.

fore, ut hic unus cura eorum agenda occupetur, nulla sui ratione habita. Nimirum Verbum *μεριμνάω*, cum apud Interpretem *Alex.* tum in Novo Testamento nihil amplius nisi *sollicitudinem*, *curam*, *diligentiam in re collocatam* significat, etiam ubi sequitur Accusativus, uti *Exod.* V: 9. *Sap. Sal.* XII: 22. *Matth.* VI: 34. 1 *Cor.* VII, 32, 33, 34. XII: 25. *Phil.* IV: 6. Adverbium *γνησίως*, quod semel tantum in Novo Testamento legitur et convenit cum Latino *genuine* vel *germane*, omni oppositum est *adulterino*, *falso* vel *simulato* (1). Vox autem *ὅστις*, cum inserviat hic certe ad *genus* denotandum (2), non favet sententiae ESTII et CALMETI, eam referendam esse ad Protasin versus praecedentis, et quidem ad *Τιμόθεον*. Nec ibi sane fert Apodosis *ἵνα — ὑμῶν*, ut quid in Parenthesi ponatur. Sed quid plura? Nihil esse confido, quo refelli possit quod hoc de versu disputavimus. Contra vero illud oratione contexta insigniter commendatur. Praebet enim interpretatio proposita conclusionem versui praecedenti accommodatissimam: *Ergo per hunc unum de vobis certior fiam, ut laeter animo.* Quam egregie autem ea ad versum sequentem ducat, ostendere nihil attinet.

VERS. 21.

Hic quidem versus, secundum GRIESBACHIUM, sic se habet; *Οἱ πάντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, οὐ τὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Atque ita PAULUS sane, si librorum Veterum testimonio fides est, scripsisse videtur. Nihil autem hac in sententia difficultatem parit, praeter principium *οἱ πάντες*, quod CAMERARIUM, GROTIUM, LAUNAEUM aliosque claros Interpretes sumsisse pro *οἱ πλεῖστοι*, omnino mirandum est, quoniam illud

---

(1) Cff. 2 *Macc.* XIV: 8, quem locum iam attulit GROTIUS, et *Thes. Graec.* ed. BINDORF. ad h. v.

(2) Cff. disputata supra p. 6, 114.

respondet superiori *οὐδένα*. Sed decepit eos vulgaris opinio, quam defendere etiam conati sunt WOLFIUS, HEINRICHSIUS, FLATTUS, alii, alterum haud raro pro altero scriptum esse. Neque animadverterunt quoque arctissimum, quo versus 21 et 22 continentur, nexum, ut *ceteris omnibus* opponatur *unus* TIMOTHEUS. Quare vox *πάντες* hîc sine dubio significat *omnes*, sed Articulo *οἱ* ita restringitur, ut, comparato versu superiori, interpretandum sit *πάντες, οὓς ἔχω, omnes, quos nunc habeo mecum* (1). De his vero cum dicat auctor: *sua ipsorum quaerunt, non quae* IESU CHRISTI *sunt*, in gravem quaestionem incidimus. Quis enim crediderit PAULUM tam inconsultum fuisse, ut laborum socios sibi adscisceret homines, qui non CHRISTI causam, sed suam tantum ipsorum agere vellent? Eiusmodi autem nodus est, ut ne expediatur quidem, etiamsi ad opinionem supra refutatam, multos eorum vel plerosque, non omnes, hoc atro carbone notatos esse, recurratur. Neque operae pretium fecere CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS aliique Veteres verbis *τὰ ἑαυτῶν*, et interpretandis *τὴν οἰκείαν ἀνάπαυσιν καὶ τὸ ἐν ἀσφαλείᾳ εἶναι*,

---

(1) Loci similes sunt *Act.* XIX: 7. XXVII: 37. 1 *Cor.* IX: 22. *Phil.* III: 8. Alios habet BERNHARDY. p. 320. SCHWEIGH. in *Lex.* HEROD. II. p. 188. Vim restringentem vel demonstrantem Articuli cernimus imprimis, ubi *οἱ πάντες* cum vocibus numeralibus coniunguntur. cf. MATTHIAE. p. 376, 377. Ceterum in locis, qui carent Articulo, haud secus, quam ubi ille adscriptus est, Adiectivum *πάντες* constanter *omnes* significat. Quae enim a KEILIO, *Elementa Herm. N. T.* p. 71. ABRESCHIO ad XENOPH. *Eph.* p. 247 et Interpretibus supra citatis afferuntur exempla, talia sunt, ut vel *omnes* seu *omnia certi generis* proponantur, ut *Matth.* X: 22. *Ioann.* III: 26. *Rom.* III. 2. 2 *Tim.* III: 12; vel *omnes* seu *omnia, exceptis* iis, quorum commemorationem oratio contexta continet, ut *Matth.* III: 5. coll. 7. *Act.* II: 7, 12. coll. 13. ISOCRAT. *Plat.* cap. 1. Et hactenus minus recte VALCKENAR. in *Schol.* ad *Act.* II: 1 interesse sumsit inter *πάντας* et *ἅπαντας*, quod *universitatem* tantum clarius enunciat quam alterum. cff. *Luc.* XVII: 27. XIX: 48, imprimis IOSEPH. *Antiq. Iud.* Lib. VII. cap. 6, ubi legimus: *πολλοὺς μὲν αὐτῶν ἀπέκτεινεν Ἰώαβος, ἅπαντας δ᾽ ἠνάγκασεν εἰς φυγὴν τραπῆναι*, id est, *omnes iis exceptis*.

et ad longi et periculosi itineris detrectationem referendis, quod versui etiam praecedenti nullo modo congruit. Ergo alii huius dicti asperitatem ita emolliverunt, ut intelligi iuberent, quod *haud raro*, vel *nonnunquam*, vel *nimis* fieret. Sed ut huic interpretationi multum inest licentiae, sic ei obstant loci similes *Ioann.* VII: 18. 1 *Cor.* X: 24. XIII: 5. *Phil.* II: 4. Nec plus proficiunt, qui, cum MATTHAEIO, PAULUM id magis egisse monent, ut laudaret TIMOTHEUM, quam ut ceteros vituperaret. Equidem, si sententiam afferre licet, partim aliunde acceptam (1), partim meam, rem mihi sic propono: Apostolus haud multo ante, quam hanc Epistolam scribebat, in summo versatus erat discrimine capitis. Tum socii eius, non omnino omnes, sed *omnes Philippensibus cogniti, et quidem homines, qui ad eos mitti possent*, animi sui indolem ostenderant: TIMOTHEUS ad opem ei ferendam celeriter accurrens, ceteri timidius recedentes. Iam Philosophi diligentia hoc unum imbecillitatis documentum reprehensura fuisset, PAULUS vero populariter, ut in vita communi fieri solet, scripsit: *omnes illi sua ipsorum quaerunt, non quae* IESU CHRISTI *sunt.* Similiter alibi (2 *Tim.* IV: 10) ad TIMOTHEUM scripsit, DEMAM, deserta CHRISTI causa, abiisse *Thessalonicam*, CRESCENTEM in *Galatiam*, TITUM in *Dalmatiam.* Hoc autem cum amico sibi integerrimo conquestus est, ut ille ad iter versus *Romam* accelerandum excitaretur; *Philippensibus* vero rationem reddere voluit, cur nemo sociorum suorum una cum EPAPHRODITO missus esset *Philippos*, vel pro TIMOTHEO brevi adventurus. Itaque mens eius huc redit: TIMOTHEI ope nondum carere possum; in ceteris vero, qui vobis cogniti sunt et quos mittere datur, nemo est, in quo nunc omnino confidam.

(1) Vide e. c. *Nov. Test. Valp.* quamquam ibi quoque vox *omnes* explicatur *maxima pars.*

VERS. 22.

Redit vero PAULUS ad laudationem TIMOTHEI: *Τὴν δὲ δοκιμὴν αὐτοῦ γινώσκετε, ὅτι, ὡς πατρὶ τέκνον, σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν εἰς τὸ εὐαγγέλιον.* Quae cum minus sententia absoluta sit, quam sententiae inchoatae Apodosis Protasi opposita, praecedens Punctum mutandum videtur in Colon. Priora verba recte interpretatur GROTIUS: *Scitis* [*vero*], *quanta fidei suae documenta dederit:* quocum plerique Verbum γινώσκετε Indicativi modi esse statuunt. Qui ad exemplum *Vulgati Latini* scribunt *cognoscite* vel *scite*, et nexum negligunt, quo hic versus et praecedens comprehenduntur; et *praecepto* inducendo transitum ad versum sequentem minus commodum faciunt: neque animadvertunt Particulam δὲ quoque Imperativo obstare, ut iam monuit VALLA. Posterioribus autem ὅτι, ὡς est reddendis: *quia, sicut patri filius, mecum servivit in Euangelio*, lapsus quoque est Interpres ille, cum AMBROSIASTRO, VICTORINO, aliis, Ablativum ponendo, ubi Accusativus requiritur. Nam iure meritoque nuper MATTHIESIUM reprehendisse RHEINWALDUM, qui Praepositionem εἰς pro ἐν substitutam esse contendisset, intelligitur, ut ex comparatione *Rom.* VI: 16, 19, ita ex supra disputatis ad cap. I: 5 (1). Temere vero ERASMUS et VATABLUS improbarunt Interpretis verba *sicut patri filius, mecum*, quippe accommodatissima ad mentem auctoris, qui modestiae causa pro ἐμοὶ scripsit σὺν ἐμοὶ (2). Unde sequitur, Dativum πατρὶ pendere a Participio δουλεύων, quod propter Verbum sequens ἐδούλευσεν omissum est. (Cff. STORRIUS, FLATTUS aliique. Sine controversia PAULUS sibi vult: *Hic vero quantopere se probaverit, nostis: eum, nempe, ut patri filius inservire soleat, sic mihi etiam inserviisse, ut me-*

(1) Cf. ELSNERUS ad h. l.

(2) Haud multo aliter WINER. p. 502.

cum doctrinam CHRISTI *propagaret.* Atque sic, ut iam bene monet THEOPHYLACTUS, *Philippenses* testes advocat virtutum TIMOTHEI, quarum documenta ipsi coram viderant.

VERS. 23.

Iam Apostolus de huius viri iuvenis missione porro scribit: *Τοῦτον μὲν οὖν ἐλπίζω πέμψαι, ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμὲ, ἐξαυτῆς.* Quae hic in medio posita sunt, non male interpretatur CHRYSOSTOMUS: *ὅταν ἴδω ἐν τίνι ἕστηκα, καὶ ποῖον ἕξει τέλος τὰ κατ' ἐμέ.* Sed Verbum *ἀπείδω perspiciendi* notionem habet, inde ortam, quod proprie de eo usurpatur, *qui aliquid, quod ante oculos est, attente intuetur* (1). Adverbium *ἐξαυτῆς*, quin ad Infinitivum *πέμψαι* referri debeat, nemo facile erit, qui dubitet (2). Forte quis rogaverit, cur PAULUS, qui certo constituerat TIMOTHEUM, quam primum posset, *Philippos* mittere, non scripserit *τοῦτον μὲν οὖν πέμψω*, sed *ἐλπίζω πέμψαι.* Nimirum Apostolus, nisi fallor, una sententia duo comprehendere voluit, et spei versu 19 iam enunciatae repetitionem, et promissionem eius, quod facturus erat, si spes ad exitum veniret. Itaque sensus orationis est: *Hunc igitur, postquam rerum mearum exitum perspexero, quod brevi fore spero, confestim quidem mittam.*

---

(1) Meliori modo Verbum BRETSCHNEIDERUS explicat, quam SCHLEUSNERUS et WAHLIUS. Praeter *Ion.* IV: 5 autem et alios locos ab eo et STORRIO ad h. l. excitatos, vide HERODOT. Lib. IV. cap. 23. LUCIAN. Opp. Tom. I. p. 318; item CLEM. *Alex. Adm. ad gent.* Tom. I. p. 65, ubi Verbum de *vero intuendo* usurpatur. Sed his in locis post se habet Praepositionem *εἰς* cum Accusativo. Nonnullis quidem in libris pro *ἀπίδω* scriptum est *ἀφίδω*, atque probatum a LACHMANNO; sed vitium oris hoc pepérisse puto, Literam *π* tanquam *φ* enunciantis.

(2) Sibi ipse contradicit BEZA, cum, deleto commate, quod huic voci praepositum est, interpretatur: *spero me missurum, simulatque* cet.

VERS. 24.

Sed, ait, *confido*, *me*, *adiuvante Domino*, *hoc consecuturum*, *ut et ipse brevi veniam*. Sic enim reddenda videntur Graeca: *πέποιθα δὲ ἐν Κυρίῳ, ὅτι καὶ αὐτὸς ταχέως ἐλεύσομαι.* Plus igitur Verbo *πέποιθα* significat, quam superiori *ἐλπίζω*, ac si dicat: me vero quod attinet, non spero, sed confido, me brevi liberatum iri vinculis, ut vos adire possim. Sequentia *ἐν Κυρίῳ* eodem modo sumenda sunt ac vs. 19. Orationi autem a Librariis et Interpretibus haud paucis adiectum est *πρὸς ὑμᾶς*, quod si a PAULO profectum esset, neminem sane puto illud omissurum fuisse.

VERS. 25.

Memoratis iis, quae se brevi facturum sperat adeoque confidit, nunc PAULUS scribit, quid in praesenti sibi faciendum duxerit. *Ἀναγκαῖον δὲ*, inquit, *ἡγησάμην*, *Ἐπαφρόδιτον*, *τὸν ἀδελφὸν καὶ συνεργὸν καὶ συστρατιώτην μου, ὑμῶν δὲ ἀπόστολον καὶ λειτουργὸν τῆς χρείας μου, πέμψαι πρὸς ὑμᾶς.* EPAPHRODITUM, coniiciunt GROTIUS aliique, eundem fuisse atque EPAPHRAN, laudatum *Col.* I: 7. IV: 12. *Phil.* 23: sed quamquam negare nolo, nomen *Ἐπαφρᾶς* contractum esse ex *Ἐπαφρόδιτος*, satis clare mihi patere videtur, hominem ibi proponi *Asianum*, ideoque ab hoc *Europaeo* distinguendum. Iam auctor, quis et qualis vir ille fuerit, tribus monet vocabulis, quorum primo *religionis Christianae*, altero *laboris*, ad eam propagandam impensi, tertio *periculorum et malorum*, quae in eo subeunda fuerant, particeps dicitur. Sequitur vero descriptio officiorum, quibus *Philippensium* mandato functus erat. Nam EPAPHRODITUM a PAULO appellatum esse *ἀπόστολον*, quoniam ille, secum Romae versans, *Philippensium* vices *legati* nomine sustinuisset, ut

plerique censent Interpretes et ipse alibi (1) haud temere sumsisse mihi videor; ita et coniunctum docet Pronomen *ὑμῶν*, et subiecta formula *λειτουργὸν τῆς χρείας μου*, quae eum *ministrum Philippensium* fuisse significat, *necessaria Apostolo suppeditantem*. Cf. BEZA ad h. l. MATTHIESIUS quidem aliique hac formula laudari etiam putant officia varii generis, quae EPAPHRODITUS, cum *Romae* esset, PAULO praestiterit: sed huic sententiae obstat interpretatio, quam vox *χρεία* sibi postulat cap. IV: 16 ceterisque in locis similibus, allatis a GROTIO. Nec magis audiendus MATTHIESIUS est, ubi contendit, appellatione *ἀποστόλου*, quamquam *legatum* significet *Philippensium*, simul tamen spectari *dignitatem tanquam Apostolicam*, quam EPAPHRODITUS apud eos habuerit. Notiones enim *legati hominum* et *Apostoli Dei* vel CHRISTI sibi mutuo tam oppositae sunt, ut altera plane excludat alteram. Verbo autem *πέμψαι* uti potuit PAULUS, quoniam nunc EPAPHRODITUM, *socii et adiutoris sui nomine*, qualem eum *Romae* habuerat, *Philippos* mittebat: ut sine causa Interpretes dicant *mittere* scriptum esse pro *remittere*. Fortasse tamen, ut censet BENGELIUS, non *ἀναπέμψαι*, sed *πέμψαι* scripsit, quod EPAPHRODITUS hoc consilio *Romam* venerat, ut ibi cum PAULO maneret. Eodem quoque

(1) *Annotatio* cet. p. 153, 154. Disputationis autem vis non infringitur eo, quod Ecclesiae Patres appellationi *'Αποστόλου* subinde latiorem tribuerunt notionem, ut ostendit SUICERUS in v. Quis enim, hos homines in notionibus definiendis saepe lapsos esse, ignorat adeo, ut eorum in verba iurare ausit? Utique nollem errorem propagatum ab Interpretibus EUSEBII, *Hist. Eccles.* Lib. II. cap. 24, ubi tamen ab auctore non scriptum putant *Μάρκον τὸν ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστήν*, sed tantum *Μάρκον τὸν εὐαγγελιστήν*. Ceterum cff. Int. Alex. ad 1 *Reg.* XIV: 6 et SYMM. ad *Ies.* XVIII: 2. Quod nonnulli, praeeunte THEODORETO, ex appellatione *'Αποστόλου* eruerunt, EPAPHRODITUM *Philippensium* fuisse *Episcopum*, qui Presbyteros sibi subiectos haberet, in PAULI non quadrat aetatem. Cff. quae KISTIUS disputavit *de origine auctoritatis Episcoporum in Eccles. Christ.* in *Archief voor de Kerkel. Gesch.* cet. Tom. II. p. 1 sqq.

verbo Apostolum *Philem.* 12 usum esse puto de *Onesimo*, librarios vero Compositum ἀνέπεμψα pro eo substituisse, cum non intelligerent, hominem, qui se sponte sua, et quidem fugitivus, contulisset Romam, haud minus commode hero suo *missum*, quam *remissum* dici. Ceterum omnes norunt, auctorem usu Aoristi ἡγησάμην morem secutum esse Graecorum et Romanorum, qui magis temporis, quo literae acceptae forent, quam quo scribebantur, rationem habentes, praesentia tanquam praeterita proponebant. Ita et vs. 28 legimus ἔπεμψα (1). Disputatis hanc adiicio interpretationem: *Necessarium autem duxi* EPAPHRODITUM, *virum eiusdem et religionis, et laboris, et certaminis mecum participem, vestrum vero legatum et ministrum, qui necessitates vitae mihi suppeditavit, ad vos mittere.*

VERS. 26.

Quare EPAPHRODITUM nunc *Philippos* mittit? Ἐπειδή, ait, ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς καὶ ἀδημονῶν, διότι ἠκούσατε, ὅτι ἠσθένησε: *quoniam vestrum omnium desiderio ferebatur et gravissime angebatur, propterea quod audivissetis, eum aegrotare.* Participium ἐπιποθῶν, ut iam vidimus ad *Cap.* I: 8, idem valet atque ἐπιποθῶν ἰδεῖν, quod Verbum, mirandum non est, ab haud paucis Librariis et Interpretibus orationi adiectum esse. Ceterum hoc in versu nihil amplius est, quod illustratione indigeat. Ex eo autem intelligimus, et morbum EPAPHRODITI nunciatum esse *Philippensibus*, et quod illi audivissent renunciatum esse PAULO. Iam quaeri potest, quomodo hoc ad eius notitiam pervenerit. Ususne peregrinatore est, rerum suarum causa ex *Macedonia Romam* profecto, an domo missi sunt sciscitatum de EPAPHRODITO, quod referrent? Sive hoc seu illud praeferi-

(1) Cf. KLUIT. P. I. p. 352.

mus alteri, in nunciis acceptis causa quaerenda videtur, cur PAULUS EPAPHRODITUM *Philippensibus* impense commendaverit.

VERS. 27.

PAULUS vero EPAPHRODITUM gravius aegrotasse narrat, quam *Philippensibus* cognitum esset: *Καὶ γὰρ ἠσθένησε παραπλήσιον θανάτῳ*. Particulae *καὶ γάρ*, quas nonnulli minus recte interpretati sunt, uti ENDIUS, scribens *immo vero*, respondent voci Latinae *etenim*. Verba *παραπλήσιον θανάτῳ* BEZA reddidit *proxime mortem*, atque ita vel similiter multi; sed vereor, ut probari possit, Adverbium significare *proxime*. Nihil iuvat GALENI locus apud WETSTENIUM, ubi bis legitur *πλησίον θανάτου*, aut dictum *Ies.* XXXVIII: 1, a STORRIO, FLATTO aliisque excitatum: *ἐμαλακίσθη ἕως θανάτου*. Nec difficultas sublata foret, si admittenda esset correctio Librariorum aliquot, qui Dativum *θανάτῳ* in Genitivum *θανάτου* mutarunt. Formula *παραπλήσιον θανάτῳ* Soloecismum, nisi fallor, continet, quo cur PAULUS usus sit, minus exploratum est. Eo certe, quod monet BENGELIUS, auctorem mollius locutum esse, ne statim terreret *Philippenses*, nihil falsius est, quoniam verba, quae hic leguntur, gravitatem morbi haud secus proponunt ac sequentia vs. 30: *μέχρι θανάτου ἤγγισε*. Paulo melius a CHRYSOSTOMO, cui THEOPHYLACTUS aliique assentiuntur, sic scripsisse dicitur *δεικνὺς, ὅτι μακρὰ αὕτη γέγονε (ἀσθένεια) καὶ πολὺν χρόνον ἀνάλωσε*. Equidem orationi brevileqentiam aeque atque insolentiam inesse puto, ut sic expedienda sit: *καὶ γὰρ οὐ μόνον ἠσθένησεν, ἀλλὰ καὶ ἡ ἀσθένεια αὐτοῦ ἦν παραπλήσιος θανάτῳ*: *Etenim non solum aegrotavit, sed ita etiam, ut inter morbum eius et mortem nihil interesse videretur.*

Sed infausto nuncio PAULUS faustum continuo adiecit: *ἀλλ' ὁ Θεὸς αὐτὸν ἠλέησεν· οὐκ αὐτὸν δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐμὲ, ἵνα μὴ λύπην ἐπὶ λύπην σχῶ*. Sic enim Accusativus *λύπην*

ad fidem Codicum substituendus videtur pro Dativo λύπῃ, utpote hunc in locum a Librariis importato; quod et usitatior fuit antiquitati, et Verbo σχῶ magis congruens. Formula ipsa ἵνα μὴ λύπην ἐπὶ λύπην σχῶ, cuius similes WETSTENIUS et KYPKIUS ex scriptoribus exteris congesserunt, nulla illustratione indiget. Quemnam vero PAULUS in mente habuerit moerorem, ad quem alter isque novus non accessisset, ex amici morbo, an ex suis ipsius periculis vel aliunde captum, inter se disputant Interpretes. Sed oratio, nisi fallor, versus sequentis ostendet, quomodo lis dirimenda sit. De eo nunc satis constat, Apostolum dicere: *Sed Deus eius misertus est, nec vero eius solum, sed etiam mei, ne moeror mihi ad moerorem accederet.* Recte autem EPAPHRODITI sanatio misericordiae Divinae tribuitur, quoniam ille, ut Patres Ecclesiae iam commonstrarunt, varias habuit causas, cur morti, quamquam reapse melior esset, vitam tamen praeferret.

VERS. 28.

Sanatione EPAPHRODITI memorata, PAULUS causas explicare pergit, cur ille nunc *Philippos* missus sit: Σπουδαιοτέρως οὖν ἔπεμψα αὐτὸν, ἵνα, ἰδόντες αὐτὸν, πάλιν χαρῆτε, κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ. Comparativorum alterum *Vulgatus Lat.* recte interpretatus est *festinantius*, quod ERASMUS, GROTIUS aliique probant; alterum minus recte: *ut ego sine tristitia sim.* Diligentior fuit CHRYSOSTOMUS scribens, Οὐκ εἶπεν, ἄλυπος, ἀλλ' ἀλυπότερος; nec rem tamen acu tetigisse videtur, cum his continuo adiiciebat, δεικνὺς, ὅτι οὐδέποτε ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἦν λύπης ἐκτός: quapropter eum hîc quoque secutos nollem OECUMENIUM et THEOPHYLACTUM. Colligimus nempe ex versus praecedentis comparatione auctorem sibi voluisse: dolorem, quem ex EPAPHRODITI valetudine ceperam, augebat cogitatio anxietatis vestrae; iam excusso dolore feci, ut, vobis anxietate liberandis, ego quoque tristi illa liberarer

cogitatione. Altero autem Comparativo PAULUS significat, se festinantius misisse EPAPHRODITUM, quam eum missurus fuisset, nisi *Philippenses* de morbo eius audivissent. Nam qui vocem *σπουδαιοτέρως* cum BENGELIO explicant *citius, quam* TIMOTHEUM, animadvertere negligunt, Apostolum et iis, quae versu 25 de EPAPHRODITO scribere inciperet, promissionem, non missionis TIMOTHEI, sed sui adventus, praeposuisse; et inde ab illo versu tali usum esse oratione, ut hîc *citiorem* tantum EPAPHRODITI missionem cum *minus cita* comparare posset. Ergo *σπουδαιοτέρως* idem dicit atque *hoc festinantius*, quemadmodum *ἀλυπότερος* idem atque *hoc minus dolens*: sermone vernaculo: *des te spoediger*, *des te minder bedroefd* (1).

Restat quaestio, Adverbium *πάλιν*, quod temere nonnulli omiserunt, cum praecedenti *ἰδόντες* connectendum sit, an cum sequenti *χαρῆτε*. Illud quidem BEZAE, GROTIO aliisque magnis placuit Interpretibus, etiam WINERO (2); sed recte nuper MATTHIESIUS morem gessit iis, qui hoc alteri praeferunt. PAULUS enim Particula *πάλιν* sic utitur, ut eam plerisque in locis Verbo praeponat, in ceteris vero multoque paucioribus Verbo quidem postponat, sed proxime et nullo alio Nomine vel Pronomine intercedente (3). Nec hoc loco forte quis

(1) Ita Adiectivum *μείζονα Ioann.* XIX: 11 interpretans WETSTENIUS caligini lucem attulit. Praeter locos autem ab eo excitatos, vide *Matth.* XXVII: 24. *Ioann.* XIX: 8. *Phil.* I: 12, 14. XENOPH. *Mem. Socr.* Lib. IV. cap. 3. Sed sexcenti similes laudari possunt.

(2) l. c. p. 316.

(3) Tales loci sunt 2 *Cor.* X: 7. *Gal.* IV: 9. V: 3. *Phil.* I: 26, ubi tamen *πάλιν* aliter stare nequit, quam post *παρουσίας*. Sine causa autem dubitatum est, Adverbium Verbo praepositum an postpositum sit 2 *Cor.* III: 1: nam ipse PAULUS mentem suam explicat cap. V: 12. Similiter cap. XII: 19 *πάλιν*, quod nonnulli propter sequens *δοκεῖτε* in *πάλαι* mutarunt, referendum est ad *ἀπολογούμεθα*: quemadmodum vs. 21, ut ex vs. 20 apparet, non ad proximum *ἐλθόντα με*, sed ad remotius *ταπεινώσῃ*. Nec iure meritoque quis anceps haerebit, an connectenda sint *Rom.* VIII: 15 *πάλιν*

gravatus esset connectere *πάλιν χαρῆτε*, si Adverbii notionem omnes bene intellexissent. Quam laudem certe consecutus non est OECUMENIUS dictionem illam interpretando: *μὴ μόνον ἐκ τῆς ἀκοῆς ὅτι ὑγίανεν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς θέας*. Sed haud magis quoque laudandi sunt, qui cum *Vulgato Lat.* scripserunt: *ut viso eo iterum gaudeatis*. Nimirum vox Graeca *πάλιν*, quamquam haud raro *de rei iteratione* usurpatur, nusquam tamen ab Interprete, qui sibi constare cupiat, Latina *iterum*, id est, *secundo* reddetur. Nunc enim plus semel eadem in oratione repetitur, uti *Rom.* XV: 10, 11, 12; nunc ab *ἐκ δευτέρου* vel *δεύτερον* distinguitur, ut *Matth.* XXVI: 42. *Ioann.* IV: 54. XXI: 16. *Act.* X: 15; nunc de eo legitur, quod saepius quam bis factum est, fit, aut fiet, uti *Matth.* XXVI: 44, item *Phil.* I: 26. Ubique scribendum est, nisi fallor, *rursus*, quod, cum nullo numero alligatum sit, actionem tertiam et quartam haud secus ac secundam significat, et saepe explicari debet voce vernacula *omgekeerd* (1). Sic hoc loco, PAULUS dicere vult: *ut, viso eo, rursus gaudeatis*, id est, *dolor vester in gaudium convertatur*.

εἰς φόβον, ut probarunt RUECKERTUS, REICHIUS aliique ad h. l. Ceterum cf. GERSDORF. *Beiträge* cet. p. 491, 492.

(1) Vide *Matth.* IV: 7. 2 *Cor.* I: 16. X: 7. *Gal.* V: 3. *Hebr.* V: 12. 1 *Ioann.* II: 8. Adde *Joann.* XVIII: 40, ubi fortasse Graeca: *ἐκραύγασαν οὖν πάλιν πάντες* reddenda sunt: *clamarunt igitur rursus omnes* i. e. *vocem igitur* PILATI *clamor omnium excepit*. Similiter apud CLEM. *Alex. quis dives salvetur.* cap. 27 de Deo legimus: *Δι' οὗ καὶ γέγονε καὶ ἔστι τὰ πάντα, καὶ εἰς ὃν τὰ σωζόμενα πάλιν ἐπανέρχεται.* Vim Adverbii minus assecutus est SEGAARIUS p. 261, Pleonasmum hic occurrere contendens. LUCIAN. *Opp.* Tom. II. p. 611: *Πηλὸν ὑγρὸν καὶ πάλιν σκληρὸν καὶ ὀξὺν ἐπάτουν*: plerique autem Codd. vitiose habent *πάνυ*. Vide et *Sirach.* XXIX: 2. ISOCRATEM *ad Phil.* cap. 15, 41. AELIAN. *Varr. Histt.* Lib. IV. cap. 8. MARC. ANTON. Lib. I. p. 20. HORAPOLLINEM. Lib. I. cap. 64, ubi serpens integer a dimidiato distinguitur. Fortasse quoque huc pertinet LUCIAN. Tom. I. p. 491, ut cum FRITZSCHIO ad *Matth.* IV: 7 credendum non sit Librariis et Editoribus, qui scripserunt *ἔμπαλιν*.

VERS. 29.

Sequitur admonitio intellectu satis facilis de pretio EPAPHRODITO virisque eius similibus statuendo: *Προσδέχεσθε οὖν αὐτὸν ἐν Κυρίῳ μετὰ πάσης χαρᾶς, καὶ τοὺς τοιούτους ἐντίμους ἔχετε.* Ambiguitate tantum laborat formula *ἐν Κυρίῳ*. Sed comparatio cap. I: 14. II: 24 ceterorumque huius Epistolae locorum, ubi illa occurrit, luculenter docet, CHRISTUM hîc significari, non *Deum*, ut CHRYSOSTOMO aliisque visum est. Tum nulla causa est deserendi interpretationem supra propositam *in communione Domini*. Ipse vero auctor, dictionis ambiguitatem sentiens, mentem suam explicuit adscribendo *μετὰ πάσης χαρᾶς*. Itaque sibi voluisse videtur: *Accipite igitur eum, ut accipere oportet hominem, quocum in* CHRISTI *communione estis, id est, cum omni gaudio: et huiusmodi viros magni aestimate.*

VERS. 30.

Admonitioni pondus adiicere volens in laudem EPAPHRODITI redit: *Ὅτι διὰ τὸ ἔργον τοῦ Χριστοῦ μέχρι θανάτου ἤγγισε παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας.* Tria hîc proponuntur: quam sortem EPAPHRODITUS passus sit, cur haec ei acciderit et quid fecerit ipse. Primum inest verbis *μέχρι θανάτου ἤγγισε, usque ad mortem accessit*, vel *prope a morte abfuit:* quibuscum comparanda sunt *Iob.* XXXIII: 22: *Ἤγγισε δὲ εἰς θάνατον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ.* Alterum continent praecedentia *διὰ τὸ ἔργον τοῦ Χριστοῦ*, quae hunc habere videntur sensum: *Propterea quod opus fecit a* CHRISTO *ei mandatum.* Hanc enim interpretationem non solum commendat usus Genitivi, sed ei favent etiam loci similes *Ioann.* IV: 34 et XVII: 4, quorum in altero legimus *ἵνα τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον*, quod in altero sic explicatur: *τὸ ἔργον ἐτελείωσα, ὃ δέδωκάς μοι, ἵνα ποιήσω.* Neque illi obstant *Ioann.*

VI: 29, 30. 1 *Cor.* XV: 58. *Apoc.* II: 26. Opere autem, quod EPAPHRODITUM in periculum vitae adduxit, significantur haud dubie omnia illa officia, rei Christianae praestita, quorum causa PAULUS, ut monet STORRIUS, eum supra non solum τὸν ἀδελφόν, sed etiam τὸν συνεργὸν καὶ συστρατιώτην μου appellat. Ceterum Articulus τοῦ ante vocem Χριστοῦ retinendus, an cum LACHMANNO expellendus sit, dirimere non ausim: sed qui Κυρίου pro Χριστοῦ scriberent, persuasum mihi est, huic versui ex superiori correctionem afferre voluisse. Tertium, quod a PAULO proponitur, cum sic incipiat: παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, Viris Doctis multum molestiae creavit. Acriter enim ab iis disputatum est, utrum genuinum sit Participium παραβουλευσάμενος, an vero scribendum παραβολευσάμενος (1). Utrumque tamen in libris Graecorum frustra quaeritur. Nam quod legimus in *Nov. Test. Valp.* Verbum παραβολεύεσθαι apud Graecos de iis usurpari, *qui omnia periclitentur, praesentissimis se exponant periculis et vitam suam profundant* cet. inservit tantum ad propagandum errorem WETSTENII, quem MATTHAEUS satis superque refutavit. Neque hic ipse tamen congerendis locis, in quibus CHRYSOSTOMUS aliique Ecclesiae Patres Verbo παραβουλεύεσθαι usi sunt, probavit, illud Graecis vetustioribus et tempore quidem PAULI fuisse cognitum: siquidem a Patribus facile in usum recipi potuit, quoniam hac in Epistola reperiebatur. Testimonia quod attinet, Codices MSS. in quibus occurrit παραβολευσάμενος, pauci quidem sunt, sed antiquissimi: cetera multitudo habet παραβουλευσάμενος. Nihil decernunt HESYCHIUS aliique Lexicographi;

---

(1) Receptum παραβουλευσάμενος tuentur WOLFIUS ad h. l. HEINRICHS. *Exc.* II. nemo vehementius et acerbius quam MATTHAEUS. Alterum παραβολευσάμενος imprimis defendunt WETSTENIUS ad h. l. et GABLERUS, *Neuestes Theol. Journ.* Tom. III. p. 604 sqq. Et ab hac quidem parte, praeter antiquiores magni nominis viros, recentissimi stant Editores N. T. LACHMANNUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS.

nihil, una excepta *Itala*, Versiones, quae dicuntur, veteres, quippe quae verba nobis exhibent utrique Participio congrua (1). Patres, imprimis Graeci, recepto magis favent, quam alteri. Neque aliter iudicandum est de THEODORETO, etiamsi recte viderit BETTIGIUS (2), in *Commentariorum prooemio* pro μὴ δείσαντες scribendum esse μὴ δείσαντα. Interpretum primus fortasse fuit SCALIGER, qui Editionem Receptam corrigere iuberent. Quod autem ille ingenii acumine coniecerat, alii postea librorum confirmarunt testimonio. Sed rationibus ad calculum vocatis, a viris magnis mihi dissentiendum videtur. Quamquam enim negare nolo, Adiectivum παράβολος gignere potuisse Verbum παραβολεύομαι (3); miror tamen Graecos, si hoc Verbo revera uterentur, nullum aliud, quod in εύω desineret, a Compositis ἀμφιβάλλω, ἀναβάλλω, ἀντιβάλλω cet. derivasse, exceptis συμβολατεύω similibusve, hinc alienis. Levius quidem, sed negligendum non est, Simplex βολεύομαι nusquam legi, βουλεύομαι contra frequentatum esse. Recte quoque HEINRICHSIUS aliique monuerunt, Dativum τῇ ψυχῇ multo magis convenire recepto παραβουλευσάμενος, quam alteri παραβολευσάμενος. Et ad quaestionem, unde factum sit, ut Veterum nonnulli in exemplis suis ederent παραβολευσάμενος, bene iam responsum est, vitium originem cepisse a Librario, qui festinando Vocalem ο pro Diphthongo ου poneret, atque hinc ad alios propagatum esse, ut vel Interpres Latinus antiquissimus, cum Verbum insolens non intelligeret, inepte scriberet *parabolatus est*. Nam quod confidenter MATTHAEUS ait, corruptelam a Latinorum stupore

---

(1) Et oratio PAULI talis est, ut sensus eius eodem fere redire debeat, sive legatur παραβουλευσάμενος, seu παραβολευσάμενος. Quod et ex ipsa utriusque Participii notione intelligitur. Usui fortasse esse possunt verba PLUTARCHI de Caesare, *Moral.* p. 206 B. Τῶν τολμημάτων τὰ παράβολα καὶ μεγάλα πράττειν ἔφη δεῖν, ἀλλὰ μὴ βουλεύσασθαι.

(2) *Quaest.* p. 33 sqq.

(3) LOBECK. p. 67, 566, 590 sqq. WINER. p. 86.

CAPUT TERTIUM.

VERSUS 1, 2.

Laudato EPAPHRODITO PAULUS nunc ita pergit, ut verba eius Interpretibus multum litis et discordiae pepererint. At ea recentiores tamen magis fatigarunt quam antiquiores, utpote ad singularem sententiarum, et sensum, et usum cum maxime attendentes, minus vero diligentes in explorando universae orationis nexu. Tria autem hîc nobis proposita sunt, quae, ut Particulis copulandi carent, ita ne ipsa quidem inter se cohaerere videntur. Quod tamen verum an falsum sit, quaestio est accurate tractanda.

Principium *τὸ λοιπὸν, ἀδελφοί μου, χαίρετε ἐν Κυρίῳ* prima fronte favet coniecturis HEINRICHSII et PAULI, aliorum culpa duas coaluisse Epistolas, alteram ab Apostolo *Philippensibus* universis scriptam, alteram, ut ille voluit, sigillatim hominibus amicitiae vinculo arctius cum eo coniunctis, vel, ut huic placuit, Episcopis et Diaconis. Sed has coniecturas leves dignasque esse, quae oblivioni tradantur, supra iam vidimus (1). Maiorem plausum tulit sententia GROTII, Apostolum hîc finire voluisse Epistolam, sed postea, cum temporis aliquanto plus accepisset, addidisse ea, quae sequuntur. Sed huic quoque sententiae opposui cum SCHIN-

(1) *Introitu.* p. 10, 11.

sio (1), minus recte PAULO consilium tribui Epistolae finiendae, priusquam verbis expressis gratias pro dono sibi allato egisset. Nec multum ad eam tuendam valet usus formulae τὸ λοιπόν, ad quam Vir summus iam provocavit. Hanc enim eiusve similem ELSNERUS aliique Interpretes ostenderunt, in locis etiam reperiri, qui ab Epistolarum fine longius distent, ut *Ephes.* VI: 10. 1 *Thess.* IV: 1. 2 *Thess.* III: 1. 2 *Tim.* IV: 8, ubi ea tantum significat, auctorem ad aliam rem transire, quemadmodum et *Phil.* IV: 8. Levius itidem argumentum est, a GROTIO ex verbo χαίρετε petitum, quippe quod et rarius in extremis PAULI Literis legitur, et nusquam ibi vim habet Latini *valete*, et nullo denique modo confundendum est cum *χαίρετε ἐν Κυρίῳ, gaudete in Domino.* Videlicet ita scribens PAULUS *Philippenses* non adhortatus est, ut *gauderent*, sed ut gauderent *in communione Domini*, vel *gaudium tantum caperent ex bonis* CHRISTO *debitis.* Similiter verba interpretati sunt PELAGIUS, CHRYSOSTOMUS, multi alii. Atque hanc interpretationem valde commendat Antithesis *καυχώμενοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες*, vs. 3 reperiunda. Sed necessitudo inter hanc Antithesin et formulam χαίρετε ἐν Κυρίῳ intercedens simul declarat, priorem partem vs. 1 cum vs. 3 quodammodo cohaerere. Ita et appellatio ἀδελφοί μου, qua Nomini Pronomen adiicitur, indicare videtur, auctorem plura scribere voluisse, quam uno illo χαίρετε ἐν Κυρίῳ contineantur. Cf. *Eph.* VI: 10. Quae cum ita sint, fieri quidem potuisse concedo, ut PAULUS, cum EPAPHRODITUM *Philippensibus* commendasset, nonnihil faceret intercapedinis scribendi; sed persuasissimum tamen mihi est, argumentum, quod cap. III aggreditur, cum praecedentibus omnino cohaerere et ex iis tanquam effloruisse. Ipsa autem formula τὸ λοιπόν talis est, ut ad utrumque caput conglutinandum inserviat.

(1) Ibid. p. 12.

Quaestio vero nunc est, cur oratio sic procedat: *Τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρόν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές.* Et ad hanc quaestionem, probata GROTII, quam refutavimus, sententia, ne habebis quidem, quod probabiliter respondeatur. Sed multo gravius relinquunt desiderium, qui cum MICHAËLE his ipsis verbis orationem conclusam esse volunt. Nam Plurale *τὰ αὐτά* aegre ac difficulter ad solam referetur admonitionem superiorem *χαίρετε ἐν Κυρίῳ*. Et ita omnino hic versus comparatus est, ut nobis scriptorem prodere videatur lectoribus maxime praeparantem orationis progressum. Interpretationem igitur periclitari oportet, qua alterum huius versus membrum cum sensu alteri tributo redigatur in concordiam. Adiectivum *ὀκνηρόν*, quod proprie *pigrum* significat, hîc aeque atque aliis in locis, laudatis a GROTIO et WETSTENIO, Passivam habet notionem eius, *quod grave est, cuiusque piget.* Sequens *ἀσφαλές* ERASMUS, quamquam sermoni Latino vocem deesse monet, quae ei omnino respondeat, interpretatur tamen *tutum*, et sic recte quidem plerique. Quod enim disputarunt ELSNERUS aliique ad notionem *certi*, vel et *necessarii* Adiectivo vindicandam, locis nititur, hanc quidem interpretationem ferentibus, nec tamen postulantibus, ut a vulgari vocis notione discedamus. Itaque in dubium non venit, quin PAULUS dicat: *Eadem scribere vobis me quidem non piget, vobis vero tutum est.* Sed quid sibi vult Pronomen *eadem?* An *eadem, quae coram monui?* Sic PELAGIUS, BEZA, SLICHTINGIUS, COCCEIUS, quos multi sequuntur: at quis hodie, quaeso, hominem ferat in sermone vitae communis, ne dicam, in Epistola, tale quid reticentem? Reticuitne igitur PAULUS, quod CALVINO placet, *quae scripsi alias?* Ad hoc probandum post alios valde sudavit FLATTUS: sed ne dicam, probari non posse, PAULUM plus semel ad *Philippenses* scripsisse (1), haec quoque reticen-

(1) Cff. disputata in *Introit.* p. 11, 12.

tia ab usu loquendi aliena est. Quod persuasum mihi est obstare etiam interpretationi eorum, qui, cum *eadem* exponant *eadem*, *quae scripsi supra*, PAULUM admonitiones spectasse aiant *Cap.* I: 27, 28 *Philippensibus* datas, ut nuper MATTHIESIUS. Deinde vero quae ibi occupata sunt, cum hac oratione non conveniunt adeo, ut dici possint repetita. Triplex autem, quam adhuc memoravimus, interpretatio vocabulorum *τὰ αὐτά* hoc communi laborare videtur vitio, ut nulla earum satisfaciat ad explicandam causam, cur Apostolus hoc in Versu tam abrupto dicendi genere usus sit. STRIGELIUS quidem contrariam in partem duos attulit locos, EPICTETI et XENOPHONTIS, sed non probant illi PAULUM reticuisse *quae coram monui*, vel *quae alias scripsi*, vel etiam *quae scripsi supra*: si quidem formula *τὰ αὐτά* in altero definitur praepositis *ἑκάστην ἡμέραν*, in altero postpositis *ἅ ἐγὼ πάλαι ποτέ σου ἤκουσα*. Neque inde tamen sequitur, nos falsae servire opinioni, si ad postremum illud *eadem*, *quae scripsi supra* redeamus ita, ut auctorem in mente habuisse putemus, quae praecedenti capite inde a vs. 18 de *gaudiis hominis Christiani* scripsisset. Immo haec interpretatio tantum improbanda est, quatenus ELSNERUS aliique eius fautores verba *τὰ αὐτὰ — ἀσφαλές*, notione Pluralis neglecta, ad unum illud et breve dictum *χαίρετε ἐν Κυρίῳ* retulerunt. Sed si sumimus ea *dictum* continere *generale*, cuius applicationem ad rem praesentem PAULUS *Philippensibus* reliquerit, omnis, nisi fallor, sublata causa est, cur ab interpretatione illa discedatur (1). Nimirum breviloquentiam orationi inesse constat inter omnes: mihi vero omissa sic supplenda videntur, ut Apostolum faciamus dicentem: *Ceterum, Fratres mei, gaudete in communione Domini. Idem hoc est, novi, atque illud, quod proxime praecedit: sed eadem scribere* cet.

(1) Similiter PAULUM cap. II. vs. 21 scripsisse vidimus *ζητοῦσι*, quamquam Singulare quid in mente haberet.

Parem breviloquentiam nos homines in vita communi frequentare solemus. Et sicut illa naturali debetur mentis humanae affectioni; sic nobis monstratur eo, quod alterum huius versus membrum Coniunctione caret. Cur autem PAULUS hoc membro progressum orationis interceperit, e longinquo quaerere non opus est. Videbat enim se prius incepisse a verbis *τὸ λοιπόν*, quae vulgo propositioni rei nondum occupatae, non praecedentium repetitioni praemittuntur. Iam ne mirarentur lectores, iis, contra loquendi usum, subiectam esse admonitionem *χαίρετε ἐν Κυρίῳ* eodem redeuntem ac supra plus semel scripta, statim ad rationem huius repetitionis *Philippensibus* reddendam impellitur. Ergo lectoribus, quid de praeceptorum utilium repetitione iudicet, generatim declarat, ut habeant, quod ipsi ad rem praesentem applicent. Hoc autem declarato velut ex diverticulo in viam redit ad orationem deinceps persequendam. Sed priusquam nexum eius commonstrare possimus, sigillatim interpretari necesse est quae altero versu continentur.

Scripsit igitur PAULUS: *Βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομήν.* Verbum *βλέπετε* plerique Interpretes reddiderunt Latino *cavete;* ceteri *intuemini*, *considerate*, *attendite ad.* Et sic quidem CHRYSOSTOMUS, ut apparet ex adiectis *ἐπεὶ ἦσαν δυσδιάγνωστοι,* tum LUTHERUS, TILLIUS, ELSNERUS, alii, quorum sententiam defendit WINERUS (1), hoc Activum bene distinguens a Medio *φυλάσσεσθε*. Nequidquam nonnulli *cavendi* notionem tueri conati sunt ad locos provocando, ubi Praepositio *ἀπό* non sequitur Verbum *βλέπω,* uti *Matth.* XXIV: 4. *Marc.* XIII: 5: nam ibi, et Particula negans *μή* huius Praepositionis vice fungitur, et nihil obstat, quominus Graecum *βλέπετε* Latino *videte* reddatur. Maioris forte ponderis esse

---

(1) l. c. p. 202.

videbitur admonitio in *Epistola* IGNATIO affricta (1), ubi auctor PAULI dictum sic imitatur: *Βλέπετε οὖν τοὺς κακεντρεχεῖς ἐργάτας, τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ, ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, ὧν ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν. Βλέπετε τοὺς κύνας τοὺς ἐνεούς* cet. Sed quidni hîc etiam scribamus *considerate?* Sic certe Veteres hoc verbo, Accusativum ei subiicientes, saepe usi sunt; nusquam vero, quantum novi, ita, ut vertendo reddendum sit *cavere.* At concedo tamen Viris Doctis, inter notiones *considerandi* et *cavendi*, in PAULI atque *Pseudo*-IGNATII oratione, reapse non multum interesse: quoniam ut *βλέπω* alibi dicit *considerare quid, ut illud accipiatur, teneatur*, aut *peragatur* (2); sic *βλέπετε* his in locis: *considerate ut fugiantur.* Iam si quis rogat, cur bis illud repetatur; causam quaero in eadem animi graviter affecti commotione, quae Poëtas et oratores saepe ad verba repetenda impellit. Ita et animi, nisi fallor, agitatio fecit, ut scribere inciperet Apostolus *βλέπετε τοὺς κύνας*, tritum fortasse Proverbium ad rem suam convertens (3). *Iudaeos* autem notari, CHRISTI adversarios, plerique sibi cum CHRYSOSTOMO habuerunt habentque persuasum. Sed hac interpretatione sumere coguntur, eosdem hoc loco homines variis nominibus insigniri, quod et COCCEIUS propter repetitionem verbi *βλέπετε* improbabile esse monuit (4), et PALMIUS

---

(1) *Ad Antiochen.* cap. 6. apud COTEL Tom. II. p. 110.

(2) DINDORF. in *Thes.* locum affert PLATONIS, cui plures possunt adiici: ANACREON, *Od.* 46: *μόνον ἄργυρον βλέπουσι. Amores*, LUCIANO adscripti, cap. 24: *βίου τυραννίδα βλέποντος.* CLEM. *Alex.* l. c. cap. 17 *ἑκάστοτε τὸ πλεῖον βλέπων.* PORRO *Ezech.* XIII: 6 *βλέποντες ψευδῆ, considerantes mendacia, ut illa propagent. Marc.* XIII: 9. *βλέπετε ἑαυτούς, considerate vos ipsi, ut vobis consulatis.* Similiter 2 *Ioann.* 8, ubi consilium considerationis quoque expressum est, item *Col.* IV: 17.

(3) GATAKERI *Opp. Crit.* p. 826 sqq.

(4) Idem verbum ad distributionem faciendam bis repetiit PHILOSTRATUS, *Vit. Sophist.* Lib. II. cap. 1, de PLUTO dicens, qui HERODEM *Sophistam* opibus cu-

recte a PAULI more dicit alienum. Nec minus recte vir ille Doctus acerbiorem iudicat vocem *κύνας*, nisi denotentur ii, qui Iudaeis eorumve doctoribus peiores fuerunt. Quare obtemperandum censeo Interpretibus, qui, comparato loco 2 *Pet.* II: 22, hic significari putant imitatores canum ad vomitum suum redeuntium. Proponuntur igitur *homines a* CHRISTI *professione ad Iudaeorum superstitionem reversi.* His autem adiungens auctor *τοὺς κακοὺς ἐργάτας*, id est, *malos operarios*, in mente habet eos, *qui se a* CHRISTO *quidem non avertunt, sed superstitione illa Divinam corrumpunt doctrinam.* Cf. 2 *Cor.* XI: 13. Postremum, pro Concreto Abstractum ponens, exagitat *τὴν κατατομήν*, seu homines, qui se iactant *περιτετμημένους*, sed revera sunt *κατατετμημένοι*, *concisi*. Fuerunt autem illi *Iudaei*, *fiduciam suam in carnis circumcisione ponentes*, *atque ita ad* CHRISTUM *venire nolentes*, *sed illum contemnentes et spernentes*. Sic RHEINWALDUS cum plerisque vocem interpretatus est, duces habens CHRYSOSTOMUM, OECUMENIUM, THEOPHYLACTUM, qui tamen intelligi quoque posse putarunt *concisionem Ecclesiae*. Et hoc illi praetulerunt THEODORETUS, GROTIUS, alii: utrumque quodammodo coniunxit MATTHIESIUS. Sed a vero, me iudice, aberrarunt, notionem Passivam in Activam convertendo, Antithesin *τῆς κατατομῆς* et *τῆς περιτομῆς* vs. 3 negligendo, et PAULUM bis idem dicentem faciendo. Sine scrupulo igitur redimus ad interpretationem propositam, ut Apostolus hoc versu triplex genus vindicum Iudaismi et adversariorum CHRISTI comprehendat atque hos omnes a *Philippensibus* considerandos esse moneat, quo eos fugiant. Haec autem PAULUM moniturum fuisse non credo, nisi, aut sciret, eiusmodi homines iam *Philippis* esse, cum

---

mulaverat: ἔβλεψε μὲν γὰρ ἐς φίλους, ἔβλεψε δ' ἐς πόλεις, ἔβλεψε δ' ἐς ἔθνη. Locum mihi monstravit PALAIRET.

suam scriberet Epistolam, aut saltem praevideret fore, ut se brevi hac in urbe proderent.

Perveni nunc eo, ut ostendere possim, quaenam mihi series orationis esse videatur. Nimirum PAULUS hîc non Philosophorum more ratiocinatur, sed, oratorum instar, ex pectore commoto verba animata effundit, uti iam supra, et in Pronomine μου appellationi ἀδελφοί subiecto vidimus, et in his repetito verbo βλέπετε, et denique in usu Proverbii, vel certe audacioris vocis κύνας. Praeterea hoc cernitur in eo, quod versui alteri quoque deest Coniunctio, qua cum praecedenti connectatur. Et vero animum gravius agitatum prodit coacervatio dictorum, quibus primo adspectu turbari videtur orationis perpetuitas. Quid auctori ardorem iniecerit, definire equidem non ausim: memoria fortasse hominum, cum maxime sibi et CHRISTO adversariorum, quam laudatio EPAPHRODITI excitaverit. Sed, huius ardoris plenus, *Philippensibus* admonitionem dedit, si rem recte intelligo, hac redeuntem: *Quidquid vero agitis, Fratres Carissimi, de bonis gaudete, quae debetis communioni* CHRISTI. (*Idem hoc est, novi, atque illud, quod praecedit; sed eadem vobis scribere, me quidem non piget, vobis vero tutum est.*) *Summam ad cautionem considerate desertores* CHRISTI, *ut canes ad vomitum, sic ad Iudaismum reversos! Considerate fallaces illos, qui se* CHRISTI *esse dicunt, sed Iudaismo operantur! Considerate adversarios* CHRISTI, *Iudaismi tenaces et circumcisionem iactantes, quae mera carnis concisio est!* Sic ab Apostolo sententia media suo loco posita est: extremae vero secum invicem cohaerent. Nam reapse idem egerunt Veteres CHRISTI sectatores, sive, spreta Iudaismi superstitione, de CHRISTI communione gaudebant; seu Iudaismi patronos et vindices ad fugiendos eos considerabant (1). Ceterum si praesto es-

(1) Cf. praeter alios STORRIUS ad h. l.

sent libri, qui, omissa Particula *οὐκ*, tantum haberent *ἐμοὶ μὲν ὀκνηρόν*, avide hoc arriperem, coniiciens, Particulam manui hominis deberi, qui primam syllabam vocis *ὀκνηρὸν* in exemplo suo bis scriptam reperisset. Quamquam enim scio, Graeca *μέν* et *δέ* saepe respondere Latinis *non solum*, *sed etiam;* haud minus scio tamen, quam longe a communi sermone remotum sit alterum *ἐμοὶ οὐκ ὀκνηρόν* alteri *ὑμῖν ἀσφαλές* opponere. Et hac correctione profecto fieret, ut orationis perpetuitas multo magis in oculos incurreret. Nunc vero, cum libri antiqui consentiant, nihil mutare ausim.

VERS. 3.

Sequitur causae, cur PAULUS *κατατομήν*, non *περιτομήν* scripserit, explicatio: *Ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομή*, *Nos enim sumus circumcisio vere ita dicta*, vel si Concretum ponimus pro Abstracto: *Nos enim sumus circumcisi vere ita dicti.* Apostolus sectatores CHRISTI, cum ex gente Israëlitica, tum aliunde oriundos significat, propriam notionem vocis *περιτομή* in figuratam convertens, ut *Rom.* II: 28, 29, et voci illi Articulum praeponens ad eam bene definiendam. Eosdem autem, secundum Editionem receptam, sic a Iudaeis distinguere pergit: *οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, καὶ καυχώμενοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες.* Iam qui hanc Editionem sequantur, recte monet BEZA, ab initio interpretari debere *qui mente Deum colimus.* Sed Librarii male seduli, ut et cum Verbo *λατρεύω* Casum vulgo usitatum coniungerent, et breviloquentiae huius loci ex *Ioann.* IV: 23, 24 et aliunde opem ferrent, Dativum *Θεῷ* substituisse videntur pro Genitivo *Θεοῦ*, quem PAULO, ad fidem Codicum maxime Graecorum, post WETSTENIUM aliosque LACHMANNUS et SCHOLZIUS restituerunt. GORSCHENIUS vero retinuit vulgatum *Θεῷ*, quod etiam acriter defendit MIDDLETONUS (1),

(1) l. c. p. 371, 372.

et ad orationis provocans argumentum, quod voci *πνεύματι* notionem Adverbii tribui iubeat, et ad loquendi usum, utpote cohibentem, quominus formula *πνεῦμα Θεοῦ*, Articulo carens, explicetur *Spiritus Sanctus*. Sed hoc quidem, quamvis et ERASMO iam visum est, minus probandum esse docent loci similes, qui itidem Articulo carent, neque aliam tamen ferunt interpretationem, uti *Rom.* VIII: 9. 1 *Cor.* VII: 40. XII: 3 (1). Illud vero tale est, ut Editionem receptam nullo modo corrigere vetet. Nam qui Latine scribunt: *Spiritum Dei colimus*, Apostolo dictum, et ipsi insolitum obtrudunt, et a consilio orationis, in qua nunc versatur, alienum. Et notio fortasse Verbi *λατρεύω* adeo abhorret a notione vocis *πνεύματι*, ut dici quidem possit *λατρεύω Θεῷ*, *λατρεύω πνεύματι* non item. Sed quidquid huius rei est, non dubito, quin scribendum sit: *qui ad*, vel *secundum Spiritum Dei* (spiritualiter) (2) *colimus*, scil. *Deum*, quam vocem WETSTENIUS etiam omissam esse monet *Luc.* II: 37. *Act.* XXVI: 7. *Hebr.* IX: 9. X: 2. Commentarii instar esse potest dictum PAULI *Rom.* I: 9: *Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεός, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ*: quamvis vox *πνεύματι* ibi *mentem humanam* significat. Sequentia autem *et gloriamur in* CHRISTO IESU, *et non in carne confidimus*, nullam habent difficultatem. Quisque enim sua sponte videt, PAULUM dicere velle, se et *Philippenses* eorumque similes salutem suam non quaerere in circumcisione aliisque rebus externis, sed unum eius auctorem profiteri CHRISTUM, cuius de communione gaudeant.

---

(1) Cf. WINER. p. 115.

(2) Similiter Casus tertius *rationem rei* vel *normam agendi* significat *Gal.* V: 16, 25. Alios locos habent MATTHIAE. p. 547, 548. BERNHARDY. p. 103. WINER. p. 193. Cf. MATTHIESIUS ad h. l.

aliquis homo, ut in loco, in quo nunc versamur. Hoc vero ideo improbandum est, quod praecedentia et sequentia docent, non tertiam Singularis, sed primam hîc omissam esse. Recte igitur GRIESBACHIUS, multorum auctoritate fretus, Dativum hîc pro Nominativo substituit (1). PAULUS autem hinc gloriandi initium fecit, ut se in eo, quod maxime penderetur a Iudaeis, nemini cedere ostenderet. Nec tamen προηγουμένως, ut ait CHRYSOSTOMUS, ita egit, sed hominibus occurrere volens, quorum superbia rebus externis se efferebat. In censum nunc venit splendor natalium: ἐκ γένους Ἰσραήλ, φυλῆς Βενιαμὶν, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, id est: *ex gente Israëlitica (sum), tribus* BENIAMINIS, *Hebraeus ex Hebraeis*. Vocem Ἰσραήλ non in Nominativo, sed in Genitivo positam esse adversus ERASMUM probavit DRUSIUS. Genitivus φυλῆς ab omisso Verbo εἰμί pendet, ut *Num.* XIII: 5 sqq. XXXIV: 19 sqq. quos locos affert STORRIUS, non vero a Praepositione ἐκ. Similiter *Rom.* XI: 1, ubi Verbum εἰμί expressum est. Sed haec levia sunt. Maioris ponderis quaestio est, cur PAULUS tria deinceps recenseat. Et maxime lis agitur, utrum alterum et tertium primo tantum adiecerit ad confirmandam generis fidem, an vero ad gloriam natalium suorum amplificandam. Illud autem, quod defendere conatus est CALVINUS, primo habet adspectu, quo valde se commendet. Sed probabilitate sua destituitur, si animadvertimus, tria proxime sequi, quae singula rem contineant, a ceteris diversam. Tum obstant loci similes *Rom.* XI: 1. 2 *Cor.* XI: 22, quorum in altero PAULUS de se dicere videtur: *Natus sum Israëlita, ex parentibus eiusdem originis, progeniës tribus* BENIAMINIS; in altero: *Ad civitatem Israëlitarum adscriptus sum, Israëlita natus, ex parentibus eiusdem originis.* Itaque cum plerisque Interpretibus, nisi fallor,

(1) Secuti sunt VATER. LACHM. GOESCH. SCHOLZ. cff. WINER. p. 183. et MIDDLETON. p. 372.

statuendum est, auctorem hîc verba cumulasse, ut natalium suorum gloriam deinceps ampliorem et illustriorem redderet. Scribendo nempe περιτομῇ ὀκταήμερος indicare voluit: *Iudaeus sum*; *non Proselytus*, seu *advena ad Iudaeorum civitatem*. Nunc gradationem facere incipit adiiciens quod illo maius est: *ex parentibus eiusdem gentis, non ex Proselytis natus sum*. Hoc certe, CHRYSOSTOMO duce, Verbis eius ἐκ γένους Ἰσραήλ inesse arbitror. Haud pauci quidem spectari putant discrimen inter *Iudaeos* et *Idumaeos*, uti GROTIUS (1); sed longius hoc quaesitum est, idcirco etiam, quod non liquet, PAULUM usquam *Idumaeorum* rationem habuisse. MATTHIESIUS Apostolum originem suam referre iudicat ad Patriarcham IACOBUM, sibique honorificum *Israëlis*, quod illi *Gen.* XXXII: 28 impositum est, vindicare nomen: at hac interpretatione, me iudice, contra loquendi usum Emphasis fingitur et perturbatur huius orationis series. Quamvis nempe Apostolus gradatim ab humilioribus ad superiora adscendit, IACOBI tamen aetatem nondum attingit scribendo φυλῆς Βενιαμίν, quo *se non ex ignobiliori quadam tribu Israëlitarum, sed ex tribu* BENIAMINIS *clarissima progenitum esse* declarat. Sine scrupulo enim denuo sequimur CHRYSOSTOMUM, quocum plerique de mente PAULI explicanda convenerunt. Summum vero gloriae fastigium *Philippensibus* commonstrarunt postrema Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων. Sed gradationis ratio hîc etiam ab omnibus non habetur. Mihi certe eam negligere videntur, qui haec ab Apostolo scripta esse opinantur, vel ut se a *Proselytis* discerneret, vel ut utriusque parentis sui originem Iudaeam ostenderet. Alterum DRUSIO et GROTIO placuit, alterum WOLFIO et HEINRICHSIO. PAULO autem *Tarsensi* non congruit opinio

(1) GROTIUS *Ismaëlitas* quoque memorat: sed horum rationem PAULUS habere non potuit, quoniam illi non octavo a natalibus die, sed decimo tertio aetatis anno circumcidebantur. Cum GROTIO errarunt SLICHTINGIUS aliique.

COCCEII, CRELLII, LAUNAEI, MICHAËLIS, eum se Iudaeis opposuisse, qui Graeco aliove extero sermone uterentur: quod et voce quidem Ἑβραῖος denotari potuit, formula vero Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων non item. Immo huic formulae vim suam tribuimus, et orationis gradationi simul consulimus, si auctorem facimus hoc sibi volentem, *se, a primo inde gentis conditore,* ABRAHAMO, *maiores, tam maternos, quam paternos, eiusdem habuisse stirpis.* Egregie THEODORETUS. Εἰς αὐτὴν τὴν ῥίζαν ἀνέδραμε: quocum et alii, vel omnino, vel magnam partem consenserunt, et nuper FLATTUS et MATTHIESIUS (1).

Nunc bonis, quae ex natalibus orta sunt, bona adiungit Apostolus libertati debita. Quare distinctio orationis sic corrigenda est, ut comma, voci Ἑβραίων postpositum, mutetur in colon, unoque versu tria comprehendantur sequentia. Primum κατὰ νόμον Φαρισαῖος, *secundum legem Pharisaeus,* breviter hanc mentem enunciat: *quod legis attinet interpretationem, sectam sequor religiosissimam Pharisaeorum.* Temere enim, et alii notionem vulgarem vocis νόμος deserunt, et qui eam cum HEINRICHSIO, ENDIO, RHEINWALDO hic idem significare aiunt atque αἵρεσιν, quod nullo loco simili probare possunt. Cf. *Act.* XXII: 3. Nec multo difficilius est alterum: κατὰ ζῆλον διώκων τὴν ἐκκλησίαν, *secundum fervorem insectans Ecclesiam.* Voci ζῆλον si quid adiici debet, ex *Rom.* X: 2 repetere malo Θεοῦ, quam ex *Act.* XXI: 20 νόμου; quoniam PAULUS hic νόμον et ζῆλον distinxit: sed nihil omissum esse videtur. Nec Voci ἐκκλησίαν cum COCCEIO addendum esse τοῦ Θεοῦ, scribendi ratio docet Apostolo usitata (2). Participio autem διώκων, quod GROTIUS, HEINRICHSIUS aliique minus recte pro Aoristo διώ-

---

(1) Cff. *Nov. Test. Valp.* et DE RHOER, *Fer. Daventr.* p. 214, 215.

(2) Cff. 1 *Cor.* VI: 4. *Eph.* III: 10 et alii loci, quos congessi in *Annot. in loca* cet. p. 118.

ξας positum putant, rem praeteritam, ut et vidit MATTHIESIUS, praesentem fecit. Sensus orationis huc redit: *quoad fervorem animi, insectator sum societatis Christianae.* Atque sic PAULUM ostendisse, quanto maiori iure de se gloriari posset, quam multi Pharisaeorum, praeter alios notavit CHRYSOSTOMUS. Maxime vero sibi Apostolus de praestantia sua persuasum habuit, quod dici poterat *κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος.* Haud contemnendus sane honoris titulus. Vocem *δικαιοσύνη* quod attinet, multis de ea disputare non opus est. Omnis enim, nisi fallor, clamat oratio, eam hic significationem habere, quae nulli voci Latinae magis respondeat quam *probitati.* Sic post GROTIUM aliosque eam interpretatus est MATTHIESIUS. Et aut egregie fallor, aut haec notio illi tribuenda est, ubicunque de *hominibus* usurpatur (1). Iam ad probitatem definiendam inserviunt subiecta *τὴν ἐν νόμῳ,* scil. *οὖσαν,* quae ERASM. SCHMIDIUS recte a sequentibus *τὴν ἐκ νόμου* vs. 9 distingui iussit. Denotari videtur probitas illa, quae in lege Mosaica, ad literam exposita, requiritur atque ita quidem cernitur in praeceptorum Divinorum observatione, verae pietatis et virtutis formam et umbram tantum habente. Similiter post alios MATTHIESIUS verba explicavit. De eo autem inter se consentiunt Viri Docti, Adiectivo *ἄμεμπτος,* aeque ac cap. II: 15, significari *hominem, ab aliis reprehendi non merentem.* PAULUS igitur dicere vult: *quoad probitatem, quam Lex Mosaica requirit, talem tantumque me praestiti, ut me iure meritoque nemo reprehendere posset.* Quibus cum verbis eius comparandum est dictum iuvenis illius *Matth.* XIX: 20: *Haec omnia observavi inde a iuventute mea.*

---

(1) *Matth.* V: 6. *Rom.* VI: 18. XIV: 17. *Eph.* VI: 14 et alii loci laudati a VOORSTIO, *Annot. in loca sel. N. T. Spec.* II. p. 35 sqq. ubi ostenditur, scriptores Graecos etiam hanc notionem voci *δικαιοσύνη* tribuisse. Adde locos apud STOBAEUM. Tom. I. p. 232 sqq. GAISFORDTI. Imprimis conferri merentur *Godgel. Bijdragen.* Tom. XI. p. 361 sqq.

Sic vero scribens *Philippensibus* non solum docuit, se hoc nomine vulgaribus Iudaismi patronis excellere, sed etiam, ut THEOPHYLACTUS aliique Patres iam monuerunt, animi sui, quem memorasset, fervorem nec principatus ambitioni, neque ulli causae indigniori tribuendum esse.

VERS. 7.

Propositis iis, quae sibi causam gloriandi praebuerunt, nunc PAULUS, quonam ea loco habuerit et numero, ostendit: *Ἀλλ' ἅτινα ἦν μοι κέρδη, ταῦτα ἥγημαι διὰ τὸν Χριστὸν ζημίαν.* Ad formulam ἥγημαι ζημίαν, cuius similes ex scriptoribus exteris KYPKIUS, WETSTENIUS aliique collegerunt, bene intelligendam, in memoriam revocare necesse erit quod ad cap. II: 3, disputavimus. Hinc enim sequitur eam non solum denotare *damnum esse duxi*, sed etiam *abieci* vel *repudiavi*, Graece *ἀπεβαλόμην*, ut habet THEOPHYLACTUS. Quaenam abiecerit Apostolus, apparet ex praecedentibus *ἅτινα ἦν μοι κέρδη, ταῦτα, haec et cetera, quaecunque mihi in lucris erant.* Qui supra memorata tantum significari putant cum BENGELIO, vim suam adimunt Pronomini *ἅτινα*, cui efficacitatis causa adiectum est alterum *ταῦτα*, quamquam eo carere poterat oratio. Vox autem *κέρδη*, ob rerum varietatem in Plurali posita, non *vera* lucra, sed *opinata* spectat, ut post alios vidit MATTHIESIUS. Et neminem fortasse contradicturum fuisse crediderim, nisi multi, praeeunte iam CHRYSOSTOMO, putassent, PAULUM ipsam legem Mosaicam in mente habuisse. At vero in mente habuit abusum legis eiusque rituum et omnium, quarum possessione aliis excelluerat, rerum externarum, quo his se iactasset tanquam bonis salutem veri nominis sibi afferentibus. Haud improbabile est, quod CALVINO placuit, similitudinem sumtam esse a navigantibus, qui, urgente periculo naufragii, iacturam faciunt omnium, ut salvi in portum, nave exonerata, perveniant. Atque sic Apostolus se ait illorum, in quibus spem suam collocasset, fecisse iacturam *διὰ*

τὸν Χριστόν, *propter Christum*, id est, ut CHRISTI communione uteretur. Nam commentum HEINRICHSII, Praepositionem διά interpretandam esse *quod attinet ad*, vel *ratione habita*, et similia refellere nihil attinet. Ceterum quisque sua sponte intelligit, tempus illud respici, quo PAULUS se *Damasci* a Iudaeorum superstitione converterit ad CHRISTUM profitendum.

VERS. 8.

A tempore illo Praeterito PAULUS ad Praesens transgreditur: Ἀλλὰ μὲν οὖν καὶ ἡγοῦμαι παντα ζημίαν εἶναι διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ, τοῦ Κυρίου μου. Vulgarem suam notionem habet Particula ἀλλά, quippe inserviens ad Verbum ἡγοῦμαι alteri ἥγημαι opponendum. Quod sequitur in Editione Recepta μενοῦνγε substitutum a Librariis est pro vocabulis μὲν οὖν, quae ad fidem Codicum antiquissimorum auctori suo restituerunt GRIESBACHIUS aliique. Apud exteros autem scriptores, quorum in libris frequenter leguntur, significatione haud multum discrepant a μενοῦνγε, scriptoribus Novi Testamenti usitato, ut satis bene ea Latino *sane* (1) reddiderit BENGELIUS; qui et recte monuit, Particulam καί vim intendere temporis Praesentis. Adiectivum πάντα, quod nonnulli prudenter distinxerunt a sequentibus τὰ πάντα, respondet superiori ἅτινα, ut eo *omnia* denotentur, *quaecunque* antea ab Apostolo in lucris posita sunt. Formulam vero διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ haud scio, cur VATABLUS, GROTIUS, etiam RHEINWALDUS et MATTHIESIUS scriptam esse velint pro διὰ τὴν γνῶσιν Χριστοῦ Ἰησοῦ, τὴν ὑπερέχουσαν αὐτά. Studiose enim PAULUS, nisi

(1) Non multum iuvat disputatio IRMISCHII ad HERODIAN. *Hist.* Tom. I. p. 804, quem laudavit HEINRICHS. Plus lucis afferunt loci descripti a SCHNEIDERO, *Griechisch-Deutsches Wörterbuch.* De Particula μενοῦνγε nonnulla monui in *Annotat.* p. 145, 146.

fallor, Genitivum *γνώσεως* Adiectivo *ὑπερέχον* Substantive posito subiecit, ut cognitionis *praestantia* lectorum in oculos prius incurreret, quam ipsa *cognitio* (1). Hac autem voce cum aliud quid propositum non esse videatur, quam Verbo *γνῶναι* vs. 10, recte plerique viderunt Interpretes, ea cognitionem non solum *Theoreticam*, ut aiunt, sed etiam *Practicam* significari. Auctoris igitur in mente fuit *cognitio Christi per experientiam eius accepta* (2). Atque haec explicatio etiam confirmatur eo, quod bonorum *abiectioni* vel *repudiationi* opponi nequit *mera intelligentia*. Ceterum causa, cur oratio hoc incrementum ceperit, ut Praesenti *ἡγοῦμαι* subiiceretur formula longior graviorque *διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ*, Praeterito *ἥγημαι* brevior et magis generalis *διὰ τὸν Χριστόν*, in animo, ut puto, quaerenda PAULI est, quippe qui CHRISTUM eo tempore, quo sectator eius et Apostolus fiebat, tanti nondum habere potuit, quanti inter hanc Epistolam scribendam eum habuit, multorum annorum experientia edoctus. Huius animi quoque grati et CHRISTO devoti sensibus impulsus, superioribus adiecit *τοῦ Κυρίου μου*, quae verba, ne eorum minuatur efficacitas, Commate a praecedentibus seiungenda sunt. Ergo Apostolus sibi voluisse videtur: *Nec sane* CHRISTI *causa olim tantum abieci quaecunque mihi in lucris posueram*, *sed omnia illa etiam abiicere pergo; quoniam iis longe praestat experientia cognitum habere* CHRISTUM IESUM, *dominum illum mihi carissimum*. Haec enim vis est Pronominis *μου*, quod non negligendum esse, multi Interpretes monuerunt.

---

(1) Cff. *Rom.* VIII: 3. 2 *Cor.* IV: 2, 17. *Eph.* I: 19. *Hebr.* VI: 17. 1 *Pet.* I: 7 et ELSNER. ad h. l.

(2) Cff. *Exod.* XIV: 4, 18. 1 *Cor.* VIII: 3. 2 *Cor.* V: 21. 2 *Tim.* II: 19. Sic quoque Graeci Verbo *γιγνώσκω* usi sunt, sed plerumque de eo, qui aliquem *cum damno suo* novit. Cf. *Biblioth. Crit. Nov.* Vol. IV. p. 46. Exemplo sit HOMER. *Iliad.* *Ω*. vs. 242.

Iam eorum, quae sequuntur: *δι' ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην*, pars posterior, ERASMUS se haud scire ait, an vertenda sit: *in omnibus detrimento sum affectus*. Sed plerique Interpretes Aoristo Passivi notionem Medii tribuunt. Quod fieri posse, docet usus multorum Verborum (1), etiam Participii *ζημιωθείς* *Luc.* IX: 25. Neque hic locus aliud ferre videtur, cum et sibi mutuo respondeant *ἥγημαι ζημίαν* et *ἐζημιώθην*, et in orationem contextam non cadat narratio, quid passus sit PAULUS, sed quid libere peregerit. Accusativus autem *τὰ πάντα* idem dicit ac *πάντα*, *ἃ ἥγημαι ζημίαν*. Mens igitur auctoris est: *cuius causa factum est*, *ut me illis privarem omnibus*. Quod quisque videt, quamquam cum praecedentibus *dominum illum mihi carissimum* arcte cohaereat, orationis tamen cursum quodammodo interrumpere. Sed quaestio nunc est, sequentia: *καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι, ἵνα Χριστὸν κερδήσω*, talia sint, ut auctor iis orationis cursum interrumpere pergat, an illuc redire incipiat. Utrum utri praefertur, eadem manet verborum abundantia, animi commotionem testificans. PAULUS enim, ut vs. 5, 6 quam brevissime memoriam repetit eorum, quibus olim confisus est; sic vs. 8, 9, 10 in exponendis iis, quae sibi nunc salutaria habet, tanquam amoeno in loco, diu commoratur. Ergo ad quaestionem dirimendam alia observare necesse erit. Nec desiderantur sane rationes, quae hanc suadeant structuram orationis, ut auctor, verbis *δι' ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην* tanquam in Parenthesi positis, in viam revertatur scribendo *καὶ ἡγοῦμαι* cet. Nimirum hoc posito, et priori huius versus membro demum bene respondet posterius (2); et non inter-

---

(1) BUTTMANN, *Griechische Gramm.* Ed. 8. p. 501, 502. MATTHIAE. p. 684, 685. WINER. p. 238. alii.

(2) Huc pertinet etiam Verbum *εἶναι*, quod quominus cum LACHMANNO aliisque spurium habeam, auctoritas impedit librorum plerorumque antiquissimorum. Causa autem, cur a nonnullis omitteretur, posita fuisse videtur in opinione, illud orationis cursum inepte retardare.

cipitur gradatio, ex pectoris fervore profecta; et verba *δι' ὃν* et *ἵνα Χριστὸν κερδήσω*, quae vix una stare nequeunt, a se invicem separantur. Itaque scribens PAULUS *ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι*, ut reticuit *πάντα*, quod in principio membri prioris legitur, sic animi commoti causa duo repetiit ibi reperiunda. Gravitatem autem orationi adiecit usu vocis *σκύβαλα*, id est *stercora*, ut cum *Vulgato Latino* interpretati sunt LUTHERUS, STEPHANUS, BEZA, GROTIUS, multi alii (1). Dicere igitur vult: *et abiicere haud secus pergo quam stercora*. *Ἵνα*, inquit, *Χριστὸν κερδήσω*, *ut* CHRISTUM *lucrifaciam*, aliis verbis: *ut salutari* CHRISTI *communione utar* (2), quod respondet praecedentibus *διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ*. Praesenti autem Aoristum subiungit, quoniam lucrum non solum memorat iam acceptum, sed etiam assidue incrementa capturum.

VERS. 9.

Arctissime cum *κερδήσω* cohaerent verba *καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ*, ita ut delendum sit Comma interpositum. Sed ne Comma etiam iis postpositum ferri posse puto, quamquam illud et Interpretes fere omnes probarunt, sententiam hanc iudicantes absolutam, et Editores quoque recentissimi, GOESCHENIUS et SCHOLZIUS. Fateor, si Graeca reddantur: *et reperiar in eo* (3), bonum hinc exoriri sensum: *et cum eo in-*

---

(1) CHRYSOSTOMUS scripsit *ἄχυρον*; sic THEODOR. OECUM. THEOPHYL. Sed huic loco convenientior magisque testata est interpretatio HESYCHII *κόπρος*. Cff. loci apud WETSTEN. KYPK. GATAK. p. 868 sqq.

(2) Sic vocem *Χριστόν* iam ad *communionem* CHRISTI, sed coelestem, retulit auctor *Epist. ad Antioch.* apud COTEL. Tom. II. p. 111.

(3) Recte se MATTHIESIUS opponit HEINRICHSII sententiae, Verbum *εὑρεθῆναι* idem dicere atque *εἶναι*. Cum HEINRICHSIO consenserunt GROT. ROSENM. RHEDIUS, FLATTUS, multi alii. Sed cff. notata ad cap. II: 7. CALVINUS interpretans *et inveniam in ipso*, ut Passivum *εὑρίσκομαι* notionem Activam habere probet, ad auctoritatem provocat BUDAEI. Sed quod hic Vir Doctissimus p. 301 dis-

tione coniunctus esse deprehendar. Et fuere adeo, qui hanc structuram defendere conarentur, ut BEZA et HEINRICHSIUS. Verumtamen firmiter mihi persuasum est, connectenda esse verba *καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ μὴ ἔχων* cet. quod LACHMANNO placuit, et haud omnino displicuit PALMIO. Nimirum ad significandum *cum aliquo coniunctum esse*, insolens, quantum novi, est formula *εὑρεθῆναι ἐν τινί.* Tum in locis, ubi huic Passivo postpositum est Participium, nullum invenire potui, quin utriusque comprehensionem sibi postulet (1). Accedit, quod minus inter se concinunt *ἵνα Χριστὸν κερδήσω καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ*, nisi posteriori quid adiiciatur. Itaque adiectis ei sequentibus *μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου*, totam sententiam sic interpretor: *et deprehendar in communione eius non meam qualemcunque habere probitatem, ex legis Mosaicae observatione profectam.* PAULUS illam probitatem, vel potius probitatis umbram significat, quam antea, utpote legum Mosaicarum observatione comparatam, sibi suoque merito vindicavit (2).

Probitati veteri Apostolus opponit novam: *ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ*: *sed eam, quae per fidem acquiritur in* CHRISTO *positam.* Sic obscurius illud *ἐν αὐτῷ*, quo supra

putat, qualecunque illud est, ad hunc certe locum non pertinet, ubi vocabulis *ἐν αὐτῷ* Passiva notio indicatur.

(1) HERODIAN. Lib. II. cap. 7: *εὑρίσκετό τε καὶ τοὺς στρατιώτας ψευσάμενος καὶ ἀπατήσας.* IUSTIN. *Mart. Dial. cum Tryph.* p. 322 D: *πᾶν γένος ἀνθρώπων εὑρεθήσεται ὑπὸ κατάραν ὄν.* *Deut.* XVIII: 10: *Οὐχ εὑρεθήσεται* (scil. *τις*) *ἐν σοὶ περικαθαίρων.* Neque hinc alienum est *Rom.* VII: 10: *εὑρέθη μοι — — αὕτη εἰς θάνατον*, et *Gal.* II: 17: *εὑρέθημεν καὶ αὐτοὶ ἁμαρτωλοί.* Sed simillima sunt AELIAN. *Varr. Hist.* Lib. X. cap. 6: *Ἀρχέστρατος δὲ ὁ μάντις — — ὀβολοῦ ὁλκὴν ἔχων εὑρέθη*, et *Matth.* I: 18: *εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα.* Cff. loci ab ELSNERO allati.

(2) Vituperandi causa Nomini *δικαιοσύνην* praeposuit auctor Pronomen *ἐμήν*, uti *Rom.* X: 3 Adiectivo *ἰδίαν* usus est. Cf. BENGEL. ad h. l. Ceterum Pronomen recte iam interpretati sunt CHRYS. OECUM. PELAG.

usus est, illustrat, quemadmodum *Gal.* II: 20. Probitatem autem significat, in pietate et virtute veri nominis conspicuam, quae fidei in CHRISTO positae tanquam matri et nutrici debetur. Commemorata vero hac eius propagandae ratione, animus beatitate, cuius iam particeps esse incepit, maximopere exsultans, impellitur ad primum etiam commemorandum auctorem. Ergo τὴν ἐκ Θεοῦ, ait, δικαιοσύνην, haec opponens verbis ἐμὴν δικαιοσύνην, quemadmodum sibi mutuo opposita sunt τὴν ἐκ νόμου et τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ (1). Nec Philosopham tamen et perfectam Antithesin aut popularis capit scriptio, aut mens Apostoli ad unam argumenti sui gravitatem attenta. Quare voci δικαιοσύνην iterum adiectam videmus commemorationem *fidei*, ita tamen, ut PAULUS scribendo ἐπὶ τῇ πίστει aliud quid sibi voluerit, quam superioribus διὰ τῆς πίστεως (2). Et docte quidem COCCEIUS probare conatus est, reddenda esse verba *ad fidem*, seu *ut fidem habeam:* sed interpretatio illa, quamvis et in usu loquendi est, quo commendetur, in hunc tamen non cadit locum; nisi et Articulum τῇ negligere velimus, et in orationem importare quod respuit Antithesis, quae in vocibus ἐμὴν et ἐκ Θεοῦ cernitur. Viros Doctos autem, qui a COCCEIO dissentirent, inter se quoque non consensisse, quis quaeso mirabitur, si ambiguitatem huius formulae consideraverit? Neque ego habeo sane, quod affirmare ausim: sed probabilitate tamen sua mihi arridet sententia STORRII, FLATTI, MATTHIESII, aliorum, *conditionem* probitatis Divinitus repetendae ea denotari. PAULI igitur mens esse videtur: *illam dico probitatem, quae proficiscitur a Deo, conditione hu-*

---

(1) Hactenus similia sunt *Act.* XIII: 38, 39. *Rom.* III: 21, 22. IX: 32. X: 3, 5, 6. *Gal.* II: 16. III: 21, 22. Cff. GROTIUS, BENGELIUS, FLATTIUS aliique. Ceterum τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην, quae hominis est, distinguendam omnino puto a virtute Divina, δικαιοσύνῃ Θεοῦ, *Rom.* X: 3 et alibi.

(2) Cum *Nov. Test. Valp.* dicere, PAULUM scripsisse ἐπὶ τῇ πίστει pro διὰ τῆς πίστεως, profecto non est *interpretari.*

ius ipsius fidei posita: vel, quod fortasse praestat, *eamque hac ipsa fide adstrictam.* Ceterum verba ἐπὶ τῇ πίστει praecedentibus addidit auctor, ne quis, aut alterum δικαιοσύνην τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ altero τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην tolli putaret, aut haereret in ratione, qua probitas vera a Deo proficiscatur, sibi proponenda.

VERS. 10, 11.

Tanti rem facit Apostolus, ut eam nondum mittere possit, sed sic exponere pergat: τοῦ γνῶναι αὐτὸν: quae verba si connectuntur cum proxime praecedentibus ἐπὶ τῇ πίστει, hinc orietur interpretatio *fide comparata ad cognoscendum*, vel *qua cognoscam*, quae et ipsa satis incommoda est, et PAULO dicendi formam affingit, a scriptoribus Novi Testamenti alienam (1). Quare a CHRYSOSTOMO, THEODORETO, CALVINO, GROTIO, aliis, hanc structuram praeeuntibus, plerique Interpretes recentiores recte discesserunt. Nec tamen iis, qui cum MATTHIESIO Genitivum ad vocem δικαιοσύνην referunt, assentiri possum, ne auctorem dicentem faciam, *probitatem suam ad* CHRISTI *cognitionem ducere*, quod ipsum quoque insolentius est, et proxime praecedentibus ἐπὶ τῇ πίστει impeditur. Immo verba τοῦ γνῶναι αὐτὸν connectenda videntur cum vs. 8, ut PAULUS, structurae immemor, ita scripserit pro ἵνα γνῶ αὐτόν. Similiter *Rom.* VI: 6 de homine veteri legimus συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ: posteriora vero posita sunt pro ἵνα μηκέτι δουλεύωμεν cet. (2). Apostolus nempe, consilii illius plenus, quo vetera omnia stercorum instar abiecit et abiicere pergit, ut CHRISTUM ex-

(1) Cum *Phil.* III: 21. 1 *Pet.* IV: 17 similibusque locis confundendi non sunt illi, in quibus Nomen Articulo caret, uti *Act.* XIV: 9: πίστιν ἔχει τοῦ σωθῆναι.

(2) Ita STORR. FLATT. RHEINWALD. *Nov. Test. Valp.* Iam ESTIUS, CRELLIUS, alii. Cff. FRITZSCHE. ad *Matth.* p. 846. WINER. p. 300.

periatur et salutari eius communione utatur, hoc nunc uberius explicare incipit scribendo: *τοῦ γνῶναι αὐτὸν, καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ*: *ut cognoscam ipsum, et vim reditus eius in vitam, et communionem malorum, quae ille passus est.* Verbo *γνῶναι cognitionem* significari *per experientiam acquisitam*, multi etiam concedunt Interpretum, qui vocem praecedentem *γνώσεως* ita sumere vetant: nec dissentire sinunt proxime sequentia. Particula *καί*, ad experientiam CHRISTI cum rebus, quibus illa constat, iungendam, per Epexegesin Pronomini *αὐτόν* additur, uti *Rom.* VIII: 23. Quod autem sequitur: *τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ*, *vim* significat *ipsius reditus* CHRISTI in vitam, ut ex 1 *Cor.* XIV: 11. 2 *Tim.* III: 5. *Hebr.* VI: 5 aliisque apparet locis, in quibus vox *δύναμις* Genitivum post se habet. Atque sic cadit interpretatio VATABLI, quam et probavit GROTIUS: *Potentiam, qua excitatus fuit a mortuis.* Neque Apostolum suam vitae melioris *spem* enunciare, ut SLICHTINGIUS, STORRIUS, HEINRICHSIUS opinati sunt, cuivis persuasum fore puto, qui voci illi *δύναμις* alienam notionem affingere nolit. Vox vero *ἀνάστασις* si cum CRELLIO et BENGELIO explicatur *exortus* CHRISTI, non solum disceditur a loquendi usu, sed ab eo etiam, quod sequentia postulant. Brevitatis causa praetereo plura minus cogitata. Vereor sane, ne a mente auctoris aberretur, nisi haec verba exponantur *de efficacitate, quam* CHRISTI *resurrectio*, quae dicitur, *hominis habet in animum, ut pietatis et virtutis studio maximoque solatio impleatur.* Adiecta vero *καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ* accipienda videntur de *hac malorum* CHRISTI *communione, qua quis lubenter se doloribus submittat et cruciatibus*, CHRISTI *causa subeundis.* Similiter satis multi Interpretes Graeca interpretati sunt, nuperrime MATTHIESIUS. Sed loci, quos ad sententiam suam tuendam ex PAULI Epistolis attulerunt, magis sequentia verba

quam haec illustrare poterunt. Ceterum communionem malorum CHRISTI Apostolus efficacitati reditus eius in vitam postposuit, quoniam id quoque experientia edoctus erat, hanc maxime illius tanquam propaginem esse.

Sed sensit Apostolus, verba ne sic quidem sufficere ad animi sui propositum omnino explicandum. Continuo igitur adscripsit: *συμμορφούμενος* vel *συμμορφιζόμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ.* Nimirum incredibile non est, pro Participio genuino *συμμορφιζόμενος* pravam Librariorum sedulitatem substituisse *συμμορφούμενος*; quoniam se Composita tantum formae *μορφόω*, uti *διαμορφόω* et *μεταμορφόω*, legere meminissent. Neque errore aut levitate factum videtur, ut brevius in longius mutarent. At negare tamen nolo, hoc fieri potuisse. Et Veterum certe librorum, qui ab Editione Recepta discedunt, tanta non est auctoritas, ut hunc in locum cum LACHMANNO inducere ausim Verbum Graecis incognitum, vel saltem minus usitatum. Sed sensum orationis eodem redire puto, sive *συμμορφούμενος*, seu *συμμορφιζόμενος* praeferatur. Nominativus autem, si supra de huius versus nexu bene disputavimus, coniungi nequit cum Verbo *εὑρεθῶ*, sed referendus est ad Infinitivum *γνῶναι*, ut recte iam monuit COCCEIUS, exempli gratia excitans *Eph.* IV: 1, 2, cui addatur *Eph.* III: 17, 18. Levius omnino est, quod ELSNERUS contra disputat. PAULUS igitur hunc effectum suae esse vult experientiae CHRISTI, *ut ad mortem eius conformatus sit*, seu *mortis eius imaginem referat.* Haud pauci, vestigia THEOPHYLACTI aliorumque Patrum sequentes, eum spectasse sumunt *gravissima mortis pericula*, quibus fortiter subeundis in se tanquam spectaculum CHRISTI in cruce morientis praeberet. Sed non crediderim, auctorem, si adscribere vellet quod verbis proxime praecedentibus iam inesset, oratione usurum fuisse cum remotiori *γνῶναι* connectenda. Nec tam simile huius loci est dictum 2 *Cor.* IV: 10, quod iam attulit CHRYSOSTOMUS, ut interpretationem illam sequi iubeat.

Praestat omnino, quod suadent GROTIUS, COCCEIUS et praeter alios nuper RHEINWALDUS, orationi hunc sensum tribuere: *ut huic mundo emortuus sim, quemadmodum Christus mortuus est in cruce.* Eadem imagine PAULUS utitur *Gal.* II: 19, 20. VI: 14 (1). Et hac interpretatione fit, ut hoc in loco cernatur gradatio, ad mentem auctoris accommodatissima. Ceterum concedo quidem, orationi sensum haud spernendum tribui, si ESTIUM sequamur, verba *συμμορφούμενος* (*συμμορφιζόμενος*) *τῷ θανάτῳ αὐτοῦ* cum proxime praecedentibus connectentem et sic exponentem: *Et ut cognoscam communicationem passionum eius, in quam venio, et quae mihi contingit, dum per passiones et mortis pericula, quae pro nomine eius sustineo, conformis efficior morti eius.* Sed haec arctius cum sequentibus cohaerere quam cum proxime praecedentibus, et ex oppositorum intelligimus usu, et ex transitione ad aliam dicendi formam, et inde quoque, quod Interpres ille et qui cum eo consentiunt, verbis orationi adiiciendis seriem ei importare coguntur. Quare hanc distinctionem mallem in libros adscitam, ut versus 11 a *συμμορφούμενος* vel *συμμορφιζόμενος* initium caperet, Commate, quod Participium praecedit, in Colon, et Colo vicissim, quod vocem *αὐτοῦ* sequitur, in Comma mutato. Hoc iam fecerunt GRIESBACHIUS, LACHMANNUS, GOESCHENIUS, SCHOLZIUS; alterum non item.

At verba *εἴπως καταντήσω εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν* vehementer vereor, ut Interpretes intellexerint. Nimirum in eo iam peccarunt multi, quod, THEODORETO duce, Particulam *εἴπως* vertendo reddebant *ut* vel similiter. Neque ab errore sibi caverunt CAMERARIUS, CALVINUS, BEZA, COCCEIUS, et, ut alios mittam, MATTHIESIUS et SCHINZIUS, qui, quamvis recte interpretabantur *si qua* vel *si quomodo*, hoc *dubitan-*

(1) Cff. *Rom.* VI: 3 sqq. 2 *Cor.* V: 14, 15. *Gal.* V: 24. *Col.* II: 20. III: 1 sqq.

tis tamen non esse dicebant, sed *summopere annitentis*. Quod quam falsum sit, ipsi illi docent loci, ad quos nonnulli eorum provocarunt, 1 *Macc*. IV: 10. *Act*. XXVII: 12. *Rom*. I: 10. XI: 14, ubi se PAULUS gentes ad CHRISTI communionem congregare ait, *si forte* Iudaeorum quosdam ad illam excitare possit aemulationem, quam supra vs. 11 consilio Providentiae Divinae convenire monuit. Utique nemo gravatus esset CHRYSOSTOMO, GROTIO, MICHAËLI, aliis assentiri, qui Particulae *dubitationis* notionem tribuunt, nisi Viris Doctis fraudem fecisset opinio, huic loco inesse difficultates, quae interpretatione illa superari non possint. Fraudem autem iis magna ex parte peperit Verbum *καταντήσω*, quod, fide HESYCHIO habita, significare putarunt *sortiar* vel quid simile. Sed *καταντᾷν εἰς* a Veteribus *de eo* usurpatum est, *qui ad remotum aliquod tempus* vel *spatium pervenit:* ut omnes Novi Testamenti loci, ubi illud exstat, aliique evidenter docent (1). Ergo Apostolus hîc non scripsit: *si qua*, vel

(1) De multis N. T. locis nobiscum consentiunt Interpretes et Lexicographi: ceteros breviter illustrare oportet. Ergo 1 *Cor*. XIV: 36 verba *ἢ εἰς ὑμᾶς μόνους κατήντησε* explicanda sunt: *vel an ad unum urbis vestrae spatium doctrina Divina pervenit*. *Act*. XXVI: 7: *εἰς ἣν τὸ δωδεκάφυλον ἐλπίζει καταντῆσαι*, *ad cuius promissionis liberandae tempus duodecim tribus pervenire cupiunt*. *Eph*. IV: 13: *μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως*, *donec perveniamus omnes ad tempus, quo una sit eademque fides*. Imprimis attendendum est ad verba *εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησε* 1 *Cor*. X: 11, quae inepta sunt, si aliter exponuntur, quam: *ad quorum aetatem fines seculorum pervenerunt*. Similiter 2 *Macc*. IV: 24, nisi *κατήρτησε* vel aliud scribendum sit, *εἰς ἑαυτὸν κατήντησε τὴν ἀρχιερωσύνην*, *ad se pervenire fecit summum sacerdotium:* tum et in locis, quos attulerunt BUDAEUS p. 691, STEPHAN. SCHLEUSN. BRETSCHNEIDER. in Lexx. item SCHWEIGHÄUS. in *Lex*. *Polyb*. et *Epist*. POLYC. *ad Philipp*. cap. 1. Cff. GROTIUS et MICHAËLIS ad h. l. Recte autem scripsit AUGUSTIN. *Serm*. 169. Tom. V. p. 568. *Bened*. *Si quomodo occurram in resurrectionem mortuorum*. Secuti sunt praeter alios *Vulg*. *Lat*. LUTHER. *Interpres* noster *vernac*. Graeca reddens: *of ik eenigszins mogte komen tot de* cet. Quid vero, si scripsisset: *indien ik mogelijk bereiken mogt de* cet.?

si forte sortiar τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν, seu, ut habet GOESCHENIUS, *si forte mortuorum resurrectionem consequar*, id est, *particeps eius fiam; sed si forte perveniam ad tempus huius eventi*. Quod eum *rem sperandam* duxisse, non *metuendam*, ex constanti usu Particulae *εἴπως* intelligimus. Quaestio vero nunc est, quomodo iudicandum sit de illis *τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν*. Et primum iam disputandi argumentum praebet dissensio librorum Veterum, quorum haud pauci pro uno vocabulo *τῶν* duo habent *τὴν ἐκ*, quae MATTHIESIUS genuina esse putat, cum et manum correctoris minus prodant, et se graviore tueantur testimoniorum pondere: similiter ENDIUS, SCHOLZIUS aliique. Sed valde credibile mihi est, a PAULO profectum esse vulgatum *τῶν*, Librarios vero, ne auctor *suum* reditum in vitam minus commode proponeret, hoc in alterum *τὴν ἐκ*, quod *Luc.* XX: 35 de *singulis hominibus* usurpatur, mutasse, quemadmodum contra *Act.* IV: 2 nonnulli eorum pro *τὴν ἐκ* substituerint *τῶν*, ut LUCAE orationem ad significandum reditum *communem* aptiorem facerent. Codicum autem antiquorum et bonorum, qui Editioni Receptae patrocinantur, satis magna copia est. Neque ad fidem ei derogandam Veterum, quae dicuntur, *Versionum* multum valent testimonia, cum in huiusmodi vocabulorum interpretatione parum sibi constent; nec *Syri* adeo, ad quem iam provocavit DRUSIUS, iuvat auctoritas, quippe qui *Act.* XVII: 32 haud secus quam hoc loco scripsit: ܩܝܡܬܐ ܕܡܢ ܒܝܬ ܡܝ̈ܬܐ; quamvis ibi in exemplo Graeco tantum est *ἀνάστασιν νεκρῶν*. Quae cum ita sint, non dubito cum GOESCHENIO retinere *τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν*. Sed nunc alias in lites incidimus. Haud pauci nempe, ut GROTIUS, HEINSIUS, ROSENMULLERUS voce Composita *ἐξανάστασις* plus denotari volunt, quam Simplici *ἀνάστασις*, et quidem *resurrectionem plenam, quam nulla mors, nihil mali sequatur*, seu *resurrectionem piorum*. BENGELIUS PAULI verba explicat de *ipsius Christi reditu in vitam*. Coc-

CHIUS ea figurate accipi iubet de *consummatione*, ut ait, *vivificationis Spiritus*, et sic alii, quos refutavit WOLFIUS, dum ipse cum ERASMO SCHMIDIO *ἐξανάστασιν* scriptum esse monet pro *ἀνάστασιν ἐκ*, quod placuit etiam HEINRICHSIO. Hinc rursus discrepat iudicium eorum, quorum vestigia SCHLEUSNERUS premit, nihil interesse contendens inter vocem Simplicem et Compositam. Iam vero haec et plura, quae Interpretes in medium attulerunt, sigillatim tanquam trutina examinare longum sit. Sed quam brevissime disputare lubet. Vox igitur *ἐξανάστασις*, quae in Novo Testamento *ἅπαξ λεγομένη* est, sed frequentata scriptoribus Graecis, hîc propter orationem contextam et adiectum *τῶν νεκρῶν* aliud significare nequit, quam *reditum in vitam*, et *hominum* quidem, non CHRISTI, de quo nulla fit mentio. Praepositio autem ei, ut aliis vocabulis Simplicibus, quae reverà idem significant atque Composita, praefixa est ad perspicue enunciandum, reditum *alicunde fieri*, id est ex terrae gremio vel sepulchro (1); ad notionem vero augendam non item. Neque auctorem *ἐξανάστασιν* scripsisse pro *ἀνάστασιν ἐκ*, luculenter apparet ex formula *ἀνάστασις νεκρῶν* vel *τῶν νεκρῶν*, *Matth.* XXII: 31. *Act.* XXIII: 6. *Rom.* I: 4 et alibi reperiunda. Uti vero haec *generatim* usurpatur de *reditu mortuorum in vitam*; sic PAULUS hoc loco *communem* illum *hominum reditum in vitam* sibi proposuit, quem Apostoli ceterique CHRISTI sectatores brevi post, cum ipse CHRISTUS ad generis humani iudicium veniret, effectum iri putarunt. Quod si quis, orationis contextae, non Praepositionis causa, de communi *bonorum* reditu in vitam accipere vult, per me licet; sub hac tamen conditione, ne Apostolus metuens inducatur,

(1) Hactenus haud omnino male THEOPHYL. ad *Ioann.* VI: 40: *Ταύτην τὴν ἀνάστασιν Παῦλος ἐξανάστασιν ὀνομάζει διὰ τὴν ἐκ τῆς γῆς ἔπαρσιν.* Sed si mentem sic explicat: *Οἱ γὰρ ἁμαρτωλοὶ ἀνίστανται μὲν ἐκ τῶν μνημείων, ἐκ δὲ τῆς γῆς οὐκ ἐξανίστανται εἰς ἀέρα, κάτω γὰρ μένουσι* cet. quid, quaeso, longius est quaesitum?

se forte beatitatis participem non fore. Huiusmodi enim metus quam longe ab eo remotus fuerit, docent *Cap.* I: 21 sqq. III: 20, 21. 2 *Tim.* IV: 8 et omnes eius Epistolae; nec contrarium erui potest ex 1 *Cor.* X: 12 aut ex IX: 27, ubi falso CHRYSOSTOMUS eum scripsisse ait φοβοῦμαι μήπως ἄλλοις cet. Immo mens eius esse videtur: *si forte perveniam ad tempus reditus mortuorum in vitam*, id est, *si vitam ducere mihi forte contingat ad tempus illud, quo* CHRISTUS *adventurus est ad mortuos in vitam revocandos.* Quomodo autem hoc cohaereat cum superioribus, *se huic mundo emortuum esse velle, quemadmodum* CHRISTUS *mortuus sit in cruce*, dictu non admodum difficile est. Significat enim, nisi fallor, se studium huic mundo emoriendi adeo explere velle, ut imaginem CHRISTI omni ex parte referat, si forte sibi ex capitis periculo evadere et hac in terra permanere contingat usque ad reditum mortuorum in vitam (1).

VERS. 12.

Celebratissima sequitur animi tenuitatis suae sibi conscii declaratio, et sic quidem incipiens: Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον. PAULUS ad se corrigendum breviloquentia utitur vitae communis pro οὐ λέγω δὲ, ὅτι ἤδη cet. ut scripsit CAMERARIUS (2). Post Verbum ἔλαβον CHRYSOSTOMUS omissam esse putavit vo-

---

(1) His iam diu scriptis BOSVELDIUS intellexi haud dissimilem huius loci interpretationem proposuisse in libro: *Verklar. van* PAULUS *Brieven aan de Thessalon.* p. 152 sqq. Quod autem ille tantum coniecit, equidem mihi, si supra disputata bene se habent, ex usu loquendi probasse videor. Nec tamen Viro acutissimo assentior, Graeca sic reddenda esse: *of mogelijk zal ik nog tot aan de opstanding der dooden komen:* id est: *vel forte ad reditum mortuorum in vitam perventurus sum:* quo, et Particulae εἴπως notio aliena affingitur, et orationis series perturbatur.

(2) Neque hic, ut nonnullis placuit, traiectio pro ὅτι οὐκ cernitur, nec *Rom.* IX: 6, 7. 2 *Cor.* III: 5. *Phil.* IV: 17. Vide *Annotat. in loca* cet. p. 217 et cf. BERNHARDY. p. 352. Similem correctionem habent EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. IV. cap. 8 aliique.

cem *βραβεῖον*, et cum eo putarunt plerique Interpretes. Nonnulli tamen, ut FLATTUS et RHEINWALDUS, ancipites haeserunt, utrum hoc repetendum esset, an *ἐξανάστασις*. Utrosque MATTHIESIUS refutavit monendo, repetitionem talem ineptam esse, cum res ipsa loquatur, Apostolum haec nondum attigisse. Sed eodem argumento refutari potest sententia ab eo proposita, Apostolum spectasse Verbum praecedens *καταντᾷν*. Omnis error exortus est ex perversa interpretatione Particulae *εἴπως*, quae si *dubitationem* significat, satis exploratum est, haud secus auctori alienam mentem affingere, qui aut *καταντᾷν*, aut *ἐξανάστασιν* repetant, quam qui hunc in locum importent *βραβεῖον* vs. 14 demum expressum. Sicuti autem Interpretes, qui hanc vocem orationi addunt, Ellipsin fingunt, alibi non reperiundam; sic BEZA aliique novam quoque inducunt et Verbo *ἔλαβον* minus accommodatam, ei adscribendo *metam*. Nec PAULUM in mente habuisse *αὐτόν*, quod MICHAËLI placet, ipse perspicue indicavit usu vocabulorum *ὑπὸ Χριστοῦ*, quae ad huius versus finem leguntur (1). Meliorem sane viam ingressi sunt CALVINUS, VATABLUS, CAMERARIUS, BEAUSOBRIUS, hactenus inter se consentientes, ut rem respici censerent, loco remotiori quam versu 11 propositam. Nimirum supra declarat Apostolus, se omnibus renunciasse et constanter renunciare, ut, CHRISTUM secum coniunctissimum habens, ad summam hominis Christiani perfectionem perveniret. Ergo hîc ait: *Non dico autem, me illud iam cepisse*, id est *adeptum esse* (2). Quod non

(1) Editio quidem Recepta habet *ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ*: sed pro iis GRIESBACHIUS aliique recte substituisse videntur *ὑπὸ Χριστοῦ*.

(2) Recte *Int. Vern.* in *Ann. Marg.* *de volmaaktheid der wedergeboorte in dit leven.* Similiter CORN. A LAP. EST. iam AMBROSIAST. alii Veteres. Cf. VOORSTII *Animadvers. Spec.* I. p. 74. Communis error fraudem et COCCEIO fecit, ut urgeret notionem *accipiendi*, et GROTIO, ut *ἔλαβον* interpretaretur: *acceperim ea acceptione, quae in futurum amitti nequit*, quo Emphasis aliena Verbo tribuitur.

Philippensium causa monet, ne magnificentius de doctore suo opinentur, sed ut animo satisfaciat dolenti, quia nondum talis est, qualis esse cupit. Atque hanc orationis interpretationem veram esse, intelligitur, nisi fallor, ex sequentibus: *ἢ ἤδη τετελείωμαι*, quibus praecedentia explicantur. Recte enim ipse MATTHIESIUS hîc *moralem hominis Christiani perfectionem* proponi contendit, Viros Doctos, qui PAULUM aut *adeptionem coronae*, aut *Martyrium* significasse volunt, hoc nomine pariter refellens, quod Verbo *τελειόω* notionem subiiciunt incognitam. Graeca igitur reddantur: *aut iam perfectionis compos sum.* Quam interpretationem non solum commendat vox *τέλειοι* vs. 15, sed etiam frequens usus Verbi eiusdem in Novo Testamento, uti 2 *Cor.* XII: 9. *Hebr.* II: 10. 1 *Ioann.* II: 5. Et hanc mentem Apostolo tribuisse videtur, qui primus scripsit *ἢ ἤδη δεδικαίωμαι* vel *δικαίωμαι*, ut nonnulli habent libri veteres.

Sed conscientia tenuitatis suae, tantum abest, ut deiiciatur PAULUS, ut mirifice erigatur: *διώκω δὲ*, inquit, *εἰ καὶ καταλάβω*, id est, *persequor vero illud, ut, si fieri potest, assequar.* Perfectionem igitur comparat cum homine currente seu fugiente, quem, qui assequi cupit, assidue persequitur. Hanc enim interpretationem Verba *διώκειν* et *καταλαμβάνειν*, ubi componantur, sibi postulare, nemo facile inficiabitur (1). Quare et refellere nihil attinet sententiam RHEINWALDI aliorumque, huic quidem notionem tribuendam esse Activam, illi vero Neutram. Nec quoque est, quod valde curemus eos, qui voces *εἰ καί* affirmantis esse aiunt, ut respondeant Latinae *ut* (2). At maiorem difficul-

---

(1) Vide *Exod.* XV: 9. *Sirach.* XXVII: 8. DION. *Halic.* Lib. II. p. 67, quem locum infra describam. LUCIAN. Tom. I. p. 625, item p. 568. Aliud exemplum attulit ALBERTI, *Observ. Philol. in Sacr. N. T. libros* ad h. l. et quidem ex HERMOTIMO. Tom. I. p. 821, ubi cf. REITZIUS.

(2) Mirandum tamen est, Viros revera Doctos, uti NOESSELTUM, *Opusc. ad*

tatem creat postrema pars huius versus: ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ Χριστοῦ, ut a PAULO scriptum esse, iam monuimus supra. Et primum quidem vario modo Viri Docti ceperunt formulam κατελήφθην ὑπὸ Χριστοῦ: sed persuasum mihi est, eam et convenienter comparationi sui cum currentibus in stadio, quam auctor inde a Verbo διώκω instituit, capiendam esse, et ita quidem, ut a notione Activi καταλάβω notio Passivi κατελήφθην non differat. Quod confirmat dictum PLATONIS: καταλαμβάνουσι καὶ καταλαμβάνονται ὑπ' ἀλλήλων, a WETSTENIO allatum (1). Hoc dicto tamen MICHAËLIS, immemor vocum ὑπ' ἀλλήλων, abutitur, cum inde colligat, Verbo καταλάβω Pronomen αὐτόν cogitando addendum esse. Immo ut alterum, propter orationis seriem, de *assequenda perfectione* sumendum esse monuimus, sic alterum interpretari debemus: CHRISTUS *me assecutus est.* Recordatur nempe PAULUS, ut iam CHRYSOSTOMUS aliique Patres viderunt, furorem, quo quondam sectatores CHRISTI, in itinere maxime versus *Damascum*, insectatus est, nec tamen impedire potuit, quominus CHRISTUS ipse eum medio tanquam cursu assequeretur. Sublata autem imagine nihil aliud dicit, quam: CHRISTUS *me ad partes suas perduxit.* Sed quaestio nunc est, quid sibi velint verba ἐφ' ᾧ, quibus Activum καταλάβω connectit cum Passivo κατελήφθην. Plerique interpretantur *ad quod*, vel *cuius rei causa:* quae tamen interpretatio, valde dubito, an accommodata sit loco simili *Rom.* V: 12, cuius ratione habita scribere hîc praestat *quandoquidem*, ut placuit HOMBERGKIO aliisque, OECUMENIUM sequentibus et THEOPHYLACTUM. At ne sic quidem satis plene expressam esse puto mentem PAULI, quem CHRISTI actionem cum sua comparasse, etiam ex Particula καί colligo. Quare mihi arridet interpretatio CALVINI *quemadmodum et*, quam, haud scio,

---

Interpr. S. S. p. 222, errorem fovisse, quo omnis fluctuet interpretatio.

(1) *Tim.* p. 38 D.

16

an valde commendet 1 *Cor.* XIII: 12, ubi auctor simili πλοκῇ sic utitur: *ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην* (1).

VERS. 13.

Graviter PAULUS superiora confirmat: *Ἀδελφοὶ, ἐγὼ ἐμαυτὸν οὐ λογίζομαι κατειληφέναι*: quibus verbis THEODORETUS ait, eum confundere voluisse homines nimium de se sentientes. Similiter CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS et satis multi, cum veteres, tum recentiores. Sed ut in mentem Apostoli, qui totus est in se considerando, cadere non crediderim reprehensionem aliorum; sic singularis tantum animi modestia eum commovisse videtur, ut ita scriberet. At vel sic tamen Iudicium quod de se ferebat, *Philippensium* iudicio opposuit voce *ἐμαυτόν, me ipse*, ut notio eius est 1 *Cor.* IV: 3, 4 et alibi. Eodem consilio, ut monet BENGELIUS, usus est Pronomine *ἐγώ*. Temere autem MATTHAEUS pro recepto *οὐ* substituit *οὔπω*. Luce clarius est, hoc in orationem importatum esse ab hominibus, qui corrigendi studio se ferri paterentur. Et Interpretes veteres, qui pro eo testantur, suum potius sensum secuti esse videntur, quam exempla Graeca. Sed utrisque communis fuit aberratio a mente auctoris. Particula enim connectenda non est cum remotiori Verbo *κατειληφέναι*, sed cum proxime sequenti *λογίζομαι*. PAULUS sibi voluisse videtur: *Ita est*, *Fratres! quidquid alii de me opinantur, ego ipse me perfectionem iam assecutum esse non opinor*. Illud autem *opinor* (*λογίζομαι*) secundum sermonem vitae quotidianae haud minus dicit, quam *persuasissimum mihi est*, ut *Rom.* VIII: 18 aliisque locis, quos

---

(1) Sic formulam ἐφ' ᾧ etiam interpretari possumus *Rom.* V: 12, et fortasse 2 *Cor.* V: 4, non item *Matth.* XXVI, 50, sed ibi legendum est ἐφ' ὅ. Apud scriptores exteros tamen ea reddenda videtur *quandoquidem*, vel, quod eodem fere redit, *hac conditione ut.* Vide LOBECK. l. c. p. 475. MATTHIAE. p. 857. BERNHARDY. p. 250, 251. Adde WETSTEN. ad *Rom.* V, 12. Negare igitur omnino non ausim, hanc interpretationem hic quoque sequendam esse.

excitavit BRETSCHNEIDERUS. Verbo κατειληφέναι CHRYSOSTOMUS iam interpretandi causa adiecit τὴν ἀρετὴν ἅπασαν.

VERS. 14.

Exemplo suo PAULUS nunc ostendit, quanto animi ardore homo bene *Christianus* illud, quod sibi deesse novit, consequi annitatur: "*Ἓν δὲ, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω, ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Plerique Interpretes iam in principio huius sententiae breviloquentiam sibi invenisse videntur, quam tolli iubent vocabulis ἓν δὲ adiiciendo Verbo φροντίζω, λογίζομαι, ποιῶ, vel alio quolibet. Atque illa sane breviloquentia, ut multa eius exempla in libris Veterum exstant, sic PAULUM cap. II: 3 usum esse vidimus (1). Aliter tamen iudicarunt BEZA et GROTIUS, quorum alter tantum reticeri ait Verbum ἐστί, alter non unum spectari verbum, sed sensum totum. Ad GROTII mentem nuperrime monuit MATTHIESIUS, gravitatem orationis imminui, si quid addatur vocabulis ἓν δέ, *unum vero*, dicto praecedenti per se oppositis. Sed hi omnes Interpretes sumunt, Verbum sequens διώκω Intransitivum et reddendum esse *feror*, *curro* vel similiter: quod an sumi possit, equidem vehementer dubito. Primum enim non credibile est, Verbum illud, cum vs. 12 notionem habeat Activam, vs. 14, ubi auctor rem inchoatam persequitur, habere Neutram. Deinde ad hanc interpretationem probandam in Novo Testamento frustra, nisi fallor, quaerentur loci, nisi cum BENGELIO huc referatur *Luc.* XVII: 23, ubi Pronomen aeque ac *Matth.* XXIII: 34 et supra vs. 12 omissum est. Iam

(1) WINERUS p. 539. verbis quoque utitur LIVII: *In eos se impetum facturum et nihil prius* (facturum) *quam flammam tectis iniecturum.* Sed locus mihi videtur dissimilis: quoniam Participium *facturum*, si ibi revera orationi adiici debet, repetendum tantum est. Levis autem est disputatio WAKEFIELDII. Part. II. p. 136.

haec duo argumenta tanti ponderis sunt, ut causa, quam suscepimus, non vacillet, etiamsi concedendum sit, apud Veteres Graecum διώκω respondere etiam Latino *feror* vel *curro*. Sed illum loquendi usum, si vel prorsus negari nequeat, multo tamen rariorem esse, quam praeter alios putaverit KYPKIUS, ipsa docent exempla, ab eo congesta. Ordine primum est, quod attulit ex DIONYSIO *Halic.* sed, inspecta auctoris oratione, sua sponte quisque intelliget, nequidquam illud usurpari. Postquam nempe narraverat, ROMULUM *Albam* profectum esse eoque venisse, interpositis nonnullis, adscripsit de FAUSTULO: *ὀλίγου ὕστερον ἐδίωκεν εἰς τὴν πόλιν,* quod aliter explicari nequit quam: *Paulo post vestigiis eius institit versus urbem:* quemadmodum supra legimus: *Ῥωμύλος δ' ἐπεὶ τὸ περὶ τὸν ἀδελφὸν ἔγνω πάθος, διώκειν εὐθὺς ᾤετο δεῖν, τοὺς ἀκμαιοτάτους ἔχων τῶν νομέων, ὡς ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὄντα καταληψόμενος τὸν Ῥῶμον*: i. e. *Romulus vero, postquam fratris cognoverat infortunium, necesse putavit statim vestigiis eius insistere, — — — — ut Remum assecuturus, cum adhuc in via esset* (1). Nec graviora videntur cetera exempla, ad quae KYPKIUS provocavit. Et haud scio, an idem iudicium ferendum sit de locis, quos STEPHANUS, SCHLEUSNERUS, BRETSCHNEIDERUS excitarunt. Sed dicta sufficere puto ad probandam PEIRCII, STORRII aliorumque sententiam, hîc connectenda esse verba ἓν δὲ διώκω. Quod vim orationis, ut monuit MATTHIESIUS, enervare non video, quoniam Participia ἐπιλανθανόμενος et ἐπεκτεινόμενος, in medio posita, ad Verbum cum Nomine conglutinandum inserviunt.

Iam quaestio est, quid Media illa significent. Participium ἐπιλανθανόμενος Activam habere notionem *oblivioni tradens*, ut, praeunte CHRYSOSTOMO, viderunt RAPHELIUS et WOLFIUS, sic intelligitur ex opposito ἐπεκτεινόμενος, quo explicando *ad-*

(1) *Ant. Rom.* Lib. II. p. 67—69.

spirans ad haud longe discesseris a significatione propria *se extendens ad*. Cff. GROTIUS et WETSTENIUS. Utrumque ad eandem atque adiuncta *τὰ μὲν ὀπίσω* et *τοῖς δὲ ἔμπροσθεν* pertinet imaginem, a cursore petitam, qui, spatii emensi nullam rationem habens, corpore tantum porrecto metam attingere conatur. Quid autem sibi velint verba: *quae a tergo sunt, oblivioni quidem tradens, sed adspirans ad ea, quae a fronte sunt*, in disceptationem vocatum est. Alii nempe bona coelestia a terrestribus, alii vitam novis virtutibus ornatam a vita pristinis vitiis inquinata, haud pauci lucra *Christianismi* a lucris *Pharisaeismi* distingui contenderunt. Sed haec sententia, cum auctorem inducat nequidquam repetentem, quae vs. 8 iam multo gravius scripsit, non praestat alterutri illarum, quarum patroni, vel vocabulis Graecis alienam affingunt notionem, vel Apostolum sumunt, antequam CHRISTI fieret sectator, hominem pravum fuisse. Et iure meritoque RHEINWALDUS et MATTHIESIUS seriem orationis turbari monent, nisi alterum exponatur *res a* PAULO *iam bene peractae*, alterum *res ab eo adhuc peragendae:* quae et interpretatio GROTII est, CHRYSOSTOMUM aliosque Patres Ecclesiae, etiam *Interpretem vern.* secuti. Neque ei obstat concursus Singularis et Pluralis, quippe quo et unum illud, quod vss. 12, 13 appetendum dicitur, et singulae partes eo ducturae comprehenduntur. Ergo Apostoli mens haec esse videtur: *Sed unam illam perfectionem, cum oblivioni tradens quidquid iam bene praestiti, tum vero ad ea, quae adhuc praestanda sunt, adspirans, persequor* (1). Interiecta autem *κατὰ σκοπόν*,

---

(1) Etiamsi quis probaverit, minus recte se habere structuram *ἓν δὲ διώκω* a nobis propositam, sed orationem supplendam esse Verbo *ποιῶ* vel simili, ne sic quidem cadit, quod de notione Activa Verbi *διώκω* disputavimus. Hoc enim posito, cogitando adiiciendum ei est idem Pronomen *illud*, quod desiderant superiora *ἔλαβον, διώκω, καταλάβω, κατειληφέναι*, ut dicat PAULUS: *Sed unum facio, oblivioni tradens quidquid iam bene prae-*

ut secundum Parallelismi leges ad Participium *ἐπεκτεινόμενος* referri nequeunt, ita licentius sumuntur pro *εἰς σκοπόν*. Nec vero verba *κατὰ σκοπὸν διώκω*, ut apud Poëtas, per Traiectionem posita sunt pro *καταδιώκω σκοπόν*. Sed coniuncta illa propter loquendi usum explicari debent *persequor ad scopum*, vel potius *ad metam*, id est: *oculis a meta nunquam aversis*, seu *doctrinae divinitus traditae nunquam immemor*.

Perfectione, quam sectatur, memorata PAULUS nunc laboris sui tanquam finem proponit, *ad praemium*, aiens, *coelestis vocationis Dei in* CHRISTO IESU. Praepositio *ἐπί*, ut *Matth.* III: 7. *Luc.* VII: 44 aliisque in locis *consilium* denotat, cum STORRIO sic explicandum: *contendens ad praemium:* quare perspicuitatis causa ei Comma praeposui. Similiter apud PLUTARCHUM (1) legimus: *διώξασα συντόνως ἐπὶ Ταίναρον, persecuta eum acriter*, (contendens) *ad Taenarum*, quae verba attulit, sed minus intellexit KYPKIUS. Particulae vim quoque non assecuti sunt, qui huius Epistolae exempla propagabant hactenus vitiosa, ut pro ea haberent *εἰς*. Voce *βραβεῖον* nonnulli, quos bene refutavit ESTIUS, idem denotari putarunt ac superiori *σκοπόν*: sed ea *beatitatem* significari *vitae melioris*, inter omnes bonos constat Interpretes. Nec facile quis dubitabit, an sequentia *τῆς ἄνω κλήσεως Θεοῦ* scripta sint pro *τῆς κλήσεως Θεοῦ, τῆς ἄνω οὔσης*, ut explicari debeant: *cuius adipiscendae causa Deus de coelo me vocavit.* Haud dissimile est quod legimus *Hebr.* III: 1. Sic autem Apostolus, imaginis propositae haud immemor, vocationem suam distinxit ab ea, qua cursores in stadio, ut monet GROTIUS, a certaminis arbitris citari solebant. Cf. ELSNERUS ad h. l. De postremis quoque *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* non erat, quod multum disputaretur. Nonnulli ea explicant *per* CHRISTUM IESUM, quos iam

---

stiti, ad ea vero, quae adhuc praestanda sunt, adspirans, persequor illud, scil. *perfectionem supra laudatam.*

(1) *Vit. Parall.* p. 823 C. XIL.

praecessit THEOPHYLACTUS scribens: *διὰ τῆς ἐκείνου συνεργίας*. Sed quidni cum MATTHIESIO aliisque formulae sensum tribuamus, quem sibi vulgaris notio Praepositionis postulat? PAULUS igitur sibi vocationem contigisse ait, *qua in* CHRISTI IESU *communione versaretur*.

VERS. 15, 16.

Instituto suo exposito PAULUS docere incipit *Philippenses*, quomodo illud singuli ad suum usum applicare debeant. Sed quod de Interpretum commentariis dici solet, eos saepe verba faciliora copiose explicare, difficiliora ita tractare, ut lectores in luto relinquantur, hoc etiam loco a vero non omnino remotum esse comperi. Nec mihi invenire contigit, quo asseverare ausim, desiderio meo ex omni parte satisfactum esse. Ostendere tamen periclitabor, si minus, quis sensus orationis sit, at certe, quid mihi praesertim probabile videatur. Iam in priori membro versus 15: *Ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν*, Interpretes vulgo lapsos esse puto, quod Verbum *φρονῶμεν* sumerent de *actione iudicii* vel *sentiendo*, non vero de *appetitione* seu *studio animi*, uti illud sumendum esse, et hac in Epistola docet loquendi usus, ad cap. I: 7 expositus, et omnis, nisi fallor, huius orationis series. Hoc autem probato, cetera minus negotii nobis facessent. Adiectivo enim *τέλειοι* PAULUS non contradicit declarationi superiori, se ad perfectionem nondum pervenisse. Eo enim non significat homines omnibus numeris absolutos et perfectos, ut Verbo *τετελείωμαι*, sed *perfectiores aliis*, sive *in societate Christiana cum adultis comparandos, et distinguendos a pueris*, *νηπίοις*. Hac de re inter se omnes fere consentiunt Viri Docti, excitantes 1 *Cor.* II: 6. XIV: 20. *Eph.* IV: 13, 14. *Hebr.* V: 13, 14. aliosque locos (1). Vocem *ὅσοι* nemo, quantum scio, ali-

(1) Similiter Graecos voce *τέλειος* usos esse, post multos alios monuit

ter reddidit quam *quicunque*, vel *quotquot*, excepto HEINRICHSIO, qui eam, opinioni suae serviens, temere sumsit pro *ἡμεῖς οἱ*, *nos qui*. Quod iure meritoque reprehendit MATTHIESIUS, qui, Pronomen *τοῦτο* ad omnia referens, quae se Apostolus supra sectari professus est, nec a plerisque discrepat Interpretibus, neque ab OECUMENIO etiam et THEOPHYLACTO, ubi proxime praecedentia vs. 14 spectari censent. Et sane audiendos non esse, qui nexum orationis in versu 10 aliave parte remotiori quaerant, ex ipso iam communi Pronominis illius usu intelligimus. Utique verba PAULI probabiliter sic explicabimus: *Illud igitur omne, quod supra commendavi, quotquot, tanquam adulti, ceteris perfectiores sumus, expetamus.* Sed fortasse Apostolus unum in mente habuit *βραβεῖον*, ut dicere vellet: *Illud igitur praemium vocationis coelestis*, *quotquot* cet. Quidquid huius rei est, Particula *οὖν*, quamquam vocabulis *ὅσοι* et *τέλειοι* interposita est, iungi tamen debet cum Verbo *φρονῶμεν*. Cff. dicta ad cap. II: 1, 2.

Quomodo membrum posterius *καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει* cum priori cohaereat, dictu difficile est. HEINSIUS, pro *εἴ τι* legendum esse coniiciens *εἰ ἔτι*, ingenio suo aeque abusus est atque ERASMUS, qui nimium credens vitiosae nonnullorum librorum scriptioni *revelavit*, Futurum *ἀποκαλύψει* fortasse in Aoristum *ἀπεκάλυψε* mutandum censuit (1). Prudentius ille primo adspectu de Adverbio *ἑτέρως* iudicasse videtur, eo, nempe, significari *secus aliquanto quam oportet*. Sed ut huic interpretationi, nisi fallor, obstant postrema huius versus *καὶ τοῦτο* cet. quippe indicantia, non praecedere aliquid vituperandum, sed lau-

---

HAUPT ad AESCHYLI *Supplices* vs. 466. Cf. *Bibl. Crit. Novi* Tom. V. P. 1. p. 87.

(1) VICTORIN. etiam plus semel scripsit *revelavit*. Sed Veteres in errore fuisse, ESTIUS aliique bene ostenderunt.

dandum; sic ad mentem auctoris intelligendam requiri puto Latinum *aliter* vel *alio modo:* quae notio vocis vulgaris est, in locis etiam IOSEPHI, a BRETSCHNEIDERO laudatis, reperiunda (1). Verbum *ἀποκαλύψει* quod attinet, sententia fert prope communis, eo quidem *patefactionem Divinam* proponi, sed modo ordinario, id est institutionis humanae vel experientiae ope acceptam. Huius autem patefactionis *spem certam* PAULUS enunciavit Futuro, quod recte monet MATTHIESIUS cum FLATTO aliisque sumendum non esse pro Optativo. Multo plures vero neglexerunt Particulam *καί*, ante Pronomen *τοῦτο* positam, quae, etiamsi cum OECUMENIO explicanda non sit *ὡς τὰ ἄλλα πάντα,* more tamen suo accessionem denotat. Itaque satis exploratum est, verba Graeca huius membri respondere Latinis: *Et si quid expetitis aliter, illud etiam, faciet Deus, ut vobis innotescat.* Haec vero tanta laborant ambiguitate, ut facile alienum in sensum torqueantur. Quod quomodo cavendum sit, nunc ostendere conabor. Sed de Protasi et Apodosi sigillatim dicamus oportet.

Nihil magis igitur a PAULI mente remotum est, quam quod ad Protasin explicandam scripsit ERASM. SCHMIDIUS: *Si interdum, ex imbecillitate intellectus humani, aliter vel aliter de quibusdam locis Scripturae sentiatis.* Recte CHRYSOSTOMUS: *οὐ περὶ δογμάτων ταῦτα εἴρηται, ἀλλὰ περὶ βίου τελειότητος.* Minus recte vero his adiecit: *καὶ τοῦ μὴ νομίζειν ἑαυτοὺς τελείους εἶναι.* Sed alios quoque in errorem induxit eadem perversa interpretatio Verbi *φρονεῖν*, quam supra reprehendimus. Et haud pauci, quamquam inter Adiectivum *ἕτερον* et Adverbium *ἑτέρως* interesse noverant, interpretando tamen hoc cum illo reapse confuderunt. Mihi quidem Apostolus hoc loco, ut se a *Philippensibus*

---

(1) *Antiq.* Lib. II. cap. 14. § 5 et Lib. III. cap. 12. § 3, ubi RICHTERUS ἔγνωμεν ἑτέρως edidit pro ἔγνω μὲν ἑτέρως.

discerneret, Secunda Pluralis usus esse videtur (1), et Particula *aliter* dicere voluisse *aliter atque ego*. Quare et utramque vocem τὶ ἑτέρως opposuit Pronomini praecedenti τοῦτο. Iam hoc si tenemus, Protasis, ut arbitror, hunc habebit sensum: *et si quid per aliam expetitis viam*, *quam ego persequor*.

Progrediamur nunc ad Apodosin, ubi quaestio est, quid PAULUS in mente habuerit, cum uteretur Pronomine τοῦτο. GROTIUS ait: *nempe vos esse deceptos:* quocum OECUMENIUS scribens: ὅτι οὐ καλῶς οὕτω φρονεῖτε multique alii consenserunt. Sed his et similibus negligitur, quod supra de vi vocabulorum ἑτέρως et καί monuimus, atque hunc in locum quid alieni importatur. Et Viros Doctos verbis expressis nihil adiecturos fuisse puto, si meminissent, in libris Veterum orationem saepe talem esse, ut Pronomen τί significet *aliquid boni* (2). Brevitatis causa praetereo sententias minus probabiles. Praeterire tamen nefas sit, quod commentati sunt BENGELIUS, STORRIUS aliique, ut *illud* referatur ad membrum prius et exponatur: *quod nos perfectiores sentimus*, vel similiter. At interpretandi, si quis est, sensus docet, me iudice, Pronomen praecedens τί sibi sequens τοῦτο attrahere. Cff. *Rom.* VIII: 9. 1 *Cor.* VIII: 3. *Phil.* IV: 8. Ergo PAULUS sibi voluisse videtur: *Si quid boni per aliam viam expetitis*, *Deus faciet*, *ut hoc vobis haud secus innotescat atque illud*, *quod vobis supra de mea ratione narravi*. Ultro fateor, ne sic quidem mentem Apostoli omnino perspicuam esse; sed obscuritatem non miror oratio-

(1) Aliam mihi fingere non possum causam, cur Secunda Pluralis Primam excipiat. Quod enim putat BENGELIUS, intelligi inde, PAULUM a perfectioribus ad imperfectiores transiisse, non crediderim ex loquendi usu probari posse. Cum BENGELIO consentiunt MICHAËLIS, STORRIUS, FLATTUS, RHEINWALDUS, quem tamen MATTHIESIUS refutavit.

(2) Locis, quos excitavi in *Annot.* cet. p. 218, 219, addi potest 1 *Cor.* VIII: 2. Cff. BERNHARDY. p. 440 et WINER. p. 159.

nis, quae rem respicit *Philippensium*, nobis lectoribus incognitam. Fortasse Verbo ἀποκαλύψει Metonymia inest, qua consequens una cum antecedenti comprehendatur, et sic quidem: *faciet, ut vobis innotescat atque adeo contingat*. Et hanc Metonymiam ab auctore non alienam esse apparet ex *Rom.* VIII: 18, ubi verba ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς explicanda sunt: *patefieri et conferri in nos*. Ceterum haud crediderim interpretatione proposita in orationem, aut quid alieni importari, aut quod cum versu 16 minus cohaereat.

Nimirum PAULUS orationem sic continuans πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, Futuro haud dubie Aoristum opponit. Prima autem Pluralis significat, se iterum scribere, quod *se* aeque spectat ac *Philippenses*. Iam Verbum, quo utitur, φθάνω, si ei subiecta est Praepositio *motum* indicans, *progressum* denotat, *quo ad aliquid pervenitur*. Cff. 2 *Cor.* X: 14 ceterique loci, a GROTIO allati. Haud dissentiunt, qui cum ROSENMULLERO, STORRIO, FLATTO Latine scribunt *assecuti sumus* (1). Particulam πλήν, MATTHIESIUS interpretatur: *quidquid vero huius rei est;* quem si sequimur, nec perpetuitatem negligimus orationis, nec vero loquendi usum, etiam cap. IV: 14 reperiundum. Quae cum ita sint, membrum prius sine scrupulo explico: *quidquid vero futurum est, quo iam progressi sumus.* Plus difficultatis habet membrum posterius, quod in Editione Recepta sic expressum

---

(1) Nec omnino dissimiliter CHRYS. ὃ κατωρθώσαμεν, et OECUM. ὃ κατελάβομεν. Cf. HOMBERGK. Qui autem scribunt *praevenimus alios*, pariter errant ac magnus CAMERARIUS, qui interpretatus est: *quemadmodum et supra diximus*. Verbum φθάνω, si subiecta ei est Praepositio, aliam habet notionem, quam si proxime sequitur Accusativus: ut loci docent allati a BUDAEO. p. 400. Cff. SCHWEIGHÄUSERUS *Lex.* HERODOT. h. v. et VALCKENARIUS, *Annot. in* THOM. *Mag.* una cum *Epistolis* RUHNKEN. VALCKEN. cet. edit. a TITTMANNO. p. 181, 182. Accusativum autem orationi cogitando non addendum esse, intelligimus ex vocabulis εἰς ὅ, quae Verbum ἐφθάσαμεν non praecederent, nisi hoc esset Neutrum. Quare et HAMMONDUS perverse reddidit: *quantum antecedimus alios homines in cursu.*

est: *τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν.* Vocem *κανόνι* haud pauci oratione expellunt, pro panno eam habentes, quem sumserint Librarii ex *Gal.* VI: 16. Pars etiam admonitionem ad eandem regulam vivendi huius loci non esse dicunt. Et suadet Codicum Graecorum satis magna copia, ut illa reiiciatur. Rursus vero eam et Patrum Graecorum (1), et Syri aliorumque Interpretum Veterum tuetur auctoritas. Neque incredibile est, orationem mutilatam esse ab hominibus, qui Masculinum *κανόνι* cum Neutro *ὅ* constare non posse opinarentur. Sed si cum WETSTENIO, MATTHAEO, SCHOLZIO, GOESCHENIO retinetur quod vulgo editum est, illud *ὅ* ad Verbum *στοιχεῖν* referri debet, ut interpretatio haec sit: *Quidquid vero futurum est, ad eandem regulam vivere atque ita permanere in eo, quo progressi sumus.* Probata autem voce *κανόνι* vix omitti possunt sequentia *τὸ αὐτὸ φρονεῖν eodem studio duci.* Quapropter, si aliena huc allata sint, duos fuisse puto homines, quorum alter adiiceret *κανόνι*, alter *τὸ αὐτὸ φρονεῖν*, formulam nempe *τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι*, cum eam in exemplo suo legeret, explicandam ducens ex cap. II: 2. Fieri tamen potest, ut haec verba vel a Librariis praetermissa sint, qui, Codicem nacti voce *κανόνι* carentem, ea minus accommodata iudicarent, vel ab aliis, persuasum sibi habentibus non repetiisse PAULUM, quod iam semel scripsisset. Pauciora certe iis quam voci *κανόνι* Veterum obstant testimonia. Ceterum, quae praebet Editio Recepta, cum studium spectent pietatis et virtutis, levius nonnulli aiunt, ea ab huius orationis argumento aliena esse. Sed haud minus idoneum est tantum legere *τῷ αὐτῷ στοιχεῖν*, et PAULUM praecipientem facere: *convenienter ei, quo progressi sumus, procedere,* id est: *progressus, quos in studio pietatis et virtutis fecimus, normam habere et*

(1) Etiam *Pseudo-Ignat. Ep. ad Philipp.* cap. 1, ubi legimus *τῷ αὐτῷ κανόνι τῆς πίστεως στοιχοῦντες, ὡς Παῦλος ὑμᾶς ἐνουθέτει.*

regulam vivendi. Oratione enim sic constituta, verba εἰς ὅ referenda sunt ad sequentia τῷ αὐτῷ. Et sic quidem dicendi forma similis est eius, quam cernimus *Rom.* VI: 17, in verbis: Ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, id est, nisi omnino fallor: *obedivistis vero ex toto animo, quamcunque Dei Providentia voluerat, ut sequeremini doctrinae formulam* (1). Iam Infinitivo στοιχεῖν, ne manca et imperfecta sententia sit, multi cogitando adiici iubent Verbum δεῖ vel simile. Atqui Ellipsis haud magis in mente fuit PAULI, quam Scriptorum aliorum, ubi, misso communi loquendi usu, Infinitivum pro Imperativo posuerunt. Immo animi affectione impulsus est ad sequendum dicendi genus, infantiae sermonis proprium, et cum maxime accommodatum ad rem graviter enunciandam (2).

---

(1) In erratis candide confitendis nemini haberi volo secundus. Quare quod in *Annotat.* p. 115 sqq. scripsi, Verbum παραδίδωμι saepe notionem habere *permittendi* vel *relinquendi*, nunc me ab aliis deceptum temere sumsisse confiteor. Opinionem ibidem propositam, Simplex ὅς et Compositum ὅστις saepe promiscue usurpari, iam improbavi supra p. 6. Ceterorum vero, quae de *Rom.* VI: 17, 18 commentatus sum, me nondum poenitet. Leviora enim mihi videntur, quae REICHIUS et FRITZSCHIUS in *Comm.* ad h. l. disputarunt contra: quod in schola satis evidenter, ut equidem puto, demonstravi; hic vero repetere nihil attinet. Ita et praeteriens ea, quae cum discipulis communicavi ad interpretationem meam confirmandam, nunc monere satis habeo, Verba παραδίδωμι et παραδίδομαι in libris Novi Testamenti, si Praepositio εἰς cum Accusativo sequatur, *rem* significare *infaustam*, ut loquendi negligant usum omnes, quotquot formulam εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς de *tradita doctrina* CHRISTI explicandam esse contendant. Locum *Act.* XIV: 26, ubi verbis παραδεδομένοι et εἰς τὸ ἔργον interiecta sunt τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, similesque mihi obstare, nemo facile dixerit.

(2) Cff. WINER. p. 304, 305. BUTTMANN. p. 532. imprimis MATTHIAE. p. 784 sqq. quorum ex monitis intelligimus, vana esse multa eorum, quae in medium attulerunt NOS p. 596, 597. HAAB, *Hebräisch-Griech. Grammatik.* p. 106, 107 aliique.

VERS. 17.

Abruptam sententiam excipit admonitio *Philippensium*, eodem spectans: *Συμμιμηταί μου γίνεσθε, ἀδελφοί*, quam HEINRICHSIUS aliique *Vulgatum Lat.* et LUTHERUM secuti, idem plane dicere voluerunt ac *μιμηταί μου γίνεσθε*, 1 *Cor.* IV: 16. XI: 1. Sed temere vox Composita confunditur cum Simplici. Quid vero PAULUS praecipiat, dubitavit ERASMUS, verba vel interpretari iubens: *imitemini me una cum ceteris, qui me imitantur*, vel *hoc conveniat inter vos, etiamsi quid in ceteris dissentitis, ut sitis imitatores mei.* Illud VATABLO placuit et paucioribus, hoc GROTIO et plerisque, nuperrime etiam MATTHIESIO, quibus assentior propter versum praecedentem. Apostolus igitur, ratione habita eorum, quae supra de se scripserat, *Philippenses* exhortatur: *Vos pariter me imitamini, Fratres!* Nam qui eum monentem faciunt: *Mecum imitamini* CHRISTUM, et temere exemplum CHRISTI in orationem important, et immemores sunt alterius huius versus membri: *καὶ σκοπεῖτε τοὺς οὕτω περιπατοῦντας, καθὼς ἔχετε τύπον ἡμᾶς*, id est: *et ad imitationem observate eos, qui ita vivunt, ut ego meique socii, exemplum vobis praebentes.* Similiter iam THEODORETUS mentem auctoris enarravit. Paulo aliter vero illi, qui Plurale *ἡμᾶς* cum Singulari *μου* permutatum esse opinantur: sed nullam Apostolus habuit causam, cur Plurali uteretur, nisi socios aeque suos ac se *Philippensibus* exemplo proponere volebat. Cf. 1 *Thess.* I: 5, 6.

VERS. 18.

Cur PAULUS se suique similes, quorum exemplum imitatione dignum esset, observari iusserit, nunc explicare incipit verbis *πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν*; sed, ut iam vidit ERASMUS, animi fervore distractus, sententiam relinquit inchoatam. *Syrus* eam complevit scribendo ܐܚܪܢܐܝܬ ܡܗܠܟܝܢ, atque ita

GROTIUS aliique, orationi adiicientes *aliter*, *longe aliter*, vel simile quid. Qualia tamen, cum nec in mente fuerint auctoris, neque ad sententiam eius intelligendam necessaria sint, hinc arcenda videntur, ut bene monet MATTHIESIUS. Et recte idem ille STORRIUM refutat, HEINRICHSIUM, FLATTUM, qui Verbum περιπατοῦσι reddunt Latino *circulantur*. Hac enim interpretatione deseritur notio *vitam agendi*, quam Versus praecedens huic Verbo, secundum loquendi usum Hellenistarum proprium, vindicat. Quare et nequidquam provocant ad 1 *Pet.* V: 8 aut huiusmodi locos plures. Dicit igitur PAULUS: *Multi enim vitam agunt:* tum sic pergit: οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω, τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ. Accusativum τοὺς ἐχθρούς ab iisdem Verbis ἔλεγον et λέγω pendere, ac praecedentem οὕς, quisque sua sponte videbit; sed hunc pro Nominativo, ut haud paucis placet Interpretibus, positum esse, ante concedere nequeo, quam mihi probatum sit, et alibi alterum Casum eodem modo cum altero permutari, et hanc orationem talem esse, ut, Accusativo in Nominativum mutato, nihil amplius desideretur. Si quis huic desiderio satisfactum putat a GROTIO, TILLIO aliisque, quotquot Verbis ἔλεγον et λέγω notionem *appellandi* tribuant, ab eo quoque dissentio: quoniam Dativus (ὑμῖν) coniungi non solet cum Verbo λέγω, ubi hanc interpretationem sibi postulat. Articulus autem τούς, quem satis multi neglexerunt, tantum abest ut redundet, ut inserviat ad genus hominum, quod perversitate sua emineat, ab aliis distinguendum. Ergo quae hoc in versu media sunt sine scrupulo reddantur: *quos saepe dicebam vobis*, *nunc autem et lacrymans dico*. Postrema vero non interpretor cum LAUNAEO et multis aliis *eos esse adversarios crucis* CHRISTI; sed *eos esse*, *qui adversarii crucis* CHRISTI *sint:* i. e. in quos nomen illud ignominiosum cum maxime cadat. Atque sic Verbum εἶναι orationi tantum cogitando adiicio cum BEZA, qui laudabilem ad hunc locum

illustrandum adhibuit diligentiam. Si coniicere liceret, antiquissimo iam tempore homines exempla corrupisse, ut pro ὡς scriberent οὕς, unius sane literae mutatione omnis, quae remanet, difficultas hoc ex versu amoveretur. Sensus enim orationis hic exsisteret: *Multi enim vitam agunt, quemadmodum saepe dicebam vobis, nunc autem et lacrymans dico, eos, qui adversarii sint crucis* CHRISTI, [*vitam agere*]. Sed cum de eo, quod vulgo editum est, omnes, quantum novi, consentiant libri, in proposita subsistendum est interpretatione. Itaque appellatione *adversariorum crucis* CHRISTI PAULUS notavit homines, qui CHRISTUM quidem publice profitebantur, sed sectatores eius tantum erant personati, cum vitam agerent ignavam et dissolutam et communionem malorum eius turpiter fugerent. Quamobrem dignissimi illi fuerunt, quibus ignominiosa *adversariorum crucis* CHRISTI nota prae aliis inureretur. Repetere hîc nolo supra iam disputata (1). Sed qui appellationis causam in propagatione superstitionis Iudaeae, quae se doctrinae crucis opponeret, quaerendam esse opinantur, sententiam hunc in locum important, quae in orationem incurrit proxime sequentem (2). Haud scio quoque, an PAULUS, si hanc simultatem voce ἐχθρούς indicare vellet, Articulum τούς omissurus fuisset. Verum si oculos convertimus ad vs. 17, luculenter nobis apparet, Apostolum alios in mente non habuisse homines, quam societati Christianae inessent. Hi enim soli *Philippensibus* exemplo suo nocere poterant, Iudaei ab iis remoti non item. Quod autem CORNELIUS A LAPIDE contendit, *Corinthianos* hîc notari, et similia longius a fide discedunt, quam ut ea refellere opus sit. Ceterum PAULUS,

(1) *Introit.* p. 14, 15.

(2) Opinionis illius patronis, quos supra indicavimus, adiungatur KNAPPIUS, *Script. Var. Argum.* p. 175, qui rationum tamen desiderium haud secus relinquit atque alii, qui cum eo consentiunt.

quod *Philippensibus* saepe coram dixit, nunc repetiisse videtur lacrymans, quoniam pestem in dies longius serpere videbat rebusque Christianis nocere: unde tamen non sequitur, contagionem in ipsos iam *Philippos* penetrasse, cum has lacrymas effunderet.

VERS. 19.

Hîc iam, ut ESTIUS ait, PAULUS explet, quod huc usque mansit suspensum. Adversarios nempe crucis CHRISTI describit ita, ut clarissime appareat, eum significasse homines, qui, quamvis CHRISTUM profiterentur, nihil aliud sibi quaererent, quam voluptates corporis. Ab eo incipit, quo vita horum lurconum tendit: *ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, quorum finis est pernicies*, id est: *qui hac ex vita exeuntes in perniciem cadunt.* Nam locis similibus *Rom.* VI: 21. 2 *Cor.* XI: 15. *Hebr.* VI: 8. 1 *Pet.* IV: 17 (1) responsio iam inest ad quaestionem, ab HEINRICHSIO propositam, an formula non explicari possit: *quorum consilium est rem Christianam destruere.* Sed praeterea interpretationi illi refragatur loquendi usus, quo vox *ἀπώλεια* saepissime in Novo Testamento, etiam supra cap. I: 28, *miseram post mortem conditionem*, nusquam *alicuius rei destructionem* denotat, et ipsius orationis argumentum, et oppositum denique *σωτῆρα* versu sequenti. Iure igitur meritoque haec interpretandi ratio a RHEINWALDO, MATTHIESIO et BENGELIO iam improbata est. Voci autem *τέλος* cur notionem tribuam *finis*, non vero *mercedis*, causa cernitur in versu praecedenti, ubi auctor Verbo *περιπατοῦσι* similitudinem proponere incepit, quam hîc persecutus esse videtur, ut etiam monuit TILLIUS. Iam turpitudinem vitae, qua fidei Christianae simulatores miseram sibi sortem contrahunt, Apostolus ostendit scribendo: *ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία, qui ventrem habent tanquam Deum*,

(1) Cff. quae ex Graecorum scriptis attulit PALAIRET ad h. l.

cui serviunt. Similiter idem vivendi genus proponit *Rom.* XVI: 18, et nomen *Dei* 2 *Cor.* IV: 4 de eo usurpat, *quod pro Deo habetur.* Recte autem KYPKIUS homines describi docet, voluptatibus deditos, quae ex cibo et potu percipiuntur. Sed ei assentiri non possum, cum calculum adiicit Interpretibus, qui sequentia *καὶ* (*ὧν*) *ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν res venereas* significare putant. Multo minus BENGELIO, MICHAËLI, STORRIO concedo, PAULUM in mente habuisse *circumcisionem*, quod iam Veterum nonnullis placuit, uti PELAGIO et AMBROSIASTRO, quorum alter Graeca explicuit *in circumcisione verecundi membri*, alter ea reddidit *in pudendis ipsorum.* Immo sine scrupulo sequor interpretationem CHRYSOSTOMI: *ἐφ' οἷς ἔδει ἐγκαλύπτεσθαι, ἐπὶ τούτοις σεμνύνονται*: quocum magni Viri consentiunt, etiam GROTIUS, quamvis hic mentem auctoris arctius quam oportet restringit scribendo: *quod minime eos decet, quotidie in conviviis esse, de eo maxime gloriantur.* Vox enim *αἰσχύνη* in Novo Testamento plus semel usurpatur de *morum turpitudine*, ut 2 *Cor.* IV: 2; de *membro pudendo*, aut *rebus venereis*, nec *Apoc.* III: 18, neque his in libris alibi. Deinde ut insolentius est dicere: *quorum gloria est in rebus suis venereis*; sic dictorum circumiacentium sensus interponere vetat: *quorum gloria est in circumcisione membri pudendi.* Quid? quod loci similes *Hab.* II: 16. *Rom.* VI: 21, et quos aliunde attulerunt RAPHELIUS et WETSTENIUS, omnino suadent, ut interpretemur: *et gloriam suam ponunt in iis, quibus infamiam sibi inferunt.* Postremum PAULUS ait *οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες*: quae si fervore scriptoris festinantis posita esse sumimus pro *οἳ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντές εἰσί*, nihil in verborum video structura, quod offensioni esse possit. Et eodem iure, ut monuit ELSNERUS, hoc sumere licet, quo supra usi sumus, expressis ter adiicientes Singulare *ἐστί.* Orationis certe perpetuitatem imprudenter tollunt CALVINUS, ER. SCHMIDIUS, WOLFIUS,

aliique, qui haec cum superiori περιπατοῦσιν connectunt, ceteris collocatis in Parenthesi. Mentem Apostoli quod attinet, haud male eam explicuit V. D. in *Nov. Test. Valp.* *qui ea curant, quae ad vitam duntaxat animalem pertinent*: quod, brevius dictum, est: *qui mera expetunt terrestria.* Eandem enim notionem ac supra tribuendam esse Verbo φρονεῖν, apparet etiam ex *Col.* III: 1, 2, ubi ζητεῖτε et φρονεῖτε inter se permutantur.

VERS. 20.

A pessimo hominum genere PAULUS veros CHRISTI sectatores, ut codices habent MSS. quotquot in pretio sunt, sic distinguit: Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. Apud Syrum aliosque Interpretes veteres pro Particula quidem causali Adversativam reperimus: sed male GRIESBACHIUS inde collegit, in exemplis, quibus uterentur, vocem δέ fuisse. Immo illi, orationis nexum non assecuti, receptam γάρ minus recte transtulisse videntur: quemadmodum eam recentiori tempore STORRIUS, ENDIUS, RHEINWALDUS pro δέ sumserunt, HEINRICHSIUS unice inservire monuit ad faciendum transitum. Aliter peccarunt, qui hanc Particulam, vel ad totam orationem praecedentem, vel ad vs. 17 referendam esse contendebant. Evidenter enim docet Antithesis hic proposita, proxime tantum praecedentia οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες auctorem permovisse ad continuo scribendum Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει: quae nunc, age, ut nexus appareat, interpretemur. Vox πολίτευμα aliis *patria*, aliis *civitas*, aliis *ius civitatis*, aliis *conversatio* significare videtur. Et hoc quidem, ut magnis placuit Viris, LUTHERO, CALVINO, GROTIO, *Vulgatum Latinum*, AMBROSIASTRUM aliosque Veteres sequentibus, ita ceteris praeferendum est, cum propter ipsam vocem, quae proprie *rationem agendi in rebus civilibus* denotat, tum ad hunc versum cum praecedenti bene coniungendum. Verumtamen tria sunt ar-

gumenta, cur valde dubitem, an hac interpretatione mens PAULI ab omni parte explicetur. Primum in eo cernitur, quod Singulare illud πολίτευμα cum Generaliori ἀναστροφή confundere non licet. Alterum, ut vidit etiam BENGELIUS, praebet Verbum ὑπάρχει. Tertium hoc est, quod interpretatio illa vix aut ne vix quidem stare posse videtur, nisi orationi addamus Particulam comparandi ὡς vel similem, ut fecit BEZA scribens: *nos enim, ut municipes coelorum, nos gerimus*, quem et vocis *municipes* causa, neque immerito, reprehendit HEINSIUS. Quae cum ita sint, et perspicuitas orationis, et vero fides verba PAULI ita interpretari vetat, ut singulis Graecis singula Latina respondeant; sed paulo liberius, ut puto, reddenda sunt: *Nostra enim, quam hîc sequamur, vivendi ratio in coelis est.* Quod quam bene cohaereat cum dicto praecedenti, clarissime elucebit, si breviloquentiam sic sustulerimus: *Ab his enim dissimiles nos sumus, quorum vivendi ratio, quam hîc sequamur, in coelis est* (1). PAULUM autem Pronomine ἡμῶν, quod gravitatis causa prae-

(1) Haud longe a me dissentit MATTHIESIUS. Subtilius vero notiones, voci πολίτευμα tribuendas, FLATTUS et RHEINWALDUS distinguunt. Praeiverunt STEPHANUS in *Thes.* RAPHELIUS ad h. l. SCHWEIGHÄUSERUS in *Lex.* POLYB. Mihi certe VV. DD. frustra 2 *Macc.* XII: 7 et alios locos comparare videntur ad notionem *patriae*, aut *civitatis*, aut *iuris civilis* voci ita vindicandam, ut *conversationis*, quam barbare dicunt, notio plane excludatur. At haec sola rursus neque alibi satis est ad sensum orationis explicandum, neque apud EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. V. Prooem: ubi auctor scribens: τοῦ κατὰ Θεὸν πολιτεύματος significat *vivendi rationem ad Dei praecepta compositam, quam secuti sunt* CHRISTI *sectatores.* Cf. HEINICHEN ad h. l. Similiter Verbum πολιτεύεσθε cap. I: 27 supra interpretatus sum: *societatis, ad quam admissi estis, munia obite:* et πεπολίτευμαι *Act.* XXIII: 1 ita interpretandum censeo, ut PAULUS dicat: *ego optimae mentis conscientia institutum, quo viverem Deo, secutus sum ad hunc usque diem.* Cff. EUSEB. Lib. III: 31. V: 24. SUICER. *Thes.* Tom. II. p. 799 sqq. et WETSTEN. ubi ex PHILONE affertur locus valde similis, in quo ψυχαὶ τῶν σοφῶν dicuntur πατρίδα μὲν τὸν οὐράνιον χῶρον, ἐν ᾧ πολιτεύονται, ξένον δὲ τὸν περίγειον, ἐν ᾧ παρῴκησαν, νομίζουσαι. Exstat Tom. I. p. 416. MANG.

cedit, non se tantum suosque socios, sed generatim *veros* CHRISTI significasse *sectatores*, quotquot vivendi exemplum praeberent imitatione dignum, e nexu intelligimus totius orationis, inde a versu 17. Nec dubitandum est, quin hoc in numero quoque collocaverit EPAPHRODITUM aliosque *Philippenses*, qui vitam agerent pietate et virtute tam illustratam, ut *Philippensibus* ad imitationem proponi possent. Sed supervacanea fit admonitio cap. IV: 1, quae cum hoc loco arctissime cohaeret, si Apostolum dicentem facimus: *Mea enim et vestra, o Philippenses! vivendi ratio* cet.

Coelorum commemoratione auctor ducitur ad scribendum, quod in altero exstat huius versus membro: *ἐξ ου καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν.* Formula nempe *ἐξ οὗ* cum WOLFIO, BENGELIO, ENDIO referri nequit ad *πολίτευμα*, utpote *locum* certe non denotans, etiamsi reddatur *civitas*; nec vero, ut ERASMO in mentem venit, explicari potest *ex quo tempore*, nisi Apostolo obtrudere velimus, quod ab eius mente alienum sit. Recte GROTIUS et plerique Interpretes PAULUM respexisse monent proxime praecedens *οὐρανοῖς*, et ita quidem, ut sensus magis rationem haberet quam verbi. Haud quidem ignoro, hoc PAULO cum popularibus suis commune fuisse, ut plures esse coelos crederet. Sed IESUM sibi in uno tantum eorum throno Divino proposuit insidentem, unde venturus esset, *διεληλυθὼς τοὺς οὐρανούς*, ut scripsit auctor *Epistolae ad Hebr.* IV: 14 (1). Ellipsin temere fingunt, qui breviter *ἐξ οὗ* scriptum opinantur pro *ἐξ ου τόπου*. Coniuncta autem *ἐξ οὗ καί* reddenda quidem sunt *unde etiam;* sed haec tantum valere, quantum *inde enim*, ut inserviant orationi ad sententiam superiorem confirmandam, probabile mihi facit comparatio 1 *Cor.* I: 8. IV: 5, et aliorum locorum (2). Nullam difficultatem parit

(1) Cf. 2 *Cor.* XII: 2 ibique WETSTEN.

(2) Legantur quae diximus in *Annot. in loca* cet. p. 220.

Verbum *ἀπεκδεχόμεθα*, quippe quod ubique his in libris notionem habere *exspectandi* vel *praestolandi* constat. Nec facile quis, ad orationis contextae argumentum attendens, STORRIO, FLATTO aliisque assentiri gravabitur, ut vocem *σωτῆρα* interpretetur, ac si scriptum sit *εἰς σωτηρίαν* (1). Itaque hoc posteriori in membro dicere vult auctor: *Inde enim Dominum* IESUM CHRISTUM, *ut nobis servator sit, exspectamus.* Verba autem, ratione habita spei PAULI eiusque aequalium, brevi venturum CHRISTUM, hanc postulant circumlocutionem: *oculis enim eo quasi intentis stamus, adventum praestolantes Domini* cet.

VERS. 21.

Quo nomine CHRISTUS Servator futurus sit, Apostolus sic exponere aggreditur: *Ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ.* GRIESBACHIO aliisque obtemperans, ex oratione delevi verba, GROTIO iam suspecta: *εἰς τὸ γενέσθαι αὐτό*, quae Veteres nonnulli PAULO affinxerunt, eodem inducti errore ac WOLFIUS, qui sententiam sibi non constare dixit, nisi aut haec admittantur, aut pro Adiectivo *σύμμορφον* scribatur *εἰς συμμορφίαν.* Sed bene iudicasse Viros Doctos, qui Verbum *μετασχηματίσει* praegnans esse dicerent, facile nobis persuasum erit, si illud in plura, quae ei insunt: *ἀντὶ τοῦ σχήματος*

---

(1) Vehementer friget quod scripsit *Interpr. Vern. Waaruit wij ook den Zaligmaker verwachten*, [*namelijk*] *den Heer* JEZUS CHRISTUS. Nec iuvat auctoritas LAUNAEI aliorumque bonorum Interpretum, qui Graeca eodem modo reddiderunt. Quid enim? an *Philippenses* tam rudes et ignari omnium rerum fuerunt, ut iis explicanda esset notio vocis *σωτῆρα*? Et non animadverterunt VV. DD. hanc vocem sine Articulo Verbum *ἀπεκδεχόμεθα* praecedere. Cf. KLUIT. p. 575. Rectius iam VICTORINUS: *unde etiam salutarem exspectamus Dominum nostrum* cet. Sermone igitur vernaculo scribendum est: *wij verwachten als Zaligmaker.*

νῦν ὄντος αὐτῷ ποιήσει, resolverimus (1). Iam cum sibi mutuo opponantur *τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν* et *τὸ σῶμα τῆς δόξης αὐτοῦ*, quaestio esse potest, utrum Substantiva illa in Genitivo posita, ut ERASMO, BEZAE multisque Interpretibus visum est, Adiectivorum vicibus fungantur, an secundum GROTIUM explicanda sint *vilis nostrae conditionis* et *gloriosae eius conditionis.* Hoc suadet usus vocis *ταπείνωσις* in Novo Testamento; illud loquendi mos Hebraeis usitatus. Sed litem movere nihil attinet, cum sensus orationis eodem fere redeat, utrum utri praeferatur. Nimirum PAULUS, in mente habens quod scripserat vs. 19 de hominibus servitute corporis se perdentibus, hîc promisisse videtur CHRISTUM *corpora sectatorum suorum, imperio sensuum, corruptelae, morti obnoxia ita mutaturum esse, ut imaginem sui referant corporis, liberi, aetherei, immortalis.* Doctrinam hîc propositam Apostolus illustrat alibi, imprimis 1 *Cor.* XV: 44 sqq. Ab hoc autem loco, ut bene notavit RHEINWALDUS, aliena cum opinio HEINRICHSII est, PAULUM deforme illud, quod habuisse traditur, spectasse corpus, tum aliorum admonitio, verba eius non proprie, sed figurate explicanda esse, ut regnum CHRISTI ex deteriori conditione ad meliorem evectum iri promittant.

Ne quis vero dubitet, an spem factam CHRISTUS explere possit, adiicit auctor: *κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα*: id est, ut CALVINUS interpretatur: *secundum efficaciam, qua potest etiam sibi subiicere omnia.* Ex simili formula *κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ Eph.* III: 7 vim intelligimus Infinitivi *δύνασθαι* Articulum *τοῦ* sequentis: quo de dicendi genere monuimus quoque ad cap. III: 10. Particulam autem *καί* BENGELIUS recte sic exponit: *non modo conforme facere cor-*

(1) Loci similes sunt 2 *Cor.* VIII: 19. 1 *Thess.* III: 13 et alii, quos attuli in *Annot.* p. 221, 222. Cf. STORR. ad h. l.

pus nostrum suo. Ergo aliis verbis Apostolus ait: *quippe qui potentiam habet sibi subiiciendi omnia, atque sic quidem hoc efficere potest.* Silentio tamen praeterire nolo, libros magnae auctoritatis pro recepto *ἑαυτῷ* habere *αὐτῷ*, vel potius *αὑτῷ*, quod praeter alios probavit MATTHIESIUS. Mihi vero homines Pronomen Reciprocum in Demonstrativum mutasse videntur, quo commodius dictum PAULI ad *Deum Patrem* referretur. Quod ipsis adeo Orthodoxis, qui dicuntur, placuisse, ne CHRISTUS divideretur, OECUMENIUS nobis luculentus testis est. Et sane huic interpretationi, ut usus vocis *ἐνέργεια* in Novo Testamento, ita et comparatio favet locorum similium 1 *Cor.* XV: 27, 28, *Eph.* I: 22. *Hebr.* II: 5, 8. 1 *Pet.* III: 22. Sed vel sic quidem ad eam refutandam sufficere puto quod scripsit THEOPHYLACTUS: *Ἀνακόλουθόν ἐστι· οὐ γὰρ εἶπεν ἄνω περὶ τοῦ Πατρός.*

CAPUT QUARTUM.

VERSUS 1.

Exspectatione gloriae coelestis, quae veros CHRISTI sectatores manebat, *Philippensibus* exposita, PAULUS sic pergit: *Ὥστε, Ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, χαρὰ καὶ στέφανός μου, οὕτω στήκετε ἐν Κυρίῳ, ἀγαπητοί.* Temere haec admonitio a Capite praecedenti, quocum arctissime cohaeret, avulsa est, ut ipsa iam docet Particula *ὥστε,* auctori usitata ad orationem, non connectendam, ut ait CRELLIUS, sed concludendam. Legantur 1 *Cor.* X: 12. XV: 58. *Phil.* II: 12, ubi aeque atque hoc in loco Imperativus Particulam sequitur (1). Iam vero quid Apostolo in mente fuerit, cum scriberet *ὥστε,* nemo quidem ad liquidum perducere poterit. Longius remota est admonitio cap. III: 15-17, quam ut probabilis sit LAUNAEI aliorumque sententia, eum hîc illam respexisse. Cum GROTIO certe, cui plerique Interpretes summatim adsentiuntur, Particulam explicare praestat: *cum tanta nobis proposita sint praemia, de quibus iam egi.* Similiter PAULUS 1 *Cor.* XV: 58, patefacta vitae futurae beatitate, lectores adhortatur, ut *et constantes perseveran-*

(1) *Lexica Nov. Test.* quae inspexi, ubi Modos memorant Particulam ὥστε sequentes, praetermittunt Imperativum. Quod ENDIO forte ridiculum peperit errorem, ut hîc Indicativum sequi moneret. Meliora docet WINERUS p. 277. Et apud LUCIANUM et alios luculenta me legere memini exempla.

tesque in profitendo Christo sint, et maiores continuo in pietate et virtute progressus faciant. Sic enim verba *ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ Κυρίου* sumenda sunt, ut cum Participio *περισσεύοντες* connectantur, cum Adiectivis *ἑδραῖοι* et *ἀμετακίνητοι* non item.

Iam Apostolus blandis vocibus lectorum praeparat animos, ut benevole suam accipiant admonitionem. Nec gratiam tamen simulando captat, sed, ut simplex et antiquus homo est, pectus explicat caritatis plenum, qua *Philippenses* complectitur. Hinc verborum cumulatio adeoque orationis gradatio. Primum appellatione maxime frequentata utitur *ἀδελφοί μου, fratres mei*, sectatores CHRISTI ab aliis distinguens. Tum appellationi illi multum suavitatis adspergit scribendo: *ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι*, id est, *quos amo et convenire ardenter cupio* (1). Postremum quanti *Philippenses* habeat, hac eorum declarat laudatione: *χαρὰ καὶ στέφανός μου*, quae verba qui interpretantur cum PELAGIO: *Per vos in praesenti laetificor et in futuro coronabor*, auctorem sibi magis proponunt subtiliter disputantem, quam ardentis animi sensus enunciantem. CAMERARIUS, et nemo melius, hanc *σύνθεσιν* esse monet *μεταφορικήν*, qua PAULUS dicere velit: *ἐφ' οἷς χαίρω καὶ ἀγάλλομαι· ἐφ' οἷς χαρὰν καὶ ἔπαινον ἔχω.* Latine scripseris: *qui gaudio mihi et gloriae estis.* Eandem notionem, ut monet GROTIUS, vox *στέφανος* habet *Iob.* XIX: 9. *Prov.* XVII: 6, ubi eam explicant *δόξα* et *καύχημα.* Proprium autem et figuratum comprehenduntur *Prov.* XVI: 31. 1 *Pet.* V: 4, item 1 *Thess.* II: 19, 20, quem locum iure meritoque Interpretes prae ceteris comparari iubent. Sed duo observanda sunt: verba *ἡμῶν χαρὰ ἢ στέφανος καυχήσεως* ibi restringi, et quidem sequentibus

---

(1) Similiter cum GROTIO multisque aliis verba interpretatur MATTHIESIUS, qui se recte quoque opponit HEINRICHSII opinioni, Adiectiva *ἀγαπητοί* et *ἐπιπόθητοι* esse Synonyma. Cff. disputata ad cap. I. vs. 8.

ἔμπροσθεν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, hîc vero non item; alterum *Thessalonicensibus*, cum ab Apostolo *inter eos* (*οὐχὶ καὶ ὑμεῖς*) esse dicantur, qui gaudio sibi et gloriae sint, minorem laudem tribui quam *Philippensibus*, quibuscum nulli alii eodem in luce et claritate ponuntur.

Ipsa nunc sequitur admonitio: *οὕτω στήκετε ἐν Κυρίῳ*, cuius quidem, si vera sunt, quae supra plus semel de formula *ἐν Κυρίῳ* disputavimus, satis certa est interpretatio: *sic perseverate in communione Domini*, id est, CHRISTI. Loquendi usus negligitur, si quis cum CHRYSOSTOMO scribit: *ἐν τῇ ἐλπίδι τοῦ Θεοῦ*, aut cum GROTIO: *propter Dominum*. Quaeritur autem, quid auctor Particula *sic* significet: utrum *ὡς ἑστήκατε ἀκλινεῖς*, ut placet CHRYSOSTOMO, an *ita ut dixi*, quae BEZAE et aliorum multorum sententia est? Neutrum plane sperno: sed si praesto est, quod, aeque atque ab initio huius versus, ex oratione proxime praecedenti repetere possimus, nonne hoc illis praeferri meretur? Ergo PAULI in mente fuisse puto: *ut vivendi ratio, quam sequamini, in coelis sit:* nec valde a me dissentiunt MATTHIESIUS aliique. Hinc autem sequitur, Apostolum *Philippensibus* duo praecepisse, quorum altero se distinguerent ab impiis CHRISTI desertoribus, altero a falsis eius sectatoribus. Et valde accommodatum hoc praeceptum est superiori: *cum tanta nobis proposita sint praemia*, quod eum Particula *ὥστε* significasse conieci.

Admonitionem concludit auctor voce *ἀγαπητοί*, cuius in repetitione, ut praeter alios etiam vidit GROTIUS, novum cernitur indicium pectoris graviter affecti. GROTIUM iniuste reprehendit COCCEIUS, quem virum doctrina insignem, nescio, quomodo satis mirari possim, cum vocis illius Casum pro Nominativo habeat eamque, Commate deleto, arcte iungat cum praecedentibus. Similiter autem *Dan.* V: 10, 11 bis in Vocativo legitur vox Chaldaea מלכא.

VERS. 2.

Nunc PAULUS ab universis ad singula transgredi videtur monendo: *Εὐοδίαν παρακαλῶ, καὶ Συντύχην παρακαλῶ, τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν Κυρίῳ.* Haec igitur GRIESBACHIUS maiori distinctione a superioribus seiunxit. Atque ita MICHAËLIS, STORRIUS, RHEINWALDUS, GOESCHENIUS, multi alii, cum Editores Novi Testamenti, tum Interpretes. Et obiter inspecta oratione eandem in partem eundum dixeris. Sed recte se MATTHIESIUS huic distinctioni opposuit. Nam versum alterum cum primo attentius comparantes, in PAULI mente seriem fuisse deprehendimus cogitationum, qua ab admonitione fidei CHRISTO servandae et publice praestandae ad mutuae concordiae, quae fidem conspicuam faceret, virtutem commendandam duceretur.

Singulorum aggrediamur interpretationem. GROTIO cum imprudenter excidissent verba: »*Συντυχής*, ut *Εὐτυχής*, virile est nomen;" ecce, HAMMONDUS hoc arripuit, ut Nominativi *Συντυχή* plane immemor, Graeca sic explicaret: EUODIAM *praesertim et* SYNTYCHEN *oro, ut concordes vivant et quieti* eet. CALMETUS adeo dissidium fuisse coniecit inter coniuges, et SYNTYCHEN eundem habendum esse, qui vs. 3 *σύζυγος γνήσιος* appelletur. Sic uno magni Viri errore fit, ut alii deserta via turpiter labantur. Duas enim hîc memorari mulieres, nulla demonstratione indiget, modo legamus sequentia: *συλλαμβάνου αὐταῖς, αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι*, quae HAMMONDUS ineptissime interpretatus est: *ut cures et subleves mulieres, quae Euangelii causa male habitae sunt.* Et mulieres fuisse videntur inter sectatores CHRISTI *Philippenses* clarae et spectatae, forte, ut Veteres iam opinati sunt, *Diaconissae.* Iam PAULUS, cum illas iuberet *τὸ αὐτὸ φρονεῖν*, nihil aliud voluit, quam ut *eodem, quidquid ageretur, ducerentur studio.* Quod ex disputatis ad Cap. II: 2 tam luculenter apparet, ut supervacaneum

sit interpretationem OECUMENII: ὅπερ νῦν φρονοῦσι similesque refutare. Nec me CALVINI movet auctoritas, ubi leviorem dicit coniecturam, Apostolum dissidii quid inter utramque componere voluisse. Nam mihi persuadere nequeo, eum haec moniturum fuisse, nisi mulieres corrigendae essent secum invicem revera, ut sententia fere communis est, in discordia viventes. Et quid credibilius est, quam hanc illarum discordiam eadem ex ambitione et superbia profectam esse, quae supra, Cap. II: 3, 4, reprehenduntur? Verbo autem παρακαλῶ Apostolus de industria bis usus est, ut utramque pariter in culpa esse significaret (1)? Sed ita scribendo simul indicavit, Verbum illud, cum priori in loco sibi constet, in posteriori connectendum non esse cum sequentibus ἐν Κυρίῳ. Quod, ut BEZA, CRELLIUS, ENDIUS fieri posse contendunt, sic frustra STORRIUS probare conatur ex *Rom.* XVI: 22. 1 *Cor.* XV: 58. Illic enim oratio valde dissimilis legitur; hîc vero nulla causa est, cur vulgo Interpretes postrema ἐν Κυρίῳ a proxime praecedentibus οὐκ ἔστι κενός avellant et ad remotiora ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν referant, cum altera structura hunc sensum efficiat bonum: *laborem vestrum aerumnosum praemiis suis non carere in communione Domini.* Quae cum ita sint, verba Εὐοδίαν cet. non vereor interpretari: EUODIAM *et* SYNTYCHEN *pariter adhortor, ut eodem, quidquid agatur, ducantur studio in communione Domini habenda.* Haec autem postrema ceteris Apostolus non solum adiicit ad commonstrandum, qualem his mulieribus praescribat concordiam sed etiam ad eas laudis stimulo excitandas.

---

(1) ERASMUS hanc *Anadiplosin* dicit: sed dissimilia illius figurae sunt exempla, quae attulit GLASSIUS, Tom. I. p. 1330, 1331. Nihil convenientius vidi quam dictum ANTHIAE apud XENOPH. *Eph.* Lib. II. cap. 7: *Εἰς Συρίαν ἄγομαι, δῶρον δοθεῖσα τῇ Μαντοῖ, καὶ εἰς χεῖρας τῆς ζηλοτυπούσης ἄγομαι,* quod VV. DD. sine causa sollicitarunt. Vide annotata ibid. p. 276 et 372 et cf. PEERLK. p. 222.

VERS. 3.

Via igitur et ratione procedit oratio, a Particula *ναί* incipiens, quae obsecrantis est et cum sequenti Imperativo coniungenda, ut haec sit distinctio: *Ναί, ἐρωτῶ καὶ σέ, Σύζυγε γνήσιε, συλλαμβάνου αὐταῖς, αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι* cet. Similiter ea, ut monent Interpretes, ad petitionem intendendam usurpatur *Phil.* 20 et, secundum Editionem Receptam, quae tamen retineri nequit, *Apoc.* XXII: 20. Prae ceteris vero consulatur dictum IESU *Luc.* XII: 5, ubi scribendum est: *ναί, λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε*, ut *ναὶ φοβήθητε* coniungantur. Pro hac Particula autem Veteres nonnulli, quos Editio Recepta sequitur, magis usitatam *καί* substituerunt. Quod minus mirandum est, quoniam, versibus 2 et 3 obiter inspectis, omnino latet causa, cur PAULUS *Σύζυγον γνήσιον* tantopere obsecret. Sed causa illa, uti puto, explicatur, si attendimus ad verba praecedentia *ἐν Κυρίῳ*, quibus utramque mulierem etiam laudari vidimus. Quod igitur Apostolus scripsit: *Nae, et te rogo, opitulare illis, quae pro sua parte ad causam* CHRISTI *propagandam mecum tanquam in certamine laborarunt*, hunc habere videtur sensum: *Profecto, dignissimae sunt illae, quibus opituleris* cet. Verbum *ἐρωτῶ*, quod reddidi *rogo*, si quis cum GROTIO interpretari mavult *precor*, per me licet: lenius certe illud blandiusque est quam superius *παρακαλῶ*. Medium *συλλαμβάνου*, cum sequatur Dativus, notionem habere *opitulandi*, BRETSCHNEIDERUS aliique Lexicographi satis probant. Hoc autem cum OECUMENIUS explicet *opitulari εἰς τὰ πρὸς τὸν Θεόν*, GROTIUS *opitulari, ut haberent, unde viverent*, neutri assentiri possum: quoniam Particula *ναί*, si loquendi usum bene teneo, orationem praecedere solet idem argumentum persequentem, non vero ad aliud transgredientem. Quare cum plerisque Interpretibus, quibus et REDDINGIUS se adiunxit, hanc

Apostoli mentem fuisse censeo: *opitulare eo*, id est, *ut eodem studio ducantur*. Quid inter Simplex *αἵ* et Compositum *αἵτινες* mihi interesse videatur, monui supra (1). Cetera hac in oratione se ipsa explicant. Sunt quidem, qui propterea quod PAULUS 1 *Cor.* XIV: 34. 1 *Tim.* II: 12 mulieres docere vetuit, Verbo *συνήθλησαν* significari tantum putent *mala propter* CHRISTUM *tolerata*. Sed loci illi mulieribus una in concione silentium imponunt, neque iis interdicunt, quominus alibi, etiam docendo, rem Christianam agant. Hîc autem *laborem* et quasi *certamen* indicari, ipsum arguit Verbum *συναθλέω*, quippe notionem non habens Passivam, sed Activam. Et ad *operae* cogitationem ducimur adiectis *ἐν τῷ εὐαγγελίῳ*, quae cum STORRIO accipienda non sunt, ac si Praepositio *ἐν* Dativum denotet aut conveniat Latinae *propter:* sed, ut perspicue docet comparatio Cap. I: 27, breviloquentiam continent ita supplendam: *in Euangelii* vel *doctrinae Christianae propagatione:* quod SLICHTINGIUS aliique monuerunt.

Iam vero quis fuerit ille, quem PAULUS verbis *Σύζυγε γνήσιε* advocat ad mulieribus opitulandum, quaestio est ab Interpretibus haud paucis magno animorum fervore agitata. *Uxorem* PAULI significari, iam Veteres contenderunt memorati a CHRYSOSTOMO, recentiori aetate imprimis ERASMUS, cui praeter VV. DD. a RHEINWALDO indicatos, calculum adiecerunt SLICHTINGIUS et PEIRCIUS. Sed Apostolum in coniugio vixisse, nec traditum nobis est ab auctoribus fide dignis (2),

(1) *Introit.* p. 6. Cff. cap. I: 28. II: 20.

(2) CLEM. *Al. Strom.* Lib. III. p. 535. cuius verba partim descripsit EUSEB. Lib. III. cap. 20, *Παῦλος*, ait, *οὐκ ὀκνεῖ ἔν τινι ἐπιστολῇ τὴν αὐτοῦ προσαγορεύειν Σύζυγον, ἣν οὐ περιεκόμιζεν, διὰ τὸ τῆς ὑπηρεσίας εὐσταλές*. Confudit igitur cum hoc loco alterum, et quidem 1 *Cor.* IX: 5, continuo ab eo excitatum. Utroque autem male interpretando in opinionem inductus est, PAULUM uxorem habuisse. Quod cum ORIGENES, *Comm. in Ep. ad Rom.* Tom. IV. p. 461, 462, quosdam affirmasse, alios negasse tradat, ex

nec ferunt verba eius 1 *Cor*. VII: 7. Eum autem hîc uxorem suam, vel aliam mulierem compellasse, propter coniunctionem Adiectivi *γνήσιε* cum Substantivo *Σύζυγε* prorsus improbabile est. Plura mitto argumenta a CALVINO et ESTIO diligenter exposita. Neque Interpretum quoque sententia, qui *Nomen Proprium* hîc compellari putant, se tueri potest; quamquam et hanc ab antiquo fautores habuisse CHRYSOSTOMUS aliique nobis narrant. Nam si quis, *Συζύγου* nomine dictus, inter PAULI adiutores fuisset, Veteres sane, qui in huiusmodi hominibus celebrandis modum tenere nescivcrunt, de eo non omnino tacituros fuisse puto. Quod STORRIUS vult, nomen Graecum *Σύζυγε* interpretationem esse Latini *collega*, apud IOSEPHUM (1) reperiundi, doctrinae causa ab HEINRICHSIO laudatur, mihi vero tam longe quaesitum videtur, ut ne refutatione quidem dignum sit. Maiorem plausum tulit sententia VICTORINI, quae GROTIO quoque, HEINSIO, COCCEIO, MICHAËLI, KLINKENBERGIO placuit (2), hîc compellari EPAPHRODITUM. Et sane quid convenientius est, quam eundem, quem Apostolus supra (cap. II: 25) *τὸν ἀδελφὸν καὶ συνεργὸν καὶ συστρατιώτην μου* dixerit, hoc loco *σύζυγον* dici *γνήσιον*? Nec facile quis inani confundetur clamore HEINRICHSII, insulsissimam esse Apostrophen, qua allocutus sit

---

verbis eius apparet, qui huic illud praeferrent, abusos quoque esse *Phil*. IV: 3, ubi ISIDOR. *Pelus*. Masculinum *γνήσιε* pervertit. Respicit enim huc quod ab eo scriptum legimus *Epp*. Lib. IV. Ep. 112: *τὸ γνήσιε σύζυγε γνησία ἐστί*. His adiungendus est IGNAT. *Ep. interp. ad Philadelph*. cap. 4, qui se non vituperare dicit viros beatitatem consecutos, *ὅτι γάμοις προσωμίλησαν*, atque eorum in numero PAULUM collocat. Sed ille quoque ex iis, quae legerat 1 *Cor*. IX: 5 fabulam finxisse videtur. Ceteri enim omnes Ecclesiae Patres PAULUM vitam coelibem egisse testantur. Cff. praeter VV. DD. supra laudatos, BEVEREG. ad PP. AA. Tom. I. p. 458. Interp. EUSEBII. Tom. I. p. 259, 260. HEINS. l. c. p. 457.

(1) *Bell. Iud*. Lib. VII. cap. 3. § 4.

(2) *De Bijbel, door beknopte uitbreidingen en ophelderende aanmerkingen verklaard*. ad h. l.

tabellarium. At vel sic tamen non assentiri non possum WHITBYO, PEIRCIO aliisque, qui Apostrophen minus opportunam iudicant; quoniam EPAPHRODITUS, non *Philippis*, sed *Romae* fuit, cum auctor Epistolam scribebat. Multo magis vero reiiciendae sunt coniecturae, Apostolum se ad LUCAM, vel SILAM, vel BARNABAM, vel, ut THEOPHYLACTO in mentem venit, ad *custodem carceris*, qui *Act.* XVI memoratur, convertisse: quippe quae omni plane, quo nitantur, carent argumento. Quae cum ita sint, nihil aliud restat, quam sententia MATTHIESII et plerorumque Interpretum, maxime recentiorum, virum quendam nobis incognitum, sed inter *Philippenses* clarum compellatum esse. Verba igitur *Σύζυγε γνήσιε*, quibus similitudo inest, a bubus petita uni iugo subiectis, interpretor *Soci vere* vel etiam *Compar germane*, ut cum AMBROSIASTRO aliisque Veteribus scripsit *Vulgatus Latinus*. In eo tamen, cum offensionis nonnihil habeat insolentia socii, nomine suppresso, in auxilium vocandi, subsisto magis quam acquiesco.

Sequentia *μετὰ καὶ Κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν συνεργῶν μου* nonnulli, ut COCCEIUS, STORRIUS, FLATTUS, connectunt cum Verbo *συλλαμβάνου*, plerique cum proxime praecedentibus. Hoc vero illi plus una de causa praeferendum est. Nam ad opem ferendam convocari non solent homines vago et incerto titulo *τῶν λοιπῶν συνεργῶν*. Deinde vehementer frigent postrema *ὧν τὰ ὀνόματα* cet. si *admonitioni*, non vero *laudationi* subiecta sunt. Tum hac structura orationis, qua, nescio, quot homines ad succurrendum mulieribus laudatis excitentur, multum splendoris praeconio et virtuti earum detrahitur. Particulam *καί*, quae temere a Veterum nonnullis omissa est, illi quoque structurae obstare, contendere non ausim cum RHEINWALDO. Sed ad sententiam vulgarem probandam argumenta proposita sufficiunt. Ad GOESCHENII igitur exemplum Commate, quod Pronomini *μοι* subiectum est, deleto, Graeca interpretor: (*Laborarunt me-*

cum) uti et CLEMENS *et ceteri adiutores mei.* Iam CLEMENTEM illum quonam iure PELAGIUS celeberrimum Episcopum *Romae* dixerit, commentarius eius non declarat. Considerato nomine haud longe discesseris ab opinione GROTII, eum *Romanum aliquem* fuisse *in Macedonia negotiantem.* Sic et claro illi Viro assentiendum videtur, *Presbyteros* hîc laudari *Ecclesiae Philippensis.* Bis autem PAULUS Particulam *καί* scripsit, ut sibi lectores CLEMENTEM et ceteros eius adiutores distincte proponerent.

Postrema *ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς, quorum nomina in libro vitae*, scilicet *scripta sunt*, similitudinem continent, ab Albo publico desumtam, cui in Republica bene ordinata civium nomina inscribuntur. Huiusmodi Album, nominibus hominum in terra viventium inscriptum, sibi Hebraei Veteres ante faciem Dei esse finxerunt. Legantur loci ab ENDIO aliisque collati: *Exod.* XXXII: 32, 33. *Psalm.* LXIX: 29. CXXXIX: 16. *Dan.* XII: 1. Postea tandem imago ab hac vita terrestri ad vitam coelestem translata est, ut docent *Luc.* X: 20. *Hebr.* XII: 23. *Apoc.* III: 5 (1), quo ex libro sublimiori PAULUM hanc dicendi formulam petiisse, levis STORRII coniectura est. Verborum sensus huc redit: *quibus Deus coelestem paravit beatitatem.* Quod auctorem scripsisse, quoniam ante oculos ei obversaretur comparatio cap. III: 20 proposita, cum MICHAËLE fidenter credimus. Causam autem, cur ita scripserit, in eo quaerit Vir Doctus, quod omnia ille non excitare posset nomina. PELAGIO iudice cavere voluit, ne illi, quorum nomina his in Literis non expressa erant, hoc moleste ferrent. Verba certe ita cum oratione cohaerent, ut vix alios spectare possint quam adiutores PAULI nominatim non laudatos.

---

(1) Cf. *Targum.* ad *Ezech.* XIII: 9, laud. a WETSTEN. Huc spectat quoque illud TRIPHONIS in *Philopatr. Opp.* LUCIAN. Tom. III. p. 602: Ἔασον ἅπαντα, ὡς καὶ σὲ ἐν ταῖς ἐπουρανίοις βίβλοις τῶν ἀγαθῶν ἀπογράψωνται. Vide et pag. 599. et KLUIT. Part. II. p. 436.

Iam eo perveni, ut sine culpa ulterius progredi possim. Lectores igitur, quibus disputata de versibus 2 et 3 satisfaciunt, interpretationem habeant absolutam et, per me licet, omittant quae nunc porro sequuntur. Sed erunt fortasse haud pauci, quibus multum desiderii relictum sit. Et ego quidem scrupulos mihi inter scribendum iniectos esse fateor, quibus frustra quaererem, quomodo me Interpretum commentarii liberarent. Unum alterumque iam indicavi: nunc plures proponere lubet. Videlicet illud, quod duae mulieres eaeque bene meritae in Epistola publice legenda ad concordiam vocantur, haud scio sane, an importuni potius monitoris, quam prudentis dixerim PAULI. Nec tanta contentionis asperitas, ut palam et aperte reprehendenda sit, in eas cadere videtur, quae se CHRISTI causa periculis obiecerunt. Mirum porro accidit, praeter CLEMENTEM *Romae* Episcopum, alium fuisse CLEMENTEM, *Philippensem* vel *Philippis* saltem commorantem, itidemque eximium rei Christianae vindicem, de quo tamen nihil plane memoriae prodiderint Veteres. Et celare nolo, non satis gravem cogitando fingi posse causam, cur auctor adiutoribus suis beatitatem coelestem Divinitus paratam esse scripserit. Haec autem et cetera iam indicata cum me identidem fatigarent, ex improviso in coniecturam delatus sum, quae si probanda censebitur, nonnulla etiam eorum retractanda erunt, quae ipse supra posui. Coniectura nimirum haec est: EUODIAM et SYNTYCHEN mulieres fuisse originis Graecae, quae *Romae* una cum PAULO rei Christianae operam dedissent, id maxime agentes, ut eam ad suum sexum propagarent (1); nunc vero eiusdem rei propagandae causa cum EPAPHRODITO *Philippos* profecturae essent: PAULUM utramque, nominibus expressis, ad concordiam adhortatum esse, ut, cum Epistola *Philippis* legeretur, et ipsas excitaret ad cautionem habendam, ne pravo aliorum et

(1) Cf. MÜNTER, *Die Christin im Heidnischen Hause.* p. 11 sqq.

forte feminarum maxime exemplo ab hac virtute detraherentur, et *Philippenses* vero in singulari illa admonitione viderent, quanti eam facere oporteret: tum, ad EPAPHRODITUM, quippe ducem his mulieribus futurum itineris, conversa oratione, hunc quidem ad opem illis ferendam advocatum esse, quoniam hac in urbe paulo difficilius foret eodem semper studio duci (1). In rei autem tam gravitate, quam difficultate causam fuisse, cur auctor ab obsecrandi formula *vai* inciperet. Et quo alacrius *Philippenses* in concordia servanda vel restituenda harum mulierum vestigia sequerentur, eas de meliori nota commendatas esse, ut quae una cum Apostolo ad sectatores CHRISTO comparandos laborassent et veluti decertassent. Commendationi quoque PAULUM multum ponderis adiecisse, quod utramque eodem in numero poneret atque CLEMENTEM et ceteros suos adiutores. Eum vero non adiutores significasse, quos ante multos annos habuisset *Philippis*, sed quos nunc haberet *Romae*. CLEMENTEM igitur celeberrimum illum esse virum, qui *Romae* Episcopi munere functus sit (2). Atque eosdem hîc laudatos esse, qui supra (Cap. I: 14 sqq.) CHRISTI causae imprimis profuisse dicantur et quorum nomine *Philippenses* infra (vs. 21) salutentur. CLEMENTE autem excepto, nomina eorum expressa non esse, quoniam *Philippensibus* minus essent cogniti. Sed Apostolum, ut defectum compensaret, eos coelorum cives declarasse. Iam huic coniecturae, nihil esse video, quod quodammodo obstet. Immo multa ei favent, imprimis verba *ὧν τὰ ὀνόματα* cet. Hac enim formula, ubi ad homines lectoribus describendos

(1) Dubitavi, an post vocem *σύζυγε* intelligerem potius *αὐτῶν*, quam *μου*, ut PAULI mens esset: *O tu, qui iis socius itineris es.* Sic fortasse *σύζυγος socium itineris* significat apud EURIP. *Iphigen. in. Taur.* vs. 250: *Τοῦ συζύγου δὲ τοῦ ξένου τί τοὔνομ' ἦν;* ubi de ORESTE usurpatur. Sed huic interpretationi obstare videtur Adiectivum *γνήσιε*. Neque ei favet usus vocis *σύζυγος*, quae de *duobus*, non de *tribus* dicitur.

(2) Cf. EUSEB. Lib. III. cap. 4.

usurpatur, non dicuntur sigillatim, qui iis cogniti sunt, sed generatim pii ab impiis distinguuntur, ut *Hebr.* XII: 23. *Apoc.* XIII: 8. XXI: 27. Ergo PAULI verba hunc sensum habere videntur: *Quorum nomina vobis quidem incognita sunt, sed a Deo ad vitam beatorum notata.* Hoc autem si veram continet interpretationem, sequitur, cetera his in versibus ita quoque interpretanda esse, ut tota, quam proposui, coniectura probetur.

VERS. 4.

Tanquam ex deverticulo in viam redit PAULUS scribendo: *Χαίρετε ἐν Κυρίῳ,* quod Cap. III: 1 sibi velle vidimus: *Gaudete in communione Domini*, vel *gaudium capite ex bonis* CHRISTO *debitis.* Adiicit autem *πάντοτε, semper*, ne quis forte, in dissensionem proclivior, aliquando fieri posse suggerat, ut magis dolendi causa sit quam gaudendi. Ego certe hunc versum ita cum praecedenti coniungere malo, quam, ducibus MICHAËLE, STORRIO, RHEINWALDO multisque aliis, seriem orationis rumpere. Haud male iam VICTORINUS: *Cum iuncti estis corde, in Domino gaudetis: et cum gaudetis in Domino, iuncti corde estis et consistitis in Domino.* Quod BENGELIUS voluit, vocem *πάντοτε* cum sequentibus nectendam esse, nec loco probatur dissimili 1 *Thess.* V: 16, ubi tantum legimus: *πάντοτε χαίρετε;* neque hîc ferri potest propter formulam *πάλιν ἐρῶ,* Verbo *χαίρετε* praepositam. Ergo praeceptum suum PAULUS sic repetit: *rursus dico, gaudete.* Hac autem repetitione tantum abest, ut inutiliter detineat lectores, ut animis eorum nihil penitius inculcandum esse ostendat, quam curam gaudii. Similiter CICERO saepe familiaribus suis scripsit, ut TIRONI: *Vale, mi* TIRO, *vale, vale et salve* (1). Quî autem fieri possit, ut homines Christiani semper gaudeant,

(1) *Epp. ad Famil.* Lib. XVI. cap. 4.

THEOPHYLACTUS aliique quaesiverunt Ecclesiae Patres, ad verba IESU *Matth.* V: 4 imprimis attendentes.

VERS. 5.

Gaudio perpetuo *Philippensibus* commendato PAULUS sic pergit: *Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις*, quod quomodo cohaereat cum versu praecedenti, quaestio est paulo difficilior. Priusquam vero eam aggrediamur, ad loquendi usum exigere debemus sensum, quem haec ipsa habeat oratio. Hinc autem iam statim apparet, sequendum non esse MATTHIESIUM, qui verba *τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν* interpretatur *vestra agendi ratio homine Christiano digna*. Nullo enim in loco aut Novi Testamenti aut aliorum scriptorum Adiectivum *ἐπιεικής* cum affinibus ita usurpatur, ut notio illa generalis iis tribuenda sit. Immo virtus, ut satis constat, singularis iis ubique proponitur. At haec tamen quaenam sit, disputari potest. *Vulgatus*, qui Graeca *τὸ ἐπιεικές* reddidit Latino *modestia*, haud iniuste reprehenditur a CALVINO; quoniam PAULUS, ut ait, hoc loco non vetat superbe insolescere. Sed hinc non sequitur, cum eo scribendum esse *moderatio*, aut cum aliis *candor*, vel *aequitas*, vel *humanitas*, vel *bonitas*. Utique si comparamus *Act.* XXIV: 4. 2 *Cor.* X: 1. 1 *Tim.* III: 3. *Tit.* III: 2. *Iac.* III: 17. 1 *Pet.* II: 18, ubi vel Substantivum *ἐπιείκεια*, vel Adiectivum *ἐπιεικής* legimus, nullam esse videmus notionem, quae orationi ubique magis conveniat, quam *lenitatis*. Et haec quidem, ut multis placet Interpretibus, sic locis etiam scriptorum exterorum a LOESNERO allatis commendatur. Recte igitur LAUNAEUS PAULUM *virtutem* praescribere monet *de iure suo cedendi ad servandam pacem*. Verbo autem *γνωσθήτω*, ut iam supra Passiva usurpari deprehendimus, *Philippenses id agere* iubet, *ut haec virtus eorum innotescat*. Quod tamen an MUSCULUS, quem BENGELIUS, EN-

DIUS, multi alii sequuntur, bene explicet: *nota sit re ipsa et per experientiam declaretur*, dubito propter subiecta πᾶσιν ἀνθρώποις, nisi haec dicere velint *hominibus omnis generis*. Hanc certe mentem Apostolo tribuere malo: *Lenitate erga vos invicem praestanda facite, ut omnibus innotescat hominibus, hanc a vobis coli virtutem.* Praecepto autem superiori PAULUS ad hoc delatus esse videtur cogitando, *Philippenses* gaudio perpetuo, quod in CHRISTI communione haberent, optime consulturos, si talem sibi mutuo praestarent lenitatem, ut ea ubique hominibus tam exteris quam Christianis essent conspicui. Longius haud dubie nexum orationis repetiit CHRYSOSTOMUS scribendo: *Εἶπεν ἀνωτέρω· ὢν ὁ Θεὸς* cet. *Ἐπεὶ οὖν εἰκὸς αὐτοὺς πρὸς τοὺς πονηροὺς ἀπεχθῶς διακεῖσθαι, παραινεῖ τοίνυν αὐτοῖς μηδὲν ἔχειν πρὸς ἐκείνους κοινὸν, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς αὐτοῖς κεχρῆσθαι ἐπιεικείας, οὐ μὴν τοῖς ἀδελφοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐχθροῖς καὶ τοῖς ἐναντίοις* Similiter OECUMENIUS et THEOPHYLACTUS, cum itidem hic spectari putent ea, quae cap. III: 19 proposita sunt. Et RHEINWALDUS et omnino omnes, quotquot lenitatem erga Iudaeos adversarios ab Apostolo praeceptam volunt, hunc in locum important, quod Versus praecedentes ab eo alienum fuisse docent.

Quod sequitur in altero membro: *Ὁ Κύριος ἐγγύς, Dominus* (Ille, qui Dominus est) *prope est*, triplicem nobis affert quaestionem: quis sit *ὁ Κύριος*, cur dicatur *ἐγγύς*, et quomodo haec sententia cohaereat cum superiori. Incipimus ab appellatione *ὁ Κύριος*, quam fidenter explicarem *Deus*, si aut integra formula *ὁ Κύριος ἐγγύς* in Veteri Testamento exstaret, aut quaedam ei hic circumiecta essent, ex quibus intelligeretur, PAULUM inter scribendum ante oculos habuisse rationem dicendi Hebraeis antiquis usitatam. Loci enim Novi Testamenti, in quibus *Deus* vocatur *ὁ Κύριος*, ita comparati esse solent, ut verborum Veteris Testamenti vel repetitionem, vel imitationem quandam contineant:

in aliis vero hic honoris titulus vulgo tribuitur CHRISTO. Loquendi igitur usus nobis iam suadet, ut cum Interpretibus plerisque, quos *Syrus* praecessit scribendo ܡܪܢ, CHRISTUM auctoris in mente fuisse censeamus. Sed hanc sententiam, ut HOOGIUS aliique monent, confirmant circumiecta; quandoquidem et CHRISTUS vs. 1, 2, 4 *Κύριος* dicitur, et vs. 6 *Deus* a *Domino* distinguitur. Si autem quaeritur, quid denotet Adverbium *ἐγγύς;* CALVINUS illud exponendum ait: *paratus est ad opem ferendam:* cuiusmodi interpretatio iam placuit PELAGIO multisque aliis, tam recentioris, quam antiquioris aetatis, etiam HEINRICHSIO, ENDIO, RHEINWALDO, MATTHIESIO. Et ei quidem comparant formulam קָרוֹב יְהוָה *Psalm.* XXXIV: 19. CXIX: 151. CXLV: 18. Sed hos locos non esse similes, intelligimus inde, quod formula illa in uno eorum cohaeret cum verbis לְנִשְׁבְּרֵי־לֵב, in altero cum לְכָל־קֹרְאָיו, quibus apud Interpretem *Alex.* respondent Graeca: *τοῖς συντετριμμένοις τὴν καρδίαν* et *πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτόν.* In tertio Hebraea קָרוֹב אַתָּה יְהוָה, quae reddidit Interpres: *ἐγγὺς εἶ Κύριε,* Parallelismi causa significare videntur: *Prope mihi, o Iehova, tuis es mandatis,* vel *ante oculos mihi sunt mandata tua;* quemadmodum *Deut.* XXX: 14 de iussis Divinis legimus קָרוֹב אֵלֶיךָ הַדָּבָר. Etiamsi vero haec argumentatio minus valeat, valde tamen improbabile est, ad vocem *ἐγγύς* in PAULI Epistola, ubi de CHRISTO usurpatur, explicandam, nonnullos adhibere Psalmos, qui *Deum* praedicant cultoribus suis praesentem, atque ita notionem ei affingere, scriptoribus Novi Testamenti plane incognitam. Horum autem scriptorum si habenda ratio est, haud scio, an una ferri possit sententia eorum, qui vocem interpretantur *prope instat* vel similiter. Ex locis certe, quos congessit BRETSCHNEIDERUS, apparet vocem, si Nomen ei vel Pronomen in Genitivo vel Dativo adiectum non est, ubique fere *tempus* denotare *brevi adventurum.* Quod hic etiam fieri haud pauci Viri sermonis veteris peri-

tissimi iudicarunt, inde a CHRYSOSTOMO, qui interpretandi causa scripsit: ἤδη ἡ κρίσις ἐφέστηκε. Minus recte vero nonnulli eorum opinati sunt, *Hierosolymorum eversionem et civitatis Iudaeae casum* praedici: quippe quod, si vel Epistolae *Philippensibus* scriptae, at orationi certe non convenit contextae. Multo probabilius GROTIUS *adventum* CHRISTI *ad iudicium generis humani* in PAULI mente fuisse putavit, Apostolos hunc adventum prope instantem habuisse aiens, quoniam CHRISTUS tempus illud in occulto tenuisset. Difficultas enim, quam WHITBYUS aliique huic interpretationi obstare contendunt, amovebitur facile, si gravissimas meminerimus causas, cur non placuerit Deo primos CHRISTI sectatores hac de re illustrare. Neque asseverare tamen ausim, auctorem sibi iudicium generis humani ita proposuisse, ut casum Iudaeorum inde omnino seiungeret. Et longe quoque quaesitum est quod sibi vult GROTIUS, formulam ὁ Κύριος ἐγγύς desumtam esse ex *Psalmo* XLV: 11 (XLVI: 12): immo si originem eius scrutari volumus, magis praesto nobis sunt verba IESU: ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις *Matth.* XXIV: 33. *Marc.* XIII: 29. coll. *Luc.* XXI: 31. Sed ut supra iam ostendimus spem PAULI, CHRISTUM brevi rediturum esse (1); sic alios quoque Apostolos eiusdem sententiae fuisse apparet ex *Iac.* V: 8, 9. 1 *Pet.* IV: 7. 1 *Ioann.* II: 28, quorum locorum sensus alia interpretatione pervertitur. Ergo verba ὁ Κύριος ἐγγύς sic explicare non vereor: CHRISTUS *brevi adventurus est ad iudicium habendum.* His autem sic explicatis nulla causa est, cum MICHAËLE, HEINRICHSIO aliisque contendendi, ea cum superioribus non

(1) Cff. notata ad cap. I: 6, 10. II: 16. III: 10, 11. Ceterum nostra memoria sententiam, Apostolos sibi adventum CHRISTI prope instantem proposuisse, docte refellere conatus est DONKER CURTIUS, *Bijdragen tot de Beoefen. en Gesch.* cet. Tom. IX. In verbis igitur ὁ Κύριος ἐγγύς interpretandis, p. 319, 320, rationem quoque sequitur CALVINI. Sed eadem, quae supra in medium attuli, argumenta obstare puto, quominus illi assentiendum et a GROTIO discedendum sit.

cohaerere. Quid? quod varium nobis nexum, quo utrumque huius versus membrum contineatur, cogitando fingere possumus. Sed verum fortasse assecuti sumus, si PAULUM facimus dicentem: CHRISTUS *brevi adventurus est ad agendam causam eorum, qui lenitate sua iure suo cesserint.*

VERS. 6.

Incitamento lenitatis proposito PAULUS *Philippenses* sic admonet: *Μηδὲν μεριμνᾶτε· ἀλλ' ἐν παντὶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει μετὰ εὐχαριστίας τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν.* Haec autem admonitio tam dissimilis superioris est, ut nullo nexu contineri videantur. Sed haud raro in libris eodem aggregata reperimus monita argumenti diversi, quod naturali quodam cogitationum progressu factum est, ut deinceps in mentem scriptorum venirent. Exempla si in PAULI quaeris Epistolis, nullum habebis illustrius, quam 1 *Thess.* V: 15 sqq. Similiter autem, ut puto, hoc loco Apostolus, *Philippensibus* ad lenitatem vocatis et vero incitatis, in cogitationem incidit angorum et sollicitudinum, quibus fatigari possent, si gravioribus etiam in rebus de iure suo cederent. Itaque eos continuo adhortatur: *μηδὲν μεριμνᾶτε*, id est, *nulla de re anxii et solliciti estote:* qua voce vere Christiana non diligentem futuri curam et providentiam, homine dignam, reprehendit, sed vanam illam et inanem animi perturbationem, quae a IESU *Matth.* VI: 25 sqq. improbatur. CHRYSOSTOMUS aliique verba *ὁ Κύριος ἐγγύς. Μηδὲν μεριμνᾶτε* arcte connectunt; sed neutiquam audiendi sunt, si demonstravimus supra, quod vulgo quoque sumitur, alterum versus 5 membrum cum altero cohaerere. Nam per interpretandi legem fieri nequit, ut eodem incitamento urgeatur admonitio praecedens et sequens. Et PAULO more receptum non est, incitamentis officia sine Particula *οὖν* vel simili postponere.

Philippensibus, quid cavere debeant, commonefactis, nunc eos Apostolus, quid contra agendum sit, docere incipit scribendo: ἀλλ' ἐν παντὶ τῇ προσευχῇ: quae cum AMBROSIASTER interpretaretur: *sed per omnem orationem*, se Graecum non inspexisse exemplum prodidit, sed serviliter eos imitatum esse, qui iam inepte scripsissent: *sed in omni oratione*. Levius nuperrime peccavit, at peccavit tamen MATTHIESIUS, cum formulam ἐν παντί ita explicabat, ut ei haud secus vocabula τόπῳ et χρόνῳ, quam πράγματι cogitando adiicerentur, et huius explicationis probandae causa provocabat ad *Eph.* V: 24. VI: 18. Col. III: 22. Eandem vel similem potius ingressi viam sunt RHEINWALDUS, FLATTUS, HEINRICHSIUS, ELSNERUS, CRELLIUS, GROTIUS etiam, *Syrum* laudans, apud quem legimus ܒܟܠܙܒܢ, *in omni tempore*. Quid vero efficitur inde, quod *Eph.* VI: 18 usurpata sunt verba ἐν παντὶ καιρῷ? Quid quaerere attinet, utrum illa κατὰ πάντα, quae *Col.* III: 22 exstant, *quovis nomine*, vel *loco*, vel *tempore*, an aliter exponenda sint? Apostolus tantum *Eph.* V: 24 scripsit ἐν παντί; sed ibi Verbum ὑποτάσσεται suadet, ut interpretemur *omni in re*. Et sane quod passim aiunt VV. DD. formulam ἐν παντί pro ἐν παντὶ τόπῳ, vel χρόνῳ, vel καιρῷ positam esse, ad Ellipses refero temere confictas. In libris certe Novi Testamenti nullam reperi orationem, quae ita comparata sit, ut formulam illam his vocabulis supplere cogamur. Contra locorum ibi exstat copia, in quibus circumiecta eam sine dubio interpretari iubeant *omni in re*: nempe 1 *Cor.* I: 5. 2 *Cor.* VI: 4. VII: 5; 11. VIII: 7. IX: 8. *Phil.* IV: 12. Neque hanc interpretationem respuunt ceteri, in quibus nonnihil regnat ambiguitatis. Quid enim obstat, quominus verba ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι 2 *Cor.* IV: 8 exponamus: *nulla in re, qua affligimur, despondemus animum?* Quid admonitionem ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε 1 *Thess.* V: 18 sic intelligere vetat: *quidquid vobis eveniat* (*omni in re*), *gra-*

tias agite? Cf. *Eph.* V: 20, ubi dictioni εὐχαριστοῦντες ὑπὲρ πάντων Adverbium πάντοτε interiectum est. Nec difficultatem parit eadem interpretatio *omni in re* 2 *Cor.* IX: 11, si Graeca ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι sic explicamus: *omni dono insigniori abunde instructi:* immo hanc mentem auctoris esse cogimus ex 1 *Cor.* I: 5. Similiter PAULUM, cum Cap. VII: 16 eiusdem Epistolae aiat: χαίρω, ὅτι ἐν παντὶ θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν, dicere velle: *gaudeo nihil esse, quod in vobis gloriari non ausim*, haud scio, an appareat ex vs. 14. Et Cap. XI: 9, si ἐν παντὶ redditur *omni in re*, hoc referendum est ad vocem ὑστέρημα, quae praecedit. Restat ibidem vs. 6 locus paulo impeditior: ἀλλ' ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς Sed uti verba ἐν πᾶσιν ad *homines* referenda sunt distinctos a τοῖς ὑπερλίαν ἀποστόλοις vs. 5, sic praecedentia ἐν παντὶ hîc quoque explicanda videntur *omni in re.* Nihil certe culpandum puto, si orationi hunc sensum tribuimus: *sed omni in re omnium hominum animis adeo commendati, ut vobis illustres simus.* Quid? quod vox μηδὲν vs. 5 satis perspicue indicat, formulam ἐν παντὶ hîc ita sumendam esse. Sed magis perspicue eadem vox ostendit, admonitionem *Philippensium*, qua nunc occupamur, a CHRYSOSTOMO et plerisque VV. DD. bene intellectam esse, cum formulam illam interpretarentur *in omni re*, quam BRETSCHNEIDERUS ubique locorum eius notionem esse vidit.

Cetera, quae hoc versu continentur, minus ambiguitate laborant. Quod enim admonitionis tanquam caput est: τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν, equidem non dubito, quin imaginem nobis proponat, a regibus, qui ministrorum corona stipati throno insideant, ex Hebraeorum more ad Deum translatam. Et consulte PAULUS Verbo γνωριζέσθω, quod vulgo sequitur Dativus, adiecisse videtur πρὸς τὸν Θεόν, ut genios coelestes, coram Deo stantes ad iussa eius exsequenda, lectoribus non minus repraesentaret, quam ipsum Deum nullius rei ignarum. Orationem vero figuratam sic in propriam

converto: *Facite ut desideria vestra apud Deum explicata sint.* Hoc autem cum faciendum dicat τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, HEINRICHSIUS, STORRIUS, FLATTUS eum Synonymis uti putant. Quod haud probabilius sane est, quam sententia GROTII, COCCEII, VITRINGAE (1), altero vocabulo *preces*, altero *deprecationes* significari. Magis mihi arridet saltem, quod cum multis aliis censet MATTHIESIUS, *orationi ad Deum habitae precationem* proprie ita dictam adiungi, ut species a genere distinguatur. Haec enim interpretatio, uti stare potest *Eph.* VI: 18. 1 *Tim.* II: 1. V: 5, ubi προσευχή et δέησις eodem vel inverso ordine coniunguntur, item, secundum Editionem Receptam, *Act.* I: 14; ita copia confirmatur locorum, qui vocem alterutram continent, nempe *Matth.* XXI: 13. *Luc.* I: 13. VI: 12. *Act.* XVI: 13. *Rom.* X: 1. 1 *Cor.* VII: 5. 2 *Cor.* I: 11. *Phil.* I: 4, 19. 1 *Pet.* III: 12. Causam si quaeris, cur auctor utraque τοῖς αἰτήμασι praeponenda in orationis ubertatem se coniecerit; studiose hoc factum puto, quo diutius *Philippensium* animos in eo teneret, quod efficacissimum vitae Christianae velut alimentum est. Nec frustra adscripsit μετὰ εὐχαριστίας, *cum gratiarum actione*, sed ut se velle ostenderet, τὰς εὐχὰς οὐ μόνον αἴτησιν εἶναι, ἀλλὰ καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ ὧν ἔχομεν. Verba sunt CHRYSOSTOMI, quocum THEODORETUS, OECUMENIUS aliique bene monuerunt, tum demum preces nostras Deo placere, si, beneficiorum nobis praestitorum haud immemores, gratum ei animum, vel in rebus tristissimis, testificemur. Cf. 1 *Tim.* II: 1. Quae cum ita sint, in altero huius versus membro PAULUS dicere vult: *Quacunque in re versemini, oratione et precatione ad Deum habita, quibuscum gratiarum actio coniungatur, facite, ut desideria vestra apud Deum explicata sint.*

---

(1) *Synag. Vet.* p. 1026.

VERS. 7.

Quid autem bonum illud est, cuius in spem *Philippenses* ab Apostolo erigantur? *Ἡ εἰρήνη*, inquit, *τοῦ Θεοῦ*. Sed de huius formulae notione vehementer inter se disceptant VV. DD. Plerique hodie interpretantur *tranquillitas animi a Deo profecta* vel similiter, ut STRIGELIO, BEZAE, ESTIO, LAUNAEO (1) aliisque antiquioribus iam placuit. Nec negari potest, huic interpretationi inesse, quod lectori facile arrideat. Sed leviora tamen sunt argumenta, quae ad probandam eam afferuntur. Quod enim ex locis nonnullis, ut *Rom.* I: 7. V: 1 efficitur, longe quaesitum est. Oratio autem contexta cum plus una alià interpretatione magis quam cum hac conspirat. Quin animi etiam tranquillitas, ut bene monet ERNESTIUS (2), vix aut ne vix quidem dici potest *ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν*; nisi haec explicentur: *nemini cognita alii, quam experientia edocto*, quae audacior PALMII coniectura est. Accedit, quod verba *ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης* vs. 9, quorum ratio hîc omnino habenda videtur, *Deum* non inducunt *tranquillitatis animi*. Magis vero haec verba opitulantur HAMMONDO, CLERICO, MICHAËLI, qui *pacis mutuae studium* vel *conservationem* ab Apostolo vs. 7 proponi putant. Sed his Interpretibus obstant quoque connexa *ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν*: siquidem nec pacis studium vel conservatio hoc nomine laudari potest, quod *omnem cogitationem superat*, nec per loquendi usum scribere li-

---

(1) Hic tamen vocabulis *τοῦ Θεοῦ* eandem etiam inesse ait *excellentiae* notionem, quam aliis in locis habeat appellatio *Dei*. Et sunt, qui ei assentiantur. Sed multis fraudem fecit regula GLASSII. Tom. I. p. 40, 41: Hanc enim *Superlativi* significationem non capit oratio Novi Testamenti; nec mentem Poëtarum Hebraeorum omnino explicant, qui e. c. verba הררי־אל et ארזי־אל *Psalm.* XXXVI: 7 et LXXX: 11 interpretantur *montes altissimi*, *cedri altissimae*. Cf. GESENIUS, *Lehrgebäude der Hebr. Sprache*. p. 694.

(2) *Neue Theol. Biblioth.* Tom. X. p. 28, 29.

cet: *quae omne, quod cogitatur* vel *omnem scientiam superat*, ut voci νοῦν notio Passiva tribuatur. Novi quidem ea, quae exstant Col. III: 15: καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Χριστοῦ (sic enim legendum) βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, *pacis studium* commendare, *ut Christi proprium* (cf. vs. 13); sed ab hac tamen *admonitione Colossensium* adeo differt *promissio* facta *Philippensibus*, ut hîc verba ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ eodem modo accipi nequeant atque illic ἡ εἰρήνη τοῦ Χριστοῦ. Brevitatis causa nunc mitto sententias a probabili longius remotas. Generatim animadvertatur oportet, argumentum versus 6 tale esse, ut versu 7 promissionem exspectemus boni, quod *Philippensium* desideria, ad voluntatem Dei enunciata, *in coelis* auditum iri ostendat. Atqui exspectatio illa expletur; si formulae ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ Metonymiam inesse censemus, ut significet *Dei benevolentiam, benignitatem, favorem*, quae interpretatio GROTII est, fortiter ab ERNESTIO defensa (1). Et sane, ut in oratione substrata nihil est, quod huic interpretationi adversetur, ita pondus ei et momentum affert comparatio vocis שָׁלֹם, qua Hebraei de *omni bono*, ideoque etiam de *benevolentia, benignitate, favore* utuntur. Tum primo adspectu eam confirmant loci, ubi sectatoribus CHRISTI, uti Cap. I: 2, εἰρήνη divinitus exoptatur. Verumtamen si mecum reputo, voci εἰρήνη ibi praeponi χάριν et utramque peti ἀπὸ Θεοῦ, mihi dubitandum non videtur, quin VV. DD. dissimilibus inter se comparandis sibi fraudem faciant. Nec formula ὁ Κύριος τῆς εἰρήνης 2 *Thess.* III: 16, cum ei adiectum sit: δώῃ ὑμῖν τὴν εἰρήνην διαπαντός, aliter explicari potest, quam *Dominus pacis auctor*. Similiter verba ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης *Rom.* XVI: 20, propter sequentia συντρίψει τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει, explicanda sunt *Deus pacis auctor*. Et locis *Phil.* IV: 9. 1 *Thess.* V: 23. *Hebr.* XIII: 20

(1) l. c. p. 28 sqq. Coll. Tom. VIII. p. 759.

nihil inest, quod hinc discedere cogat. Quae cum ita sint, hoc etiam loco notionem *pacis* retinere malo cum CHRYSOSTOMO aliisque multis, qui interpretantur: *pax hominis Christiani cum Deo*. At vero, cum non videam, quomodo in pacem cadant subiecta *φρουρήσει* cet. hactenus ab iis dissentio, ut *paci* per Prosopopoeïam adscriptum putem *illud, quod a Deo proficiscitur, qui pacem cum hominibus fecit*. Ergo Graeca *καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ, ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν*, vertendo quidem reddo: *et pax illa Dei, quae omnem cogitationem superat;* sed haec ita expono: *et Deus, pacis illius auctor, quae omnem cogitationem superat, ideoque efficax est super omne, quod homini venit in mentem*. Similiter PAULUS *Eph*. III: 19, 20, quo loco Interpretes, quisque ad suam sententiam confirmandam, usi sunt, *τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγαπὴν τοῦ Χριστοῦ* praedicat Deoque vim tribuit faciendi *ὑπὲρ πάντα ὑπερεκπερισσοῦ, ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν*.

Faciliora intellectu sunt sequentia *φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*. Postrema enim *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* dubitari nequit, quin hîc quoque dicere velint: *in communione* CHRISTI IESU. Praecedentia *τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν*, cum utramque mentis humanae, ut recte monet CALVINUS, proponant facultatem, voluntatem et intellectum, *omnem mentis amplitudinem* denotant. Connexa autem *φρουρήσει ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* CHRYSOSTOMUS, quocum consentiunt OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS, alii, bene interpretatur: *ἐν αὐτῷ φυλάξει, ὥστε μένειν καὶ μὴ ἐκπεσεῖν αὐτοῦ τῆς πίστεως*. Verbum igitur *φρουρήσει*, a re militari ad CHRISTI causam translatum (cf. 1 *Pet*. I: 5), hoc loco veluti praegnans est, ut sic explicandum sit: *custodiet ut perseveretis*. Sunt quidem, qui cum *Vulgato Lat*. scribere malint *custodiat*, Futurum pro Optativo positum esse contendentes. Quod aiens iam CHRYSOSTOMUS, PAULI mentem esse coniecit: *Ὁ ῥυσάμενος ὑμᾶς*

οὕτως, ὡς οὐδὲ νοῦς καταλαβεῖν δύναται, αὐτὸς ὑμᾶς διαφυλάξει, καὶ ἀσφαλίσαιτο, ὥστε μηδὲν παθεῖν. MATTHIESIUS utrumque ita coniungit, ut Apostolum et optare aiat et promissionem facere. Sed ut haud scio, an interpretandi leges utrumque coniungere vetent, sic iam supra demonstratum est, orationis seriem postulare, ut Futuri notio retineatur cum ERASMO, CALVINO, GROTIO, ERASMO SCHMIDIO. SCHMIDIUM cum recte etiam ad loquendi usum provocasse ex comparatione appareat verborum versus 9: ταῦτα πράσσετε· καὶ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἔσται μεθ' ὑμῶν, otium mihi factum est exempla, quorum ingens exstat copia, aliunde afferendi. Ergo PAULUS *Philippensibus* exponit, quid illis exspectandum sit, si desideria sua, ut oportet, apud Deum explicaverint. Non pollicetur nempe Apostolus, ut verbis utar SLICHTINGII, omnino fore, ut nos Deus ex calamitatibus et angustiis in hac vita liberet; sed pollicetur nobis id, quod omnibus huius vitae bonis maius et optabilius est, pacem nimirum illam Dei, quae exsuperat omnem mentem.

VERS. 8.

Promissione *Philippensibus* facta PAULUS ad rem alius argumenti transgreditur, ut ostendit formula τὸ λοιπόν, de qua diximus ad cap. III: 1. Primum igitur scribens ἀδελφοί appellatione utitur, qua lectorum animos, si gravius quid praecepturus est, sibi conciliare solet. Tum haec sequitur admonitio: ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνά, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνά, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετή, καὶ εἴ τις ἔπαινος, ταῦτα λογίζεσθε. Verborum cumulo auctor animi sui ardorem patefacit. Nec virtutes, quas *Philippensibus* commendare vult, ad scholae diligentiam recenset, sed populariter eas enumerat, prouti aliae sibi post alias succurrunt. Mens eius esse videtur: *Ceterum, Fratres, quaecunque sunt vera, quaecunque decora, quaecunque iusta,*

quaecunque casta, *quaecunque amabilia*, *quaecunque bonae famae*, *si quae virtus et si quid laudabile est*, *haec considerate*. Haec vero interpretatio ut lectori probetur, nonnihil disputandum esse video.

Incipimus ab Adiectivo *ἀληθῆ*, quod sequentibus *σεμνὰ*, *δίκαια* cet. minus convenire videtur, si notio eius retinetur vulgaris. Ergo CHRYSOSTOMUS interpretandi causa adscripsit: *Ταῦτα ὄντως ἀληθῆ, ἡ ἀρετὴ, ψεῦδος δὲ ἡ κακία. Καὶ γὰρ ἡ ἡδονὴ αὐτῆς ψεῦδος, καὶ ἡ δόξα αὐτῆς ψεῦδος, καὶ πάντα τὰ τοῦ κόσμου ψεῦδος*. Magis perspicue THEOPHYLACTUS vocem explicuit *ἐνάρετα*. Veterum vestigiis institerunt recentiores haud pauci, etiam MATTHIESIUS, qui PAULUM in mente habuisse monuit *vero consentanea*. Sed quidni hac in *populari* recensione eorum, quae hominem decent Christianum, cetera praecedere potest *illud*, *quod verum omnique falso oppositum est?* Fateor quidem, huic interpretationi minus favere postrema huius versus *ταῦτα λογίζεσθε*, si exponantur cum GROTIO: *hoc animo recolite*, *nempe ideo*, *ut et in actionem producatis*. At verba illa plus non dicunt quam *haec considerate*, *ad haec animum advertite*, ut recte scripsit BRETSCHNEIDERUS (1). Iam *Philippenses* ad *vera* haud secus animum advertere poterant, ut ea sectarentur, quam ad *decora* et *iusta*, ut vitam suam iis illustrarent. *Decora* inquam et *iusta*: haec enim vocabulis *σεμνά* et *δίκαια* denotari, satis exploratum est. De sequenti vero *ἁγνὰ* disputatur. *Vulgatus Lat.* an ideo scripserit *sancta*, quod pro *ἁγνὰ* in exemplo suo legeret *ἅγια*, equidem definire non ausim: sed scribere non poterat *casta*, quoniam praecedens *σεμνὰ* interpretatus erat *pudica*. Utique manifestus error est. Similiter errant, quotquot Apostolum commendantem faciunt *quae pura*, *non fucata*, *nullo vitio contaminata sunt*. Quamvis enim docent Lexi-

(1) Cff. loci ab eo laudati: *Rom.* II: 3. 2 *Cor.* X: 11.

cographi, Adiectivum *ἁγνός* saepissime apud scriptores Graecos hanc notionem *generalem* habere, illud tamen in oratione PAULI non convenit circumiectis, nisi *singulare* quid eo denotetur. Deinde si in huius Apostoli Epistolis lustramus locos, in quibus vox illa exstat, nihil aliud quam *castitas* significari videtur, etiam 2 *Cor.* VII: 11 et 1 *Tim.* V: 22, ubi nulla causa est praeceptum: *Σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει* aliter explicandi, quam: *Te castum semper praesta.* Ergo sine scrupulo CALVINUM, GROTIUM et plerosque sequor Veteres, qui hîc etiam scripserunt *casta.* Adiectivo *προσφιλῆ* dici constat quae *amabilia* sunt: sed hallucinatus est OECUMENIUS ei adscribens: *ἢ τῷ Θεῷ, ἢ τοῖς πιστοῖς*; nec minus CAMERARIUS, cum hoc corrigere volens notaret: *immo et Deo et hominibus.* PAULUS enim hoc in versu, *Dei* non habita ratione, officia tantum recenset erga *homines* praestanda. Ita et voce *εὔφημα Philippenses* adhortatur, ut expetant *quod inter homines bonae famae est.* STORRIUS quidem *sermones* laudari contendit, *qui bene aliis precantur bonamve de iis opinionem significant:* nec se refragari ait, si quis illud etiam *εὐφημίας* genus, quod precibus universe et nominatim *εὐχαριστίᾳ* erga Deum cernitur, includere velit: sed, ut longe quaesita sunt, quae ad hanc interpretationem probandam ab eo in medium afferuntur; sic sententia vulgari deserenda frustra cavere conatur, ne verbis sequentibus *εἴ τις ἔπαινος* repetitio insit eiusdem admonitionis, quam hîc legimus. Quid enim hac in populari oratione obstat, quominus, ut in sermone quotidiano saepissime, duo concurrant eiusdem generis eodemque spectantia? Sed fallitur quoque opinione Vir Doctus, ubi idem bis praecipi putat, si Adiectivum *εὔφημα* exponatur *quod bonae famae est.* *Philippensibus* nempe eorum, quae consideranda essent, commonefactis, Apostolus, ne quid fortasse praeteriisse videretur, iis adiecit: *εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις ἔπαινος,* id est, ut PALMIUS recte interpretatur: *si alia vir-*

tutis nomine dicenda et laudabilia vobis in mentem veniunt, ea huic admonitioni inesse censete. Temere WAKEFIELDIUS (1) aliique vocabula *ἀρετή* et *ἔπαινος* habent pro Synonymis. Alterum Graecis usurpatum fuisse ad denotandum omne, *quod rectum et honestum est*, sexcenti pariter docent loci, atque hoc Poëtae incerti dictum (2):

Τούς τε γονεῖς τίμα, τούς τ' ἄγχιστ' ἐκγεγαῶτας·
Τῶν δ' ἄλλων ἀρετῇ ποιεῦ φίλον, ὅστις ἄριστος.

Loquendi usum etiam observatum reperimus *Sap.* IV: 1. 2 *Pet.* I: 5. Alius vero generis loci Literarum Sacrarum sunt, qui *Deo ἀρετήν* vel *ἀρετάς* tribuunt, uti 1 *Pet.* II: 9: quamquam in plerisque eorum retinenda etiam est notio *virtutis*. *Virtuti* autem cum adiungatur *ἔπαινος*, quisque facile intelligit, *laudem* per Metonymiam dici pro *eo*, *quod laudabile est.* Atque hanc ut tueatur interpretationem, CALVINUS in moribus corruptis tantam iudiciorum perversitatem esse monet, ut saepe quod vitiosum est laudetur. Ceterum Veteres, quos sequitur *Vulgatus Lat.* temere in orationem importarunt vocabulum *ἐπιστήμης* vel *disciplinae*, quod ab eius argumento plane alienum esse constat.

VERS. 9.

Admonitioni superiori nihil inest, quod lectores morari possit: sed ei tamen, quo explicatior omnibus sit, PAULUS adiicit: *Ἃ καὶ ἐμάθετε, καὶ παρελάβετε, καὶ ἠκούσατε, καὶ εἴδετε ἐν ἐμοί.* Dicendi vero ubertas Interpretibus dissensionis peperit argumentum. Et THEOPHYLACTUS quidem auctori hanc tribuit mentem: *Ὅσα ἐμάθετε καὶ ἠκούσατε διὰ διδασκαλίας, καὶ παρελάβετε ἐγγραφῶς, καὶ εἴδετε ἐν ἐμοὶ δι'*

---

(1) Part. IV. p. 189, 190.

(2) PYTHAG. *Aur. Carm.* vs. 5. Cf. HARLES. *Anthol. Graec. Poët.* p. 65.

ἔργων αὐτοῦ. Sed interpretatio illa, ne plura ei opponam, propterea ferri nequit, quod hunc in locum Traiectionem importat ingratam et insolentem. Paulo melius PELAGIUS orationem sic explicat: *quae et didicistis verbo, et accepistis exemplo, et audivistis auribus, et vidistis oculis.* At Verbum tamen *παραλαμβάνω*, vehementer dubito, an salvo loquendi usu *institutionem* denotare possit, *quae exemplo alicuius debetur.* Nec se commendat quod GROTIUS ait: »*Ἐμάθετε* hîc significat *primam institutionem, παρελάβετε exactiorem doctrinam: ἠκούσατε* refertur ad *familiares sermones*, doctrinam aptantes rebus enatis, *εἴδετε* vero ad *ipsas* PAULI *actiones.*" Nam in Novi Testamenti libris aeque atque alibi quaesivi frustra, quod facultatem praebeat notiones verborum *ἐμάθετε*, *παρελάβετε* et *ἠκούσατε* ita distinguendi. Accedit, quod ipsa illa distinctio animatam Apostoli orationem flore suo et vigore quodammodo destituit. At haec vero, inquies, si spernenda sunt, quid tandem est, quod probari mereatur? Num sententia fortasse, Verba *ἐμάθετε*, *παρελάβετε*, *ἠκούσατε* Synonyma vel certe talia esse, ut notiones habeant a se invicem minus distinguendas? Ita iudicarunt CALVINUS, HEINRICHSIUS, PALMIUS, RHEINWALDUS, alii, quos iam praecessit OECUMENIUS scribens: *Διὰ διδασκαλίας ἐμάθετε, καὶ παρελάβετε, καὶ ἠκούσατε, δι' ἔργων δὲ ἴδετε.* Sed pace Virorum Doctorum a me impetrare non possum, ut iudicio illi calculum adiiciam. Orationem enim non inducunt graviter cumulatam, sed nequidquam oneratam, quam scriptores populares haud secus aspernantur ac philosophi. Immo vero ut PAULUS mentem graviter enunciet, verbis tribuendae sunt notiones, quae gradationem faciunt. Neque illae sane longe quaerendae sunt, dummodo loquendi usum religiose sequamur. Ergo quatuor Verba *ἐμάθετε*, *παρελάβετε*, *ἠκούσατε* et *εἴδετε* sic interpretor, ut priora cum ESTIO referam ad *Apostoli doctrinam*, posteriora ad *eius vitam*. At illud tamen, quod secun-

do in loco positum est, cum eo explicandum non puto: *quae vobis agenda tradidi*, sed: *quae vos a me accepistis*, ut post COCCEIUM aliosque placuit STORRIO et FLATTO, neque omnino displicere videtur MATTHIESIO. Verbum igitur παρελάβετε eandem vim habet atque ἐδέξασθε, quocum 1 *Thess.* II: 13 permutatur Participium παραλαβόντες: quemadmodum *Gal.* I: 12 a se invicem destinguuntur παρέλαβον et ἐδιδάχθην. Similiter Verbum illud de *doctrina accepta* usurpatur 1 *Cor.* XV: 1. *Gal.* I: 9. *Col.* II: 6 ceterisque in locis, qui institutionem spectant. Posterioribus ἠκούσατε et εἴδετε proponi ea, *quae Philippenses de vita* PAULI *audivissent et vidissent*, facile intelligitur ex comparatione cap. I: 30, quamquam hîc non in Praesenti scriptum est ἀκούετε, sed in Aoristo ἠκούσατε, quoniam Aoristi circumiecti sunt. Iam formula sequens ἐν ἐμοί cum proximo εἴδετε tantum congruit, non cum remotioribus ἐμάθετε, παρελάβετε, ἠκούσατε: at significat tamen sic ea sumenda esse, ac si Pronomen cum Praepositione post se habeant. Principium autem sententiae ἃ καί haud dubie inservit ad eam connectendam cum praecedentibus, non cum sequentibus, quod BENGELIUM contendisse valde miror. Cum enim Versu 8 satis plena et perfecta virtutum hominis Christiani legatur recensio, quid est, quaeso, quod Vir Doctus aiat, a *generalibus* nunc transitionem fieri ad *Paulina?* Sed quo melius *Philippensium* in oculos incurrerent, quae iis consideranda essent, scripsit auctor: *eadem volo illa*, *quae ego vos Philippis edocui* cet. Subiecta vero ταῦτα πράσσετε recte intelligunt, qui cum BEZA interpretantur: *Haec*, *inquam*, *facite*. Partem quidem illa verba continent eorum, quae hoc in versu ad explicandum superiorem allata sunt; sed vel sic tamen referri tantum debent ad proxima ἃ καὶ ἐμάθετε cet. ad remotiora ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ cet. non item. Nec fortasse PAULUS ea adscripturus fuisset, nisi cavere vellet, ne *Philippenses* opinarentur, se monuisse, quae tantum *consideran-*

da essent. Ceterum in altero huius versus membro: καὶ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἔσται μεθ' ὑμῶν promissionem fieri: *et si vosmet ita geritis, Deus pacis auctor vobis ope sua aderit*, ex iis sequitur, quae disputavimus ad vs. 7.

VERS. 10.

Nunc tandem PAULUS donum, quod a *Philippensibus* per EPAPHRODITUM accepit, verbis memorat expressis. Ἐχάρην δὲ, inquit, ἐν Κυρίῳ μεγάλως, ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν· ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, ἠκαιρεῖσθε δέ. Sed variam disputandi materiam haec brevis praebuit sententia. Verba ei insunt rarius usurpata vel notionis minus certae. Orationis structura insolentior est. Res attinguntur obiter, quarum memoriam obliteravit vetustas. Mirandum igitur non est, hoc in loco Interpretes valde laborasse et sudasse.

Difficultatem maxime peperit, quod medio hoc in versu legitur. Et prima quidem quaestio est, vocabula ἤδη ποτέ vertendo reddenda sint *iam olim*, an *tandem aliquando*. Notionibus, quas utrumque per se habet, nihil definitur. Neque in locis, ubi coniuncta sunt, loquendi usus sibi constat adeo, ut alterum satis tuto alteri praeferre possimus (1). Sed PAULUM si PAULI Interpretem faciamus oportet, comparatio verborum eius *Rom.* I: 10 docet, eum in mente habuisse *tandem aliquando*, quod hic igitur scribere non vereor. Acrius disputatum est de Verbo ἀνεθάλετε. Imaginem petitam esse ab arboribus, quae, cum per hiemem mortuae videantur, quod vis earum intus contracta lateat,

(1) KYPKIUS ad *Rom.* I: 10 varios attulit locos, in quibus vocabula ἤδη ποτέ significant *tandem aliquando*. Addantur PLUTARCH. *Flamin.* p. 380 E. DION. *Halic.* Lib. XI: p. 722. Eandem interpretationem probavit WETSTEN. ad h. l. At locos tamen exhibuit DINDORF. ad STEPH. *Thes.* ubi sine dubio formulae tribuenda notio est Latinae *iam olim*. Dixeris fere hanc magis in oratione ligata, illam in soluta regnare.

vere rursus flores et frondes emittere incipiant, LAUNAEUS, ESTIUS, multi alii monuerunt. Iam CHRYSOSTOMUS adscripsit: *ὡς ἐπὶ δένδρων βλαστησάντων, εἶτα ξηρανθέντων, καὶ πάλιν βλαστησάντων.* Unde simul apparet, eum Verbum *ἀνεθάλετε* habere Intransitivum. Atque ita omnes, quantum scio, Veteres, tum ERASMUS, LUTHERUS, CALVINUS, plerique Interpretes recentiores, etiam PALMIUS, RHEINWALDUS, MATTHIESIUS. Haud pauci tamen, duce GROTIO, interpretantur *reflorescere fecistis*, *resuscitastis*, *renovastis* vel similiter. Et quater sane *ἀναθάλλω* apud *Interpretem Alex.* Transitivum est: *Ezech.* XVII: 24. *Sir.* I: 18. XI: 22. L: 10. Sed loci illi dissimiles sunt, quoniam ibi sequuntur vocabula *ξύλον*, *εἰρήνην*, *εὐλογίαν*, *καρπούς*, quibus vel ea significantur, quae revirescere possunt, vel res saltem cum iis comparandae; at hîc Verbo subiectum est Activum *τὸ φρονεῖν*, quod cum arboribus vel fructibus nihil habet commune. Quod tanti duco, ut ne aliam quidem notionem hac in oratione ferri posse putem, quam *reviruistis*, quae reperitur quoque *Psalm.* XXVII: 7. *Hos.* VIII: 9. *Sap.* IV: 4. *Sir.* XLVI: 12. XLIX: 10, apud AQUILAM *Psalm.* CXXVIII: 6. Accedit, quod nusquam scriptores exteri hoc Verbum, quamquam rarius eo utebantur, fecerunt Transitivum (1). Verum si *ἀνεθάλετε* Intransitivum est, quaeritur, quomodo cum eo cohaereant sequentia? An propagatum fortasse est *τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν*, quoniam prima litera Praepositionis *ὑπέρ* Librarii cuiusdam oculis hanc fraudem fecit, ut Accusativum *τό* pro Genitivo *τοῦ* legeret? Atqui omnia inter se adeo consentiunt exempla, ut nihil mutare ausim. Dicere saltem praestat, PAULUM scripsisse *ἀνεθάλετε*, ut *Philippenses* ad priscam prosperitatem rediisse significaret, quemadmodum Verba *florendi* et *germinandi* apud Veteres per Metaphoram de *prospero rerum statu* usurpantur: eum-

(1) Vide praeter STEPHANUM aliosque Lexicographos WINERUM. p. 82.

vero, ne notio propria pro figurata sumeretur, Infinitivum illi adiecisse Epexegeticum, ut *τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν* explicandum sit: *negotium volo mihi consulendi.* Aliis igitur verbis ait: *vires mihi consulendi recuperastis* (1). Primo quidem adspectu facilior videtur interpretatio, si, praeeunte *Syro*, cum MICHAËLE aliisque Verbum *ἀνεθάλετε* exponimus *denuo incepistis:* sed ea probata, et prorsus negligitur simile, quod auctor a germinando ad rem *Philippensium* transtulit et Antithesi, quae Verbis *φρονεῖν* et *ἐφρονεῖσθε* inest, vis sua adimitur, nisi formulae *ἐφ' ᾧ* notionem alienam affingere velimus.

Nimirum Apostolus, cum sic progrediatur: *ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε,* Praeteritum diserte opponit Praesenti. Declarat igitur *Philippenses* sibi iam antea consuluisse. Nam per breviloquentiam scriptum esse *ἐφρονεῖτε* pro *ἐφρονεῖτε ὑπὲρ ἐμοῦ,* ipsa docet orationis series. Formulam quod attinet *ἐφ' ῳ,* narrare infinitum sit, quam vehementer VV. DD. inter se de ea discrepent, ut alii eam interpretentur *de quo,* alii *ad quod,* alii *qua de re tamen,* alii *quamquam,* alii aliter. Sed nulla causa est deserendae notionis *quemadmodum,* quam supra ad Cap. III: 12 interpretationibus ceteris praetuli. Hinc autem sequitur, PAULUM praecedentia sic emollivisse: *Non scripsi: tandem aliquando consuluistis mihi, sed: tandem aliquando vires mihi consulendi recuperastis: consuluistis enim iam antea.* Eodem redit sensus, si formula *ἐφ' ᾧ* explicatur *quandoquidem.* Quae cum ita sint, non amplius difficile dictu est, quid sibi velint postrema *ἠκαιρεῖσθε δέ.* Haec enim, si quid video, respondent superioribus *ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε,* quemadmodum Praesenti *φρονεῖν* Aoristum *ἐφρονεῖτε.* Atqui eo posito falluntur haud secus, quotquot auctori hanc mentem tribuunt, *Philippenses* ignorantia loci,

(1) Cff. WINER. p. 298. BERNHARDY. p. 354 sqq. De vi formulae *ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν* diximus p. 50. Ceterum legatur quoque *Nov. Test. Valp.*

ubi versaretur, facultate caruisse commercii secum habendi, quam qui eum dicentem faciunt, sibi antea praesto fuisse neminem, qui ad iter Romam suscipiendum paratus esset. Neque ulla probabili nititur ratione quod STORRIO et FLATTO placuit, Apostolum importunitatem significasse factionis sibi adversariae, qua homines bene sibi cupientes impedirentur, quominus liberalitatem suam ostenderent. Sed eos ex rerum abundantia, qua primum floruissent, ad inopiam redactos esse ait, per quam sibi succurrere non liceret. Sic iam CHRYSOSTOMUS, quem haud pauci secuti sunt, verba interpretatus est scribens: *οὐκ εἴχετε ἐν χερσὶν, οὐδὲ ἐν ἀφθονίᾳ ἦτε.* Ipsa quidem notio Verbi *ἠκαιρεῖσθε*, cum illud a scriptoribus antiquis minus frequentatum sit, magis ex affinium comparatione, quam ex loquendi usu intelligitur (1): sed de eo tamen inter se consentiunt fere omnes, Graeca *ἠκαιρεῖσθε δέ* Latine reddenda esse: *occasio vel copia vero vobis deërat.*

Restat nunc, ut nonnihil moneamus de principio huius versus: *ἐχάρην δὲ ἐν Κυρίῳ μεγάλως*, unde pendent cetera. Adverbium *μεγάλως* in Novo Testamento *ἁπαξλεγόμενον* est, sed nemo tamen illud cum DRUSIO vertendo reddere nolet *magnopere.* Praecedentia *ἐν Κυρίῳ* si explicamus *in communione Domini;* PAULUS se non *sua causa* gavisum esse declarat, sed *quatenus Apostolus* CHRISTI *esset.* Huius vero explicationis probandae otium nobis faciunt quae diximus vs. 2, 4 ceterisque in locis, ubi formula *ἐν Κυρίῳ* exstat. Aoristum autem *ἐχάρην* nec Praesens excludit, nec Praesentis locum tenet; sed de industria Apostolus eo usus est, ut tempus denotaret inde ab illo die, quo EPAPHRODITUS *Romam* venisset, donum *Philippensium* afferens. Ceterum Particula *δέ*, *vero*, negligenda non est, cum indicio nobis sit, versus 9 et 10 nexu non plane carere. Et aucto-

---

(1) LOBECK. ad PHRYN. p. 126. FIX. ad STEPH. *Thes.* h. v.

ris quidem in mente hunc fuisse puto nexum: *sed missis aliis, quae hominem decent Christianum, magno affectus sum gaudio, quod copia vobis rursus data est officii caritatis erga me praestandi.*

VERS. 11.

Diserte PAULUS *Philippensibus* scripserat, se CHRISTI studio duci, cum de meliori, qua nunc uterentur, gauderet fortuna. Sed homines suspiciosos esse sciens, pluribus nunc praeveniendam censebat opinionem, se suo commodo servire. Rationem igitur eorum, qui in populari sermone se ipsi corrigunt, secutus, ait: *Οὐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω.* Formulam *καθ' ὑστέρησιν* plerique vertendo reddunt *propter penuriam*, quod RAPHELIUS, WOLFIUS, STORRIUS probare conantur afferendis locis, in quibus Pronomini *κατά* Latinum *propter* respondeat. Sed loci hic tantum comparandi esse videntur, in quibus exstat etiam Verbum *λέγω*, uti *Rom.* III: 5. 1 *Cor.* VII: 6. 2 *Cor.* VIII: 8. XI: 21. *Gal.* III: 15, quorum partem excitavit ELSNERUS. His vero lustratis intelligimus, et CALVINUM, quocum BEZA, ESTIUS, BENGELIUS, MATTHIESIUS vel omnino consentiunt, vel certe a vulgari interpretatione discedunt, recte scripsisse *secundum penuriam*, et hoc explicandum esse: *Nolite illud a me dictum putare, ut more receptum est penuriae*, seu *hominibus penuria oppressis.* Quod autem proxime sequitur: *Ἐγὼ γὰρ ἔμαθον, ἐν οἷς εἰμι, αὐτάρκης εἶναι*, haud dubie sibi vult: *Ego enim mea sorte, quaecunque illa sit, contentus esse didici.* Verba *ἐν οἷς εἰμι* cur LUTHERUS interpretatus sit *apud quoscunque sum*, ut Pronomen *οἷς* Masculinum faceret, ignoro. Neutrius generis illud est in similibus scriptorum variorum locis, quos congesserunt WETSTENIUS, RAPHELIUS, KYPKIUS. KYPKIUS vero, cum reticeri putet vocem *πράγμασι* haud secus quam BOSIUS, qui omis-

sum esse monet *χρήμασι* vel *κτήμασι*, Ellipsin fingit, ubi oratio plena est, ut si in sermone vernaculo cum Interprete nostro scribimus: *in heigene ik ben.* Vim Pronominis *ἐγώ*, qua se PAULUS ab aliis distinguit, BENGELIUS unus in paucis est, qui animadverterunt. Eius vero observatio magnopere confert ad quaestionem dirimendam, quomodo Verbum *ἔμαθον* accipi debeat. CHRYSOSTOMUS nempe scribens: *ἄρα διδασκαλίας ἐστὶ το πρᾶγμα, καὶ γυμνασίας, καὶ μελέτης*, Apostolum dicentem facit, se didicisse *experientia.* Contra PELAGIUS ei hanc mentem tribuit: *A* CHRISTO *omnia aequanimiter ferre sum edoctus.* Utrumque, haud pauci sunt, qui sequantur. Alii haerent cum ESTIO, haec an illa sententia alteri praeferenda sit, vel eas coniungi iubent. Sed cum PAULUS Pronomine *ἐγώ molestias et aerumnas* spectet, *quae ipsum multo magis quam alios exercuerint*, dubitandum non videtur, quin Verbum *ἔμαθον doctrinam* significet *quotidiano usui debitam. Quidquid alii*, inquit, *sentiunt aut cupiunt*, *me molestiae et aerumnae docuerunt* cet. Vocabulum *αὐτάρκης*, quod semel tantum in Novo Testamento exstat, bene interpretantur, qui verba *ἐν οἷς εἰμι, αὐτάρκης εἶναι* idem valere monent atque *ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσι Hebr.* XIII: 5. Ceterum conferri meretur quod SOCRATES rogatus, quis esset ditissimus, respondit: *Ὁ ἐλαχίστως ἀρκούμενος. Αὐτάρκεια γὰρ φύσεώς ἐστι πλοῦτος* (1).

VERS. 12.

Per singula PAULUS persequitur, quod generatim se didicisse professus est, et primum quidem verbis: *Οἶδα καὶ ταπεινοῦσθαι, οἶδα καὶ περισσεύειν.* Nam Particula *δέ*, quam Editio habet Recepta, clam quidem a BEZA illata non est, ut invidiose suspicatur MATTHAEUS, sed Librariis tamen de-

---

(1) STOB. Tit. V. § 43.

betur, qui nec animadverterunt, singularia nunc dictum generale excipere, neque hanc ipsam orationem intellexerunt. PAULO, quod suum erat, ad optimorum librorum fidem restituerunt recentiores Novi Testamenti Editores fere omnes. Iam Verba ταπεινοῦσθαι et περισσεύειν quid sibi velint, Interpretes inter se disputant. Posteriori ERASMUS, VATABLUS, CALVINUS, alii *excellendi*, quam *abundandi* notionem tribuere maluerunt, quoniam prius *humilitatem* significat et infra demum *copia* et *inopia* memorantur. Sed, ut gravis horum Virorum auctoritas est, ita leviores sunt rationes illae, quam ut ad causam eorum tuendam valeant. In populari enim Literarum Sacrarum sermone haud raro fit, ut Antithesis obliqua et imperfecta reperiatur, ubi rectam et perfectam sibi postulet oratio philosopha. Ita et ab hoc sermone remotum non est eorum attingere partem, quorum ad expositionem locus demum inferior pateat. Nec importuna tamen et inanis PAULO affingitur ταυτολογία, si Verbum περισσεύειν hîc vertendo reddimus *abundare*, quam notionem illud ubique habet, etiam in locis, quibus SCHLEUSNERUS aliique Lexicographi notionem *excellendi* vindicare studuerunt. Atque hoc unum orationi convenit contextae, ubi quaestio de *abundantia* est, de *excellentia* non item. Quae cum ita sint, plerisque Interpretibus recentioribus, quos CHRYSOSTOMUS, OECUMENIUS, THEOPHYLACTUS aliique Veteres praecesserunt, obtemperare non dubito et scribere *abundare*, quod data opera etiam defenderunt BEZA, ESTIUS, RHEINWALDUS. Idcirco tamen non assentior iis, qui oppositum ταπεινοῦσθαι apud Hellenistas significare contendunt *inopiam*, quod iam a THEOPHYLACTO sumtum nostraque memoria propagatum nollem a SCHLEUSNERO, WAHLIO, BRETSCHNEIDERO. In locis enim, quantum memini, omnibus, ad quos provocari solet, generalis *deprimendi* significatio retinenda est, etiamsi oratio *depressionis* speciem, et quidem *inopiam* respiciat. Totus igitur acquiesco in hac admonitione

sum esse monet *χρήμασι* vel *κτήμασι*, ... tur
oratio plena est, ut si in sermone ver... ia)
nostro scribimus: *in helgene ik ben* ... ra-
qua se PAULUS ab aliis distinguit, ... bus
est, qui animadverterunt. Eiu... or-
confert ad quaestionem dirime... his
θον accipi debeat. CHRYSO... iae,
δασκαλίας ἐστὶ το πρᾶγμα. ... *θον*
stolum dicentem facit, ... *in*
PELAGIUS ei hanc men... ...*rtet.*
nimiter ferre sum ... *καὶ ἐν πᾶσι*
qui sequantur. ... ...ur: *ἐν παντὶ τῷ*
tentia alteri pra... ...*αὶ ἐν πᾶσι τοῖς παρεμπλ-*
cum PAULUS P... ...orum verborum mutuatus est
quae ipsum, ...us perspicue mentem auctoris sic
tandum n... ...*ον ἐν τῷ μακρῷ τούτῳ χρόνῳ πάντων,*
gnificet ... ...*ντα κατώρθωται.* Sed sic quidem in oratio-
sentiu... ...ur *ταυτολογία* pro Gradatione, in verbis *ἔμαθον,*
runt ... *μεμύημαι* conspicua. Videlicet quod supra dixit: No...*iter in humilitate atque in abundantia versari possum,* ...*oportet*, PAULUS hic amplificat adeoque confirmat declarans, *se tantam familiaritatem cum omnibus contraxisse, ut rationem teneat rebus quibuscunque bene utendi.* Hanc autem ejus mentem fuisse, ipsum docet Verbum *μεμύημαι*, quod a superstitione Graeca repetere, et, ut GROTIUS ait, ad meliores usus transferre non formidavit, ut se cum iis compararet, *qui sacris vel mysteriis initiati essent* (1). Praecedentia *ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι* quod attinet, haud ignoro, satis multos esse Interpretes, qui ea sic explicent, ut voce *παντί* cogitando adiiciant *χρόνῳ*, alteri *πᾶσι* vero *πράγμασι*. Nuperrime hoc etiam probavit MATTHIESIUS, at dubitans tamen, an statuendum potius sit, *παντί* pro *παντὶ τόπῳ*

(1) Cff. loci Veterum apud KUSTR. WETSTEN. ELSNER.

Et statuerunt illud, quotquot cum *Vulgato* ·tur *ubique et in omnibus*, ut legimus etiam ·. Sed primum a Verbo *μεμύημαι* ali- ·d, quod significant formulae *ἐν παντὶ* Deinde ad vs. 6 evidenter me de- ·nere confingere Viros Doctos, qui ·αντί pro formulis illis plenis me impetrare possum, ut, *καὶ ἐν πᾶσι*, alteri aliud ·rovocari igitur nequit ad *φανερωθέντες*, quod haud sine *ἐν πᾶσι* collocatum est, posterius a ·robabilius vero disputant, qui hoc exem- ·d tuendam sententiam, alterum *res*, alterum spectare. Quod LUTHERO placuit interpretanti: *in* ·*nibus rebus et apud omnes*: LUTHERO quodammodo calculum adiecerunt COCCEIUS et BENGELIUS. Sed illud *apud omnes homines* haud minus quam *in omni loco* vel *tempore* ab oratione PAULI alienum est, cum *sua* tanquam *initia* memoret. Et Praepositio *ἐν*, ut aegre ac difficulter reddi potest *apud*, ita ante utramque vocem *παντὶ* et *πᾶσιν* eandem notionem habere debet. Quod autem GRIESBACHIO et STORRIO visum est, distinctionem mutandam esse, ut, Commate interiecto, priora *ἐν παντὶ* referantur ad praecedens *περισσεύειν*, cetera ad sequens *μεμύημαι*, iure meritoque reprehenderunt HEINRICHSIUS, ENDIUS, RHEINWALDUS, MATTHIESIUS: quippe in Analogiam incurrens, cum superius *ταπεινοῦσθαι* absolute positum sit, nec Particulae *καὶ* conve-

(1) Improbanda igitur interpretatio quoque est OECUMENII: *ἐν παντὶ πράγματι καὶ ἐν πᾶσι τοῖς παρεμπίπτουσι*, quam imitatus SLICHTINGIUS scripsit: *in omni re et omnibus ad rem illam pertinentibus*. Quodammodo hoc etiam convenit cum eo, quod supra monuimus, placuisse THEOPHYLACTO. Frigere autem orationem, quae talia contineat, non opus est, ut data opera ostendamus.

BEZAE, quam etiam probasse videtur KLINKENBERGIUS: »Utitur generali nomine, quum de una crucis specie (i. e. de inopia) disserat: nempe quod haec fere soleat omnia ista secum trahere, ac illud praesertim, quod qui pauper est, ab omnibus fere contemnatur, quantumvis excellentibus Dei donis ornatus." Illud autem **οἶδα**, quod hîc efficacitatis causa bis legitur, non solum denotat experientiam utriusque fortunae, quam Apostolus memorat, sed convenienter praecedenti **ἔμαθον** explicari debet, ut sensus orationis huc redeat: ***Pariter in humilitate atque in abundantia versari possum, ut oportet.***

Iam optime congruunt sequentia: **ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι μεμύημαι**, quae THEOPHYLACTUS interpretatur: **ἐν παντὶ τῷ μακρῷ χρόνῳ, καὶ ἐν παντὶ πράγματι, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς παρεμπίπτουσι πεῖραν ἔλαβον.** Partem horum verborum mutuatus est a CHRYSOSTOMO, qui minus perspicue mentem auctoris sic explicat: **πεῖραν ἔλαβον ἐν τῷ μακρῷ τούτῳ χρόνῳ πάντων, καὶ ταῦτα μοι πάντα κατώρθωται.** Sed sic quidem in orationem inducitur **ταυτολογία** pro Gradatione, in verbis **ἔμαθον, οἶδα** et **μεμύημαι** conspicua. Videlicet quod supra dixit: ***Pariter in humilitate atque in abundantia versari possum, ut oportet***, PAULUS hîc amplificat adeoque confirmat declarans, ***se tantam familiaritatem cum omnibus contraxisse, ut rationem teneat rebus quibuscunque bene utendi.*** Hanc autem ejus mentem fuisse, ipsum docet Verbum **μεμύημαι**, quod a superstitione Graeca repetere, et, ut GROTIUS ait, ad meliores usus transferre non formidavit, ut se cum iis compararet, ***qui sacris vel mysteriis initiati essent*** (1). Praecedentia **ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι** quod attinet, haud ignoro, satis multos esse Interpretes, qui ea sic explicent, ut voce **παντί** cogitando adiiciant **χρόνῳ**, alteri **πᾶσι** vero **πράγμασι**. Nuperrime hoc etiam probavit MATTHIESIUS, at dubitans tamen, an statuendum potius sit, **παντί** pro **παντὶ τόπῳ**

---

(1) Cff. loci Veterum apud KYPKE. WETSTEN. ELSNER.

scriptum esse. Et statuerunt illud, quotquot cum *Vulgato Lat.* interpretabantur *ubique et in omnibus*, ut legimus etiam apud AMBROSIASTRUM. Sed primum a Verbo μεμύημαι alienum mihi videtur illud, quod significant formulae ἐν παντὶ χρόνῳ et ἐν παντὶ τόπῳ. Deinde ad vs. 6 evidenter me demonstrasse puto, Ellipses temere confingere Viros Doctos, qui scriptores veteres haec duo ἐν παντί pro formulis illis plenis substituisse contendant. Neque a me impetrare possum, ut, cum iuxta se posita sint ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι, alteri aliud quid adiiciam quam alteri (1). Provocari igitur nequit ad 2 *Cor.* XI: 6, ubi Participio φανερωθέντες, quod haud sine causa inter ἐν παντὶ et ἐν πᾶσι collocatum est, posterius a priori separatur. Probabilius vero disputant, qui hoc exemplo utuntur ad tuendam sententiam, alterum *res*, alterum *homines* spectare. Quod LUTHERO placuit interpretanti: *in omnibus rebus et apud omnes:* LUTHERO quodammodo calculum adiecerunt COCCEIUS et BENGELIUS. Sed illud *apud omnes homines* haud minus quam *in omni loco* vel *tempore* ab oratione PAULI alienum est, cum *sua* tanquam *initia* memoret. Et Praepositio ἐν, ut aegre ac difficulter reddi potest *apud*, ita ante utramque vocem παντὶ et πᾶσιν eandem notionem habere debet. Quod autem GRIESBACHIO et STORRIO visum est, distinctionem mutandam esse, ut, Commate interiecto, priora ἐν παντί referantur ad praecedens περισσεύειν, cetera ad sequens μεμύημαι, iure meritoque reprehenderunt HEINRICHSIUS, ENDIUS, RHEINWALDUS, MATTHIESIUS: quippe in Analogiam incurrens, cum superius ταπεινοῦσθαι absolute positum sit, nec Particulae καί conve-

(1) Improbanda igitur interpretatio quoque est OECUMENII: ἐν παντὶ πράγματι καὶ ἐν πᾶσι τοῖς παρεμπίπτουσι, quam imitatus SLICHTINGIUS scripsit: *in omni re et omnibus ad rem illam pertinentibus.* Quodammodo hoc etiam convenit cum eo, quod supra monuimus, placuisse THEOPHYLACTO. Frigere autem orationem, quae talia contineat, non opus est, ut data opera ostendamus.

niens, et ipsius vero orationis vim imminuens. Haud scio tamen, an ita iam distinxerit VICTORINUS, cuius verba sunt: »Et humiliari novi et abundare in omnia — — id est, praebere omnes virtutes. Et in omnibus institutus sum, id est ad omnia adsuefactus, et ferre sitim, famem, frigus, et rursus in abundantia laetari." *Syrum* praetermitto silentio, quamquam Interpres eius Latinus edidit: *abundare in omnibus, et in omnibus exercitatus sum.* Habet nempe ille ܒܟܠ ܘܒܟܠ ܡܬܪܕܐ; sed, quomodo hoc intelligendum sit, aliorum locorum facit comparatio, ut mihi non liqueat. Tutiorem viam ingressus MUSCULUS formulam *ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι* accipiendam esse monet per duplicationem, quam auctor ideo posuerit, ut se omnino in omnibus institutum esse asseveraret. Quidni vero *priora generatim* dicta putemus, *posteriora sigillatim* spectare ea, quae deinceps recensentur? Locus similis cum frustra adhuc quaesitus sit, nihil quidem suppeditat loquendi usus, quo hanc interpretationem fulciamus; sed commendatur eo, quod vocabula *ἐν πᾶσι* cum sequentibus arcte connexa sunt per Particulam *καί*, Finito *μεμύημαι* et Infinito *χορτάζεσθαι* interpositam (1). Probabilitatem haud parum auget vox *πάντα* vs. 13, quae non omnia quaelibet significat, sed *omnia, quorum mentio facta est.* Res autem eodem fere redit, sive singulis Verbis *χορτάζεσθαι, πεινᾷν* et *περισσεύειν* Comma subiicimus, seu cum GRIESBACHIO, SCHOLZIO, GOESCHENIO sic distinguimus: *Ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι μεμύημαι, καὶ χορτάζεσθαι καὶ πεινᾷν, καὶ περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι.* Hoc autem alteri Antitheseos causa praeposito, sensus orationis erit: *cum re qualicunque omnibusque, tam saturitate et fame, quam abundantia et penuria, tantam*

(1) Notandum quoque videtur, sine Praepositione dici non posse *μεμύημαι χορτάζεσθαι.* Quod animadverterunt etiam, qui verba *ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι μεμύημαι* in Parenthesi ponebant, ut factum est in Editione *Vulgati Latini.* Sed hoc Hyperbato, quod ESTIUS aliique iam improbarunt, omnis gravitas orationis tollitur.

contraxi familiaritatem, ut rationem teneam iis bene utendi. Similiter, quod attinet verba ἐν πᾶσι cet. *Interpres Vulg. Vernac.* et PALMIUS. Argutius autem est quod sumsit BENGELIUS, priora χορτάζεσθαι et πεινᾷν a posterioribus περισσεύειν et ὑστερεῖσθαι sic discernenda esse, ut illa *unius diei*, haec *longioris temporis fortunam secundam et adversam* significent.

VERS. 13.

Haud raro dicentes audiuntur pro concione, qui generatim explicandam esse sumunt professionem PAULI, hoc loco editam: *Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με.* Nec dissentiunt CALVINUS, ESTIUS, CRELLIUS, COCCEIUS, PLATTUS, alii, quamvis pars in generali notione vocis πάντα subsistunt, pars eam singulari tantum adiiciunt. Sed rectam viam iniisse Interpretes, quibuscum REDDINGIUS hanc vocem adstringeret superioribus, intelligimus inde, quod illuc quoque spectat oratio vs. 14 sqq. Apostolus igitur nihil aliud dicere vult quam *omnia memorata*. Similiter Neutrum πάντα, congruenter omni sermoni humano, in Literis Sacris saepe referendum est ad ea, quae praecedunt, uti *Matth.* VIII: 33. *Luc.* I: 3. *Johan.* IV: 25. *Phil.* II: 14, III: 8. Iam si auctor ait πάντα ἰσχύω, multi Praepositionem κατά reticeri putant, quod tamen sine causa est, quia Accusativus hic haud secus a Verbo ἰσχύω pendere videtur atque *Sap.* XVI: 20. *Gal.* V: 6. *Jac.* V: 16 et in dicto CHRYSOSTOMI, quod attulit STEPHANUS in *Thes.* Ὅπερ οὐκ ἴσχυσε φόβος, τοῦτο δέησις ἴσχυσε. Quamobrem audiendi quoque non sunt, qui Ellipsin Verbi φέρειν similisve hunc in locum important. Equidem fidenter Latine scribo: *omnia (memorata) valeo.* Sequentia vulgo sic edita sunt: ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ; sed summo iure GRIESBACHIUS, LACHMANNUS, SCHOLZIUS, GOESCHENIUS, spretis contradictionibus WOLFII, WHITBYI aliorumque, vocem Χριστῷ sede sua expulerunt: quippe quae manum alienam tam clare

prodit, ut si uni tantum alterique codici veteri deesset, vel sic quidem pannus habenda foret orationi temere adiectus. Librorum autem, qui vocem omittunt, testimonium confirmant exempla, in quibus pro ea legitur *Θεῷ*, ut apud VICTORINUM. Verumtamen PAULUM in mente non habuisse *Θεῷ*, ut nonnulli opinantur, sed *Χριστῷ*, duo sunt, quae mihi persuadeant. Alterum in locis similibus cernitur, passim excitatis, 1 *Tim.* I: 12. 2 *Tim.* IV: 17, ubi Apostolus Verbo ἐνδυναμόω usus est ad declarandum, quantum CHRISTO deberet (1). Alterum argumentum, quod nonnulli, ut primum illud legerint, fortasse mirabuntur, nec tamen minoris ego ponderis esse duco, mihi praebet Praepositio ἐν. Nusquam enim, quantum memini, in Epistolis PAULI, si Divina praedicatur in hominem efficacitas, Nomen vel Pronomen, quod Praepositionem illam sequitur, ipsum *Deum*, sed ubique CHRISTUM significat. Apostolus igitur ea utitur ad *communionem*, *quam cum* CHRISTO *habet*, denotandam (2). Participium quod attinet ἐνδυναμοῦντι, a Verbo oritur Graecis antiquioribus plane incognito, vel minus certe usitato. Recentioris vero aetatis scriptores notionem ei tribuerunt *corporis animique corroborandi*, ut loci docent et supra notati, et ad STEPHANI *Lexicon* alibique allati. Hanc autem vim habet Praepositio, quacum Verbum Compositum est, ut efficacitatem in hominis corpus et animum clarius ante oculos ponat; sed qui se a MUSCULO moveri patitur ad scribendum *intus roborante*, non animadvertit, Simplex δυ-

(1) Quod STORRIUS, RHEINWALDUS aliique monent, laudationem CHRISTI *Philippensibus* perspicuam fuisse ex Cap. I: 20, 21, tanti non habeo, ut illud urgere ausim.

(2) Plerique Interpretes a vero aberrarunt hac Praepositione explicanda Latina *per*. Alii quidem, ut MUSCULUS, CRELLIUS, COCCEIUS scripserunt *in*, nec mentem tamen auctoris intellexerunt. Haud dubie Particula, si recte se habent, quae variis iam in locis huius Epistolae disputavimus, ad *communionem* PAULI *cum* CHRISTO denotandam inservit. Cf. WINER. p. 371.

ναμόω *Col.* I: 11 eadem de efficacitate iam dici, neque hic permittere Pronomen με, ut significatio augeatur. Quae cum ita sint, sensus orationis hic esse videtur: *Omnia (memorata) valeo communione eius, qui me corroborat.* Iam si quis rogat, quare PAULUS hanc sententiam praecedenti adiunxerit, in promtu est, quod respondeatur. Nimirum experientiam tam saturitatis et famis, quam abundantiae et penuriae sibi non habebat propriam, sed cum aliis communem. Atqui omnes, quotquot hanc variam experti erant fortunam, tantam cum ea familiaritatem non contraxerant, ut rebus quibuscunque bene uterentur. Apostolus igitur nunc proponit causam, cur hoc sibi contigerit, se hoc debere aiens communioni CHRISTI, a quo corroboretur.

VERS. 14.

PAULUS animi sui aequabilitatem *Philippensibus* explicaverat. Illi vero ne, in opinionem inducti, donum suum minus gratum fuisse, offensionem inde caperent, ab excursu rediit Apostolus ad liberalitatem eorum praedicandam: Πλὴν, ait, καλῶς ἐποιήσατε συγκοινωνήσαντές μου τῇ θλίψει. Formulam καλῶς ποιεῖν inter Graecos tritam nec scriptoribus Novi Testamenti inusitatam fuisse ad significandum *recte facere*, docent *Marc.* VII: 37. *Act.* X: 33 ibique GROTIUS et PRICAEUS. Ergo priora, quae hoc in versu leguntur, dicunt: *Verumtamen recte fecistis.* Posteriora vero ansam praebent disputandi. Nimirum vocem θλίψις haud pauci *penuriam* Apostoli spectare putant, uti 2 *Cor.* VIII: 13 *penuriam Corinthiorum.* Sed quoniam ea illo tantum in loco, ubi opposita est voci ἄνεσις, huc spectat, sed in plerisque notionem generalem habet *aerumnae* CHRISTI *causa inflictae*, equidem hanc notionem alteri praeferendam duco. Dubitandum quoque videtur, an PAULUS a se impetrare potuerit, ut *suam penuriam*, vel alibi, vel hac in oratione

θλίψιν vocaret: sed, cum captivus illo ipso tempore esset, quo hanc Epistolam scriberet, opportune aerumnam memoravit, CHRISTI causa sibi inflictam. Et huic interpretationi favet Participium *συγκοινωνήσαντες*, quod significat *in societatem venientes*, uti *Eph.* V: 11. *Apoc.* XVIII: 4. Quare cum PALMIO, HEINRICHSIO, MATTHIESIO, GROTIUM sequens, verba sic explico *ostendendo*, *tangi vos calamitatum mearum sensu*. Recte iam OECUMENIUS: *Οὐκ εἶπε δεδωκότες καὶ παύσαντές μου τὴν λύπην, ἀλλ', ὃ σεμνότερον ἦν, συγκοινωνήσαντές μου τῇ θλίψει.* Cff. 2 *Cor.* I: 7. 1 *Pet.* IV: 13.

VERS. 15.

Verum enim vero haud magnae laudi *Philippensibus* erat, multis demum annis, postquam in CHRISTI societatem venerant, officium caritatis erga Apostolum praestitisse. Quod cum ipse sentiat, liberalitatis documenta, ab iis iam olim data, in memoriam revocat, et ita quidem, ut conscientiam eorum testetur. *Οἴδατε δὲ*, inquit, *καὶ ὑμεῖς, Φιλιππήσιοι*: *Vos vero ipsi haud secus quam ego nostis*, *Philippenses*. Iam his hominibus, aeque ac *Corinthiis* alibi (2 *Cor.* VI: 11), media in oratione appellatis, ut sensum animi in eos propensi explicaret, munificentiam eorum praedicare incipit a notando tempore: *ὅτι ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου*. Postremam vocem vulgo interpretantur *Euangelii*, seu *doctrinae Christianae promulgationem*, quod secundum loquendi usum fieri posse probavimus ad cap. I: 5. Num illud hoc loco necessarium sit, dirimere non ausim. Satis commode certe verba explicabuntur: *cum doctrina Christiana apud vos in initio erat*, seu, *ut paulo ante facti eratis* CHRISTI *sectatores* (1). Accuratius autem tempus definitur sequentibus: *ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας*, quae

(1) Cf. LAÜNAEUS ad h. l.

vertendo reddenda esse: *cum egressus eram ex Macedonia*, ex comparatione aliorum locorum, *Act.* XVIII: 5 et 2 *Cor.* XI: 9, coniicimus. Auctori nempe nunc ante oculos obversabatur beneficium, quod *Corinthi* a *Philippensibus* per SILAM et TIMOTHEUM, vel legatos eorum acceperat, una cum SILA et TIMOTHEO missos. In Anachronismum tamen incidisse videtur, beneficio illo prius laudando quam quae longe ante in eum contulerant. Hac autem ut liberetur culpa, nonnulli Interpretes eum pro duabus Particulis καὶ ὅτε unam tantum ὅτε per Ellipsin scripsisse aiunt. Iure vero meritoque rogat MATTHIESIUS, quidni PAULUS donum, sibi externam in regionem missum maximeque carum, aliis praeposuerit. Et verisimile omnino est, haec multo minoris pretii quam illud fuisse, quippe sufficiens ad necessaria, quae labore manuum sibi procurare non posset, ei praebenda, donec *Corinthi* versabatur. Ceterum in lubrico collocatur Literarum Sacrarum interpretatio, si earum scriptoribus Ellipses tribuuntur, quae seriem orationis plane perturbant. Quod autem contendit STORRIUS, Particulam καί *Gal.* IV: 14 similiter pro καὶ ὡς atque ὅτε pro καὶ ὅτε scriptam esse, neminem prudentiorem morabitur. Praeterquam enim quod sententiae gravitatem extenuamus, si Particulam καί ibi praeponimus verbis ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν; inter illum locum et hunc tantum interest, ut mutuo comparari non possint.

His praemissis ostendit PAULUS, quid *Philippenses* se fecisse sciverint, cum ipse ex *Macedonia* egressus esset. ὅτι οὐδεμία μοι ἐκκλησία ἐκοινώνησεν, εἰ μὴ ὑμεῖς μόνοι. Illo igitur tempore *nullam hominum Christianorum societatem secum communionem habuisse* monet, *nisi eos solos*. Sed Verbum ἐκοινώνησε, quod illi fortasse in mentem vocavit Participium praecedens συγκοινωνήσαντες, ea ambiguitate laborare videt, ut definitione opus sit. Ergo definitur illud interiecta formula εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως, quae primis

Lectoribus sine dubio perspicua fuit, recentiori vero aetate multum litis peperit et controversiae. Hoc satis constat, eam petitam esse a mercatoribus, tabulas habentibus, quibus data et accepta inscribant. Memorat illas CICERO, reprehendens homines, qui amicitiam ad calculos vocant, ut par sit *ratio acceptorum et datorum* (1). Eiusdem originis dictum est Rabbinorum על־דבר משא ומתן, quod afferunt BEZA, SCHOETTGENIUS (2), WOLFIUS, alii. Nec difficultatem habent priora *εἰς λόγον*. Haec enim apud scriptores Graecos saepe coniunctim posita et explicanda esse *ratione habita*, varii docent loci apud WETSTENIUM, quibuscum comparari meretur, quod 2 *Macc.* I: 14 dicitur *εἰς φερνῆς λόγον dotis nomine*. Minus recte vero *Vulgatus Lat.* aliique scripserunt *in ratione* cet. nec tamen ita corrigendi sunt, ut cum VATABLO pro Ablativo *ratione* Accusativum *rationem* substituamus. Vocabula *δόσις* et *λῆψις* itidem alibi, etiam *Sir.* XLI: 19. XLII: 7, coniuncta exstant ad significandam *pecuniam*, *quae datur et accipitur*. Sed formulam integram *εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως* in libris Veterum nondum reperire contigit. Itaque aliunde, quam ex loquendi usu, quaerere debemus, quod ad notionem eius constituendam valeat. CHRYSOSTOMUS verba interpretans *εἰς λόγον δόσεως τῶν σαρκικῶν καὶ λήψεως τῶν πνευματικῶν*, PAULUM dicentem facit, *Philippenses sibi dedisse bona corporis, rursus vero bona animi accepisse*. Nec miramur plerisque Patribus Ecclesiae et aliis Viris magni nominis, uti CALVINO, STRIGELIO, ERASMO SCHMIDIO placuisse interpretationem, quam ipse Apostolus 1 *Cor.* IX: 11 suadere videtur rogando: *Εἰ ἡμεῖς ὑμῖν τὰ πνευματικὰ ἐσπείραμεν, μέγα, εἰ ἡμεῖς ὑμῶν τὰ σαρκικὰ θερίσομεν;* Sed primum credere nequeo, Apostolum illud vs. 15 *Philippensibus* scripsisse, versu vero

(1) *Lael.* cap. 16.

(2) *Horae Hebr. et Talm.* ad h. l.

sequenti, qui cum eo arctissime cohaeret, bonorum animi, quae hi sua vice accepissent, nullam habuisse rationem. Deinde perspicuum est, auctorem aliquid laudare voluisse, quod *Philippensium* ab omni parte proprium fuisset: atqui religionis Christianae usum cum *Beroeensibus*, *Thessalonicensibus* aliisque *Macedoniae* incolis habuerunt communem. Quod locum attinet 1 *Cor*. IX: 11, ibi tota disputatio PAULUM permovit ad bona corporis animi bonis opponenda; hic vero narrare non potuit, *Philippenses* pro eo, quod dedissent, aliud rursus accepisse, nisi consilii sui factus plane immemor. Haec autem argumenta valent etiam contra sententiam, ab AMBROSIASTRO iam, uti puto, propositam et a SLICHTINGIO, WOLFIO, WETSTENIO, aliis probatam, vocem λήψεως spectare *remunerationem*, *quam Philippenses* pro beneficio in Apostolum collato *acceperint* vel *accepturi fuerint a Deo*. Accedit, quod praecedentia οὐδεμία μοι ἐκκλησία ἐκοινώνησε vocem illam vel ad PAULUM, vel ad *Philippenses* referri iubent. Provocant quidem ad postrema versus 17 εἰς λόγον ὑμῶν; sed illa ipsa hunc iam in locum induci vetant remunerationem Divinam, ne illud, quod ibi subobscure significari videbimus, hac intempestiva occupatione vim suam amittat eademque res bis proponatur. Alia obstant VATABLO, CRELLIO, HOOGIO ceterisque Interpretibus, quorum iudicio auctor ait, nullam sectatorum CHRISTI societatem, exceptis *Philippensibus*, sibi praebuisse, *quod in tabulis dati et accepti notare posset*. Etiamsi nempe concedam, verba εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως hunc sensum admittere, humanitati tamen PAULI iniuria fit, si eum beneficia sibi allata, mercis cuiusdam instar, taxasse aut pensasse censemus. Neque in eius ingenium cadere videtur opinio, praesto ei fuisse codicem, in quo dona maioris pretii, vel generatim omnia, quae accepisset, adscriberet. Multo minus vero assentiri possum MICHAËLI, ubi *Philippenses* hoc nomine laudatos esse contendit, quod *statutis temporibus*

Apostolo stipendium misissent. Quid enim, qui manuum labore sibi victum quaerendum censeret, nonne satis certum est, hunc aegre laturum fuisse homines, qui sibi mitterent stipendium? Nonne haec sententia *Philippensibus* affingit, quod omnia docent monumenta vetustatis, contra primorum CHRISTI sectatorum mores repugnare? Ipse PAULUS 2 *Cor.* XI: 9 de subsidio ex *Macedonia* accepto, cum *Corinthi* versabatur, ita scripsit, ut *Philippenses* semel tantum inopiae eius succurrisse appareat. Sed ex loco illo intelligimus quoque errare, qui cum *Interpret. Vernac.* in *Annot. Marg.* pecuniam hîc memorari putent *a Philippensibus acceptam, ut hominibus traderetur Christianis, inopia pressis.* Quod et tota haec iam clamat oratio, quippe nihil aliud praedicans quam liberalitatem erga ipsum Apostolum praestitam. Eademque oratio si consideratur, PAULUS dicere non potuit, quod RHEINWALDUS eum dixisse coniicit, *Philippenses et dedisse, quod sibi subsidio foret, et vicissim ex iis, quae alibi collecta essent, indigentiae suae accepisse.* Sed ad hanc coniecturam refellendam inserviunt quoque, quae supra adversus CHRYSOSTOMI sententiam disputavimus. Opiniones alias a probabili longius remotas silentio nunc praetermitto. Rectius omnino CAMERARIUS ad verba εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως notavit: »Περίφρασις est sumtus, qui in tabulas referri solet. Tabulae autem sunt expensi et accepti. Ut hoc dicat, solos *Philippenses* tum sibi aliquid contulisse. Quod ipsi nimirùm expensum tulerunt Apostolo, PAULUS eis retulit acceptum." CAMERARIUM secuti sunt GROTIUS, COCCEIUS, LAUNAEUS, alii, nuperrime SCHINZIUS et MATTHIESIUS. Probari tamen nequit, quod haud pauci eorum a PAULO scriptum sumunt, se a nullis aliis, quam a *Philippensibus*, aliquid *accipere voluisse.* Ut enim nec in Literis eius ad *Corinthios*, neque in ceteris Epistolis legimus, eum, cum primum venisset in *Achaiam*, aliorum *Macedonum* dona recusasse; sic gloria

Philippensium obscuratur, si hoc in loco plures fuisse declaravit, qui sibi succurrere cuperent. Quae cum ita sint, verba eius interpretor: *Nusquam sectatores* CHRISTI, *vobis exceptis, hanc communionem mecum habuerunt, ut illi sua parte mihi subsidium darent, ego vero mea parte subsidium ab iis acciperem* (1). Haud inficior quidem, rem eodem redituram fuisse, si convenienter iis, quae legimus *Rom.* XII: 13, scripsisset: ἐκοινώνησε ταῖς χρείαις μου; sed his verbis fortasse dicendi formulam, a mercatoribus petitam et uberiorem, praetulit, quo diutius in liberalitate *Philippensium* laudanda grato suo satisfaceret animo. Ceterum quod contendit HEINRICHSIUS, hanc laudem *Philippensibus* tribui non potuisse in Epistola publica, bene refutavit HOOGIUS, provocans ad 2 *Cor.* VIII: 1 sqq. XI: 9.

VERS. 16.

Ulterius PAULUS *Philippensium* laudes persequitur beneficiis, quae ab iis accepit, priusquam se in *Achaiam* conferebat, ita memorandis: Ὅτι καὶ ἐν Θεσσαλονίκῃ καὶ ἅπαξ καὶ δὶς εἰς τὴν χρείαν μοι ἐπέμψατε. Particulam ὅτι satis multi, quibus STORRIUS, FLATTUS, ENDIUS assentiuntur, Causalem esse putant: sed cum huic Versui plane nihil insit, quo praecedentia confirmentur, eam cum MATTHIESIO aliisque referre praestat ad Verbum οἴδατε, ut nunc alterum proponatur, cuius conscientiam ipsi *Philippenses* habuerint. Sequens Particula καί, cui respondet Latina *etiam*, significat superiori laudi alteram eiusdem generis adiectum iri. Primum igitur locus, ubi Apostolo bene factum est, definitur vocabulis ἐν Θεσσαλονίκῃ, quae pro εἰς Θεσσαλονίκην posita esse, haud pauci Interpretes, GROTIO annuente, sumserunt. At vero de industria PAULUS Praepositione ἐν cum Dativo usus est, quoniam haec scribens in mente iam habebat Pro-

(1) Cf. omnino BONKER CURTIUS, *Bijdragen* cet. Tom. XIII. p. 223, 224.

nomen *μοι*, quod Librarii, illud in Genitivum *μου* mutantes, non viderunt arctissime cum praecedentibus *ἐν Θεσσαλονίκῃ* connectendum esse. Nexu autem illo statuto, Graeca conveniunt Latinis *mihi Thessalonicae*, pro quibus plenius dicitur: *mihi*, *cum Thessalonicae eram*, ut iam ERASMUS et VATABLUS, *Vulgatum Lat.* corrigentes scribi iusserunt. Recte itidem ERASMUS formulam *καὶ ἅπαξ καὶ δὶς* vertendo reddidit *semel atque iterum.* Sed qui hoc explicant *aliquoties*, animadvertisse non videntur, Particulam *καὶ* ceteris praepositam, hanc vim habere, ut tempora accurate definita esse significet. Minus certe cum hoc loco comparaverim *Neh.* XIII: 20 et 1 *Macc.* III: 30, quam 1 *Thess.* II: 18, ubi eadem, nisi fallor, temporum definitio legitur, ut et hic et illic dicere velit auctor *non tantum semel*, *sed bis*, quemadmodum fere interpretatur LUTHERUS. *Bis*, igitur PAULUS ait, *ad necessitatem mihi misistis:* id est, ut monuit iam OECUMENIUS, *εἰς τὰ χρειώδη δαπανήματα* Similiter Verbum *πέμπω* absolute positum est alibi, uti *Act.* XI: 29, ubi legimus *εἰς διακονίαν πέμψαι.* Cf. 1 *Thess.* III: 5. Quod non meminisse puto, qui Praepositionem *εἰς* ex oratione expellerent, ut Aoristo *ἐπέμψατε* subiicerent Accusativum *χρείαν.* Dona autem, quae Apostolus *Thessalonicae* a *Philippensibus* acciperet, non magnifica fuisse, satis docet illud, quod 2 *Thess.* III: 8 profitetur, se diem noctemque opera sibi victum quaesivisse, ne cui molestus esset. Sed hoc loco abutendum non est ad praesidium petendum sententiae GROTII, auctorem hic ea attingere, quae sibi data sunt *ad usum pauperum*, *qui in aliis essent urbibus.* Nam, quamvis ad *Philippenses* tantum scripsit *εἰς τὴν χρείαν*, non *εἰς τὴν χρείαν τὴν ἐμήν*, ut iam vidit CHRYSOSTOMUS, omnis tamen oratio circumiecta nobis persuadet, eum commemorare, quae *Philippenses* miserint, ut indigentiae Apostoli succurrerent.

VERS. 17.

PAULUS vero fieri posse videt, ut se iterum Lectoribus in suspicionem adducat rem suam cupidius agendi. Eam igitur a se sic propulsare incipit: *Οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα*, quae, si breviloquentia tollitur, omni sermoni humano communis et supra iam plus semel notata, huc redeunt: *Ne hoc ita intelligite ac si* cet. Similiter ex vita communi petitus est usus Singularis *τὸ δόμα* ad *dona quaecunque* denotanda, quemadmodum sequenti *τὸν καρπὸν* generatim denotantur *fructus* (1). Quod si animadvertimus, nihil obstare patet, quominus cum GROTIO aliisque retineamus notionem, quam vocabulum *δόμα Eph.* IV: 8 ceterisque habet in locis Novi Testamenti, ubi illud exstat. Non opus igitur est, ut cum CAMERARIO, cui ROSENMULLERUS, HEINRICHSIUS, ENDIUS assentiunt, sumatur pro *δόσις*. De Verbo *ἐπιζητῶ* paulo difficilior est disputatio. BRETSCHNEIDERUS Praepositioni hanc vim intendendi inesse putat, ut Verbum notionem habeat nunc *studiose quaerendi*, nunc *studiose petendi*, nunc *studiose appetendi*, nunc *valde desiderandi*. Unum tantum excipit Novi Testamenti locum, *Act.* XIX: 39, ubi illud interpretandum censet *petere a iudice* vel *quaerere in reo*. Paulo aliter SCHLEUSNERUS significationes definit, quibus Compositum, se iudice, a Simplici differat. SCHOETTGENIUS (2) vero, utroque non distincto, Verbum *ἐπιζητέω* ubique respondere monet Latinis *quaero*, *posco*, *expeto*. Praecessit, praeter STEPHANUM aliosque, BUDAEUS (3) scribens: »Graeci *Ζητεῖν* et *Ἐπιζητεῖν* et *Ἀναζητεῖν* dicunt pro desiderio rei amissae teneri vel praeteritae vel absentis, vel eam poscere." Quod iudicium etiam pro-

(1) Cff. disputata ad Cap. I: 11.

(2) *Nov. Lexic. Graeco-Lat. in N. T.* Ed. KREBSIO.

(3) l. c. p. 1049.

batur in *Editione Thesauri Londinensi*. WINERUS Compositum *ἐπιζητεῖν*, suam tamen non dicens sententiam, ad Verba refert, quae apud ipsos scriptores Graecos (Atticos) pro Simplicibus esse visa sunt (1). Et sane locorum, in quibus Composito *ἐπιζητέω* vis intendendi tribuitur, haud pauci ita comparati sunt, ut vim illam nullo modo ferre videantur. Huius generis esse existimo *Matth.* XII: 39: *Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ*, ubi FRITZSCHIUS quidem Verbum *ἐπιζητεῖ* explicari vult *summo studio expetere*, nec tamen lectoribus commonstrat, quomodo reprehensio *summi studii* conveniat nudae quaestioni Pharisaeorum: *Θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν*. Eadem difficultate haec interpretatio premitur *Matth.* XVI: 4 et *Luc.* XI: 29, ut fortasse viderunt Librarii, qui pro Composito *ἐπιζητεῖ* scribebant Simplex *ζητεῖ*. Quid loco simili *Marc.* VIII: 12 acciderit, in disputationem vocari potest. LACHMANNUS ad fidem Codicum antiquissimorum edidit *ζητεῖ* pro vulgato *ἐπιζητεῖ*, quod qui huc ex Euangelio MATTHAEI translatum dicit, hominibus male sedulis, quibus propagatio exemplorum Novi Testamenti debetur, nihil tribuit alieni. Sed maiori iure Editionem Receptam tueri videtur FRITZSCHIUS, quippe propterea a Librariis corruptam, quod vs. 11 Participium *ζητοῦντες*, non *ἐπιζητοῦντες* exstat. Opinione vero falsum esse puto Virum Doctum, Verbum *ἐπιζητεῖ* et exponentem *cupide expetit*, et huic loco optime convenire aientem, cum praecedat: *ἤρξαντο συζητεῖν αὐτῷ, ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ σημεῖον*. Nam, ut formula *σημεῖον ἐπιζητεῖ*, si quid video, referenda tantum est ad similem *ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ σημεῖον*; sic interpretatio *cupide expetit* defendi nequit, nisi rationibus, quae valent quoque *Matth.* XII: 39. XVI: 4. *Luc.* XI: 29. Verbum igitur *ἐπιζητεῖ* ab oratione MARCI alienum est, si notionem habet a FRITZSCHIO probatam. At

(1) *De Verborum cum Praepositionibus* cet. Part. I. p. 22.

si Simplex ζητεῖ ibi pro Composito ἐπιζητεῖ substituendum est, illud satis luculenter docet, Praepositionem ἐπὶ ita urgeri non posse, ut apud MATTHAEUM et LUCAM ἐπιζητεῖ explicetur *cupide* vel *summo studio expetit*. Sed exemplo allato adiicere lubet aliud. Ergo Interpretes, qui Simplex ζητεῖν exponunt *quaerere*, *petere* cet. Compositum *studiose quaerere*, *petere* cet. rogatos volo, cur IESUS *Luc.* XII: 29-31 hoc media in oratione de gentibus superstitiosis posuerit, at illo de suis usus sit sectatoribus, quamquam societas certe regni Divini summo studio quaerenda esset. Si autem hoc in loco, ubi verba illa concurrunt, vis intendendi, quam dicunt, Composito inesse non potest, crediderim equidem, eam alibi quoque frustra quaeri. Non video certe, quomodo illa orationi PAULI: *Οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα* conveniat, nisi quis eum significasse velit quod et ab eius mente et hinc alienissimum est, se *dona quidem petere, nec tamen studiose*. Verum, ex disputatis nullo modo sequitur, Composito ἐπιζητέω nihil amplius denotari quam Simplici ζητέω. Immo nodus expeditur, si Praepositioni ἐπὶ eandem vim tribuimus, quae in Verbis ἐπερωτάω (1), ἐπιβάλλω, ἐπιορκέω, ἐπιπίπτω, ἐπιφέρω multisque aliis cernitur, ut ἐπιζητέω sit *insuper quaero*, *peto* vel *posco*, atque hoc *insuper*, pro orationis ratione, nunc explicetur *super id quod oportet*, nunc *super accepta*, nunc *super facta*, nunc etiam *super quaesita*, *petita*, *postulata*. Hanc interpretationem omnes, nisi fallor, Novi Testamenti loci, in quibus Verbum illud legitur, aut admittunt, aut sibi omnino requirunt. Requirit eam e. c. *Hebr.* XIII: 14, cuius versus alterum membrum: *ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν*, tantum respondet alteri, si exponitur: *sed praeter hanc, quam incolimus urbem, futuram expetimus*. Com-

(1) Legatur WINER. Part. II. p. 17, 25. Cff. VOORSTII *Animadv.* Part. I. p. 58.

positum itidem *Luc.* XII: 29–31 cum Simplici recte concurrit, si *ἐπιζητεῖ* ibi significat *super id quod oportet* i. e. *superstitiose quaerunt* (1). Ita huic ipsi quoque Verbo ignominiae nota inest, qua gentes exterae a IESU insigniuntur. Atque hac probata notione, haud secus Compositum accommodatum est orationibus *Matth.* XII: 39. XVI: 4. *Luc.* XI: 29, quam *Marc.* VIII: 12, ut visum iam est ERASMO SCHMIDIO aliisque (2). Quid vero orationi

---

(1) Eodem modo iudicandum videtur de loco simili *Matth.* VI: 32, 33, quamquam oratio se ibi paulo aliter habet. Verbum enim *ἐπιζητεῖ* si exponitur *summo studio expetunt*, minus commode sequitur: *οἶδα γὰρ ὁ Πατὴρ ὑμῶν —— ἁπάντων*: si vero scribimus *superstitiose expetunt*, egregie cohaerent omnia. Praeceptum autem: *Ζητεῖτε δὲ πρῶτον* cet. non oppositum est Versui praecedenti, sed remotiori 31, et vocabulum *πρῶτον* non significat *praecipue*, sed *primum*, cui IESUS *δεύτερον* vel simile quid adiecturus fuisset, nisi, omnem sollicitudinem improbans, dicere vellet: *καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.*

(2) *Interpretem* quod attinet Veteris Testamenti *Alex.* et scriptores exteros, asseverare non ausim, eos Verbo *ἐπιζητεῖν* ita usos esse, ut notio *insuper quaerendi, petendi, postulandi* ubique emineat. Sed varii tamen mihi occurrerunt loci, qui hanc notionem sibi postulant. Huc spectat formula POLYBII Lib. I. cap. 5 *αἰτία αἰτίαν ἐπιζητοῦσα*, quippe explicanda: *causa, quae, ut intelligatur, insuper causam, a praecedenti diversam requirit.* Eiusdem generis est narratio DIODORI *Sic.* Lib. XVII. cap. 101 de ALEXANDRO: *Ὁ βασιλεὺς, ἀναγνοὺς τὴν ἐπιστολὴν, χαλεπῶς μὲν ἤνεγκεν ἐπὶ τῇ τ' ἀνδρὸς τελευτῇ, καὶ πολλάκις ἐπεζήτησε τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ*, ubi Verbum *ἐπεζήτησε* propter praecedens *πολλάκις* minus commode exponitur *studiose quaesivit*, sed rectius *insuper* i. e. *praeter aegritudinem animi hoc habebat, ut saepe quaereret* cet. Quod IOSEPH. *Antiq.* Lib. VI. cap. 7. § 4 de Deo ait: *καὶ οὔτε θυσίαν ἐπιζητεῖ παρ' αὐτῶν*, ratiocinatio omnis circumiecta explicari iubet: *et neutiquam praeter pietatem et virtutem, quam sectantur, ab iis postulat sacrificia.* Cff. Lib. IV. cap. 8. § 3, 29. Ita et Graeca *οὐκ ἔστιν ἐπιζητῆσαι ἐν αὐτῷ βοήθειαν* *Sir.* XL: 26 explicanda esse: *Non opus est homini, qui Deum colit, insuper* i. e. *alibi auxilium quaerere*, oratio docet contexta. Addantur verba *ὃν ἐπεζήτησεν ἡ ψυχή μου, καὶ οὐχ εὗρεν* *Eccles.* VII: 29, ubi Interpretem in mente habuisse: *Quem insuper* i. e. *praeter mihi cognitas,*

PAULI accommodatius est, quam verba: *Οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα* interpretari: *Ne hoc ita intelligite, ac si insuper* i. e. *praeter accepta, alia* seu *plura expetam dona?* Quid magis convenit principio versus sequentis: *Ἀπέχω δὲ πάντα?* Sed occupare nolo, quae infra demum disputanda sunt.

Progrediamur ad alterum huius versus membrum. Dictionem negantem excipit aiens: *ἀλλ' ἐπιζητῶ τὸν καρπὸν τὸν πλεονάζοντα εἰς λόγον ὑμῶν.* Vocabulum *καρπὸν* alii aliter interpretantur, nonnulli cum SALMASIO (1) *usuram;* sed loquendi negligitur usus, nisi, convenienter vulgari eius notioni, scribamus *fructum.* Verum quid sibi vult PAULUS *fructum* memorans *τὸν πλεονάζοντα εἰς λόγον ὑμῶν?* Haecne Latine explicanda sunt: *qui redundet in vestrum commodum potius quam meum?* Sic praeiit ERASMUS multosque habuit sequentes. Sed in libris Novi Testamenti Verbum *πλεονάζω* vel absolute positum, vel cum Accusativo coniunctum est, nusquam ita usurpatum, ut Praepositio *εἰς* cum Nomine vel Pronomine ab eo pendeat. Nam vocabula *εἰς ἀλλήλους* 2 *Thess.* I: 3 non cum remotiori *πλεονάζει,* sed cum propiori *ἡ ἀγάπη* nectenda esse, luculenter apparet ex loco simili 1 *Thess.* III: 12. Ergo loquendi usus si quid valet, Participium *πλεονάζοντα* a sequentibus seiungere et interpretari debemus *accrescentem,* ut MATTHIESIO etiam aliisque placuit. Cum autem PAULUS, Articulo repetito, scriberet *τὸν καρπὸν τὸν πλεονάζοντα,* illud ita in luce posuit, ut *fructus* significaret *eosdemque accrescentes* (2). Et Verbo *ἐπιζητέω,* si recte de eo disputavimus, *se, praeter allatos, alios* seu *plures fructus expetere* declaravit.

---

quaesivi et non inveni, apparet ex ipsis Hebraeis: אשר עוד־בקשה נפשי cet. ut sine causa GRABIUS pro *ἐπεζήτησεν* substituendum coniecerit *ἔτι ἐζήτησεν.*

(1) *De usuris* p. 200.

(2) Cf. WINER. *Grammatik.* p. 126.

Figurata vero dictione in propriam mutata, mens eius haec erit: *Sed praeter salutaria, quae liberalitas vestra peperit, plura expeto, et magis quidem magisque crebrescentia.* Iam postrema *εἰς λόγον ὑμῶν*, si non pendent a Participio *πλεονάζοντα*, facile intelligitur, cadere sententiam STORRII, FLATTI aliorumque, qui, pressis Interpretis *Syri* vestigiis, illa eodem redire putant ac breviora *εἰς ὑμᾶς*, ut vox *λόγον* plane redundet. Ostendere igitur non opus est, hunc Pleonasmum scriptoribus Novi Testamenti temere affingi. Melius sine dubio *Vulgatus Lat.* quem ROSENMUELLERUS, ENDIUS, RHEINWALDUS et haud pauci antiquiores secuti sunt, Graeca reddidit *in rationem vestram;* at hoc tamen nec ambiguitate vacuum est, nec satis consultum habet sensum formulae vs. 15 praecedentis: *εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως*. Quae cum Apostolo, scribenti *εἰς λόγον ὑμῶν*, ante oculos obversata esse videatur, ducibus MATTHIESIO aliisque, haec interpretor *habita vestrum ratione.* PAULUS omnino dicere vult: *Crebrescere volo, quae salutaria non mihi sunt, sed vobis Philippensibus.*

VERS. 18.

Novo argumento PAULUS utitur ad *Philippenses* de eo certiores faciendos, se plura non expetere dona. *Ἀπέχω*, ait, *δὲ πάντα.* STRIGELIUS, MUSCULUS, GROTIUS aliique multi interpretantur *recte omnia accepi* vel similiter, hanc quidem, quae barbare dicitur, *acceptilationem* fuisse putantes, qua EPAPHRODITI fides liberaretur. Recte vero MATTHIESIUS Viros Doctos sequitur, qui huic interpretationi se opposuerunt. Nam primum contra eam repugnant verba *καὶ περισσεύω*, quae cum formula *ἀπέχω δὲ πάντα* arcte connexa sunt. Deinde huiusmodi dictum generale comparatum non erat ad fidem EPAPHRODITI liberandam, nisi *Philippenses* per Literas summam eorum, quae misissent, PAULO indica-

verint, quod cum MUSCULO sumere quidem possumus, nec rationibus tamen probare. Sed non crediderim quoque, Veteres Verbo *ἀπέχω acceptilationem* significasse. In censum hîc tantum veniunt loci, ubi Verbum illud post se habet *Accusativum Nominis, rem optatam denotantis*, ideoque ex Literis Sacris, *Genes.* XLIII: 23. *Num.* XXXII: 19. *Matth.* VI: 2, 5, 16. *Luc.* VI: 24. Quid vero loci illi? Communiter postulare videntur omnes, ut Latine scribamus *iam habeo* (1), quod alienum in sensum torquetur, si formula integra *ἀπέχω δὲ πάντα* explicatur *omnia, quae mihi misistis, accepi.* Sed haec notio Verbi *ἀπέχω* obstat quoque Interpretibus, qui, CHRYSOSTOMI aliorumque Patrum vestigia sequentes, PAULUM dicentem faciunt, *Philippenses liberalitatem, quam antea praestare debuissent, nunc tandem praestitisse.* Utique causa non est discedendi a sententia maxime vulgari, quae LUTHERO, CALVINO aliisque magnis placet Viris, Apostolum dicere voluisse: *Mihi autem sufficit quod accepi.* Frustra tamen WOLFIUS ad hanc sententiam probandam comparari iussit *Marc.* XIV: 41. *Phil.* 15: si quidem Verbum in altero loco Impersonaliter usurpatum est, in altero Accusativum quidem Nominis post se habet, sed quod *personam* denotat. Immo breviloquentia utitur auctor, ex praecedentibus explicanda, neque alibi reperiunda. Plena, si rem intelligo, foret oratio: *Ἀπέχω δὲ πάντα, ἃ ἐζήτησα· οὐδὲν ἐπιζητητέον: Necessitates vitae quod attinet, omnia iam habeo, quae expetivi: nihil amplius est, quod expetam.*

Sed plus dicere PAULUM gratus iubet animus. Ergo *se iis, quae ad victum suppeditent, abundare* declarat scribendo *καὶ περισσεύω*. Tum inceptum persequens, huius abundantiae proponit causam. *Πεπλήρωμαι*, ait, *δεξάμενος*

(1) Cff. loci apud WETSTEN. et RAPHEL. item MARC. ANTON. Lib. IV. cap. 49, ubi legatur GATAKERUS.

παρὰ Ἐπαφροδίτου τὰ παρ' ὑμῶν: *Opibus repletus sum accipiens ab* EPAPHRODITO, *quae a vobis missa sunt.* Sic non eodem congerit Synonyma, sed, ut recte post alios monet MATTHIESIUS, gradationem facit, minori maius subiiciens. Cui sententiae argumento quoque est, quod Verborum περισσεύω et πεπλήρωμαι alterum per Particulam καί cum oratione praecedenti arcte connexum est, alterum non item. Ceterum dissimiles sunt loci 2 *Cor.* VII: 4. 2 *Tim.* I: 4, unde collegit GROTIUS, PAULUM reticuisse vocabulum παρακλήσει vel χαρᾶς: nam aliter ipse auctor mentem suam explicat, cum Verbo πεπλήρωμαι adiiciat δεξάμενος cet. Quanti autem ille dona fecerit a *Philippensibus* missa, ostendunt sequentia ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ: *odorem suavitatis, sacrificium acceptum, bene placens Deo.* Per Appositionem haec praecedentibus adiuncta sunt, quod minus animadverterunt AMBROSIASTER et BEZA, quorum alter interpretatus est *in odorem* cet. alter *odore* cet. Continent imaginem, quam PAULUS a rebus Sacris Hebraeorum petiit, docere volens, beneficium sibi praestitum eo loco numeroque habendum esse, ut compararetur cum donis Deo oblatis eique gratissimis (1). Hoc autem praeconio liberalitatem *Philippensium*, ut iam notavit PELAGIUS, non prosecutus est propter ipsum illud, quod dederant, sed animi Deo CHRISTOque dediti et devoti causa, quem erant testificati. Unum superest, quod quaeri possit: utrum vocabula τῷ Θεῷ referenda sint ad Adiectivum εὐάρεστον, an ad totam sententiam ὀσμὴν cet. Iam primo quidem adspectu dubitandum non videtur, quin huic illud longe praestet; sed re penitius explorata alterum se nobis probat. Nimirum plus semel vocabulum εὐάρεστος sine Dativo sibi subiecto legitur, uti *Rom.* XII: 2. *Tit.* II: 9 et secundum Editionem GRIESBACHII, *Col.* III: 20: simili-

(1) Cff. GROT. ad *Rom.* XII: 1. *Eph.* V: 2 et KEUCHENIUS ad h. l.

ter δεκτός *Luc.* IV: 19. 2 *Cor.* VI: 2. *Prov.* X: 24. *Sir.* II: 5. III: 17. Hoc autem in loco, ubi duo illa concurrunt, verisimile est eundem cerni loquendi usum, ne Dativus τῷ Θεῷ cum posteriori tantum connectatur, quod minus commodum est. Sed ad litem dirimendam multo plus valet comparatio loci, a PAULO ad rem suam translati, *Lev.* I: 9, 13, ubi legimus: *Κάρπωμά ἐστι θυσία, ὀσμὴ εὐωδίας τῷ Κυρίῳ.* Nec minus valet oratio *Eph.* V: 2, sic, uti arbitror, distinguenda: *Παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας* (αὐτῷ): *Tradidit se ipse pro nobis* supplicio crucis, *atque ita exstitit tanquam sacrificium et victima Deo, et ei quidem gratissima.* Cff. *Act.* XV: 26. *Gal.* II: 20. *Eph.* V: 25. Imprimis vero comparari meretur *Rom.* XII: 1 *Παρακαλῶ ὑμᾶς — — παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ.* Hîc enim vocabula τῷ Θεῷ non ad Adiectivum *εὐάρεστον*, sed ad totam sententiam praecedentem pertinere, docent loci similes *Rom.* VI: 13. *Col.* I: 22. 2 *Tim.* II: 15. Quae cum ita sint, PAULUS *Philippensibus* dicit, quod per EPAPHRODITUM misissent, *non solum beneficium esse sibi homini datum, sed donum, sacrificii grati et accepti instar, oblatum Deo.* Cf. *Hebr.* XIII: 16.

VERS. 19.

Comparatio doni *Philippensium* cum sacrificio, quod Deo offertur eique gratissimum est, auctorem ducit ad remunerationem, quam sibi Divinitus exspectare possint, proponendam. Verba eius secundum Editionem Receptam sunt: *Ὁ δὲ Θεός μου πληρώσει πᾶσαν χρείαν ὑμῶν κατὰ τὸν πλοῦτον αὐτοῦ, ἐν δόξῃ, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Pro Futuro *πληρώσει* Codices nonnulli habent Optativum Aoristi, quem varii etiam Interpretes in suum quisque sermonem transtulisse videntur. Sed uti Futurum plerorumque librorum melioris

notae testimonio satis confirmatum est, sic illud, et praecedentibus *ὁ δὲ Θεός μου*, et totius orationis argumento, magis quam alterum convenit. Similiter PAULUS prope ab aliarum Epistolarum fine Futuro usus est. Cf. *Rom.* XVI: 20. 2 *Tim.* IV: 18, item 2 *Cor.* XIII: 11. Optativus autem hic pariter ac 2 *Cor.* IX: 10 ex perversa pronunciatione literarum *ει* exortus est, vel ex coniectura hominum, qui hunc locum perperam ad 1 *Thess.* V: 23. 2 *Thess.* III: 16 aliosque corrigere volebant. Neutrum *τὸ πλοῦτος*, quod pro Masculino *τὸν πλοῦτον* varii praebent Codices et LACHMANNUS recepit, in Lexicis non vidi notatum. Inde tamen non sequitur, illud antiquitati prorsus incognitum fuisse. Et sane, si ipsi non debetur PAULO, causam investigare nequeo, cur hunc in locum pervenerit. Sed in re dubia nihil decernere ausim. Ceterae varietates, quas libri Veterum exhibent, neminem facile movebunt ad discedendum ab Editione Recepta.

Orationis vero quod attinet sensum, vehementer de eo inter se discrepant Interpretes. Quod minus mirandum est, quoniam CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS aliique antiquiore iam aetate fluctuarunt. Et primum de formula *κατὰ τὸν πλοῦτον* (*τὸ πλοῦτος*) *αὐτοῦ* idem omnium iudicium non est, nec veram tamen ea habet ambiguitatem. Nam cum subiecta sit vocabulis *πᾶσαν χρείαν ὑμῶν*, vix aut ne vix quidem aliter explicari potest, quam *secundum suam bonorum abundantiam*. Unde apparet quoque, sequendos non esse GROTIUM, HEINRICHSIUM, FLATTUM, RHEINWALDUM et quotquot verba *κατὰ* — *δόξῃ* arcte coniungant. Verum illa *ἐν δόξῃ* referri non debere ad proxime praecedentia, sed ad remotiora *πληρώσει πᾶσαν χρείαν ὑμῶν*, vel potius, ut recte monet MATTHIESIUS, ad totam orationem, intelligitur inde, quod Articulus *τόν* iis praepositus non est. At hoc si valet argumentum, postrema *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, ne desiderium relinquatur Articuli *τῇ*, eodem referenda sunt, neutiquam

ad sola vocabula ἐν δόξῃ. Huiusmodi structura haud raro apud *Hellenistas* et ipsum PAULUM requiritur, si in una eademque sententia duabus tribusve utuntur dicendi formulis a Praepositione ἐν incipientibus. Exempla attulimus supra ad Cap. I: 26. Iam his constitutis, expeditior orationis erit interpretatio. Si enim recte disputavimus, non facile dubitari potest, quin priorem eius partem sic accipere debeamus: ***Deus vero ille, qui meam agit causam*** (1), ***secundum suam bonorum abundantiam, omnibus, quae vobis necessaria sunt, vos implebit.*** Quaestio tantum est, utrum *necessaria* illa unum spectent *corpus*, an etiam *animum*. Hoc recentiori maxime aetate placuit, uti STORRIO, HEINRICHSIO, RHEINWALDO, MATTHIESIO: illud CALVINO, MUSCULO, ESTIO, GROTIO et plerisque Interpretibus antiquioribus, quos praeter alios Patres Ecclesiae praecessit CHRYSOSTOMUS, ad verba πληρώσει πᾶσαν χρείαν ὑμῶν adscribens: ὥστε μὴ εἶναι ἐν ἐνδείᾳ, ἀλλὰ τὰ πρὸς χρείαν ἔχειν. Ego utram in partem irem aliquamdiu anceps haesi, donec plus uno argumento mihi persuaderetur, rectam viam ingressos esse CHRYSOSTOMUM et qui cum eo consentirent. Nimirum vox χρεία, uti hac in Epistola Cap. II: 25. IV: 16, ita in aliis PAULI scriptis ea tantum, *quae ad victum necessaria sunt*, nusquam vero *animi bona* significat. Eadem significatio cernitur in locis scriptorum exterorum, a WETSTENIO allatis, ubi integra exstat formula πληροῦν τὴν χρείαν τινος. Et hoc certe in versu PAULUS, si quid amplius sibi vellet, aliter mentem explicaturus fuisse videtur, ne oratio praecedens lectorem deciperet. Neque alienam ei obtrudi sententiam, si hic *necessaria ad victum* intelligantur, docet dictum simile 2 *Cor.* IX: 7 sqq. Qui autem dissentiunt, non video, quid his rationibus opponere, aut quomodo causam suam tueri possint.

---

(1) Cff. omnino HOOGIUS. p. 102 et quae disputavimus ad Cap. I: 3.

ponere. Rursus vero Apostolus huiusmodi gloriae Divinae praedicationem rarius ad Literarum suarum finem collocat, nusquam ita, ut solis salutationibus praemittatur. Doxologia igitur nec ad orationem praecedentem consummandam, neque ad Epistolam totam concludendam usus esse videtur, sed ut rei *singularis* tractationi *generalem* Dei laudationem adiiceret. Hunc nempe Hebraeorum morem PAULUS saepe secutus est, uti docent *Gal.* I: 5. *Eph.* III: 21. 1 *Tim.* I: 17. 2 *Tim.* IV: 18. Eodem modo se habet formula Precationi, quae dicitur, Dominicae serius adiuncta *Matth.* VI: 13, ubi attendendum quoque est ad Verbum *ἐστίν*, quippe quo argumentum praebetur discedendi ab opinione vulgari, PAULUM Optativum *εἴη* vel Subiunctivum *ᾖ* reticuisse. Nec video, quid impediat, quominus et hanc in Doxologiam, et in ceteras, quas scripta eius continent, Indicativum *ἐστί* cogitando inseramus. Particula autem *καί*, quae vocabulis *Θεῷ* et *Πατρί* interposita est, Epexegesin fieri, norunt omnes; ideo tamen dicendum non est, eam sibi adsciscere notionem vocis Latinae *nempe* (1). Nec facile dubitabit quis, an formula *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων* cum BEZA aliisque inter Hebraismos collocanda et explicanda sit *in aeternum*. Et secundum morem Hebraeorum Doxologia vocabulo *ἀμήν*, Graecis incognito, ad significandum *ita profecto est* concluditur, ut BRETSCHNEIDERUS aliique Lexicographi copiose ostendunt. Mens igitur PAULI esse videtur: *Deus vero, qui idem nobis Pater est, non solum hac in re, sed in omnibus omnino virtutes suas aeternum illustrat. Ita profecto est.*

(1) Cf. WINER. p. 411.

VERS. 21, 22.

Epistolae more suo finem impositurus, *Philippensibus* mandat PAULUS, ut suo nomine salutem dicant: *Ἀσπάσασθε πάντα ἅγιον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* AMBROSIASTER, quem sequuntur ESTIUS, HEINRICHSIUS et RHEINWALDUS, postrema *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* connectit cum Verbo *ἀσπάσασθε.* Alii, et plerique quidem, ea connecti iubent cum Adiectivo *ἅγιον.* Nonnulli vero, uti MUSCULUS, CRELLIUS, STORRIUS dubitant, hoc an illud probandum sit. Nec magna tamen esse videtur dubitandi causa. Sunt quidem exempla *Rom.* XVI: 22. 1 *Cor.* XVI: 19, quae formulam *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* cum Verbo *ἀσπάσασθε* coniungi posse doceant. Sed quaestio est, an bene se habeat haec structura, si altera ab altero separatur interposito Adiectivo *ἅγιος.* Nihil certe in Novo Testamento frequentius legimus, quam *ἅγιος* vel *ἅγιοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ,* quod etiam exstat Cap. I: 1. Sed quomodo iudicandum sit de locis, ubi haec vel similia cum Verbo *ἀσπάζεσθαι* concurrunt, iam elucet ex *Rom.* XVI: 11. *Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τοῦ Ναρκίσσου, τοὺς ὄντας ἐν Κυρίῳ.* Imprimis vero legantur vss. 3, 9, 13, ubi vocabula *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* et *ἐν Κυρίῳ* itidem non referenda sunt ad remotiora *ἀσπάσασθε,* sed ad proxime praecedentia *τοὺς συνεργούς μου, τὸν συνεργὸν ὑμῶν* et *τὸν ἐκλεκτόν.* Ergo hoc PAULI mandatum convenienter iis, quae disputavimus ad Cap. I: 1, interpretamur: *salutate omnem, quicunque Deo consecratus est necessitudine, quae inter eum et* CHRISTUM IESUM *intercedit.* Num Apostolus usu Singularis *πάντα ἅγιον,* ut BENGELIUS aliique putant, significaverit, omnes *sigillatim* salutandos esse, equidem dirimere non ausim.

Sequuntur salutationes duae, quas PAULUS ipsis *Philippensibus* aliorum nomine fecit. Altera haec est: *Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ σὺν ἐμοὶ ἀδελφοί, salutant vos fratres, qui mecum sunt.* Significantur haud dubie homines, qui Apo-

stolo opem tulerunt ad doctrinam CHRISTI propagandam. Sed quaestio est, quales adiutores fuerint. GROTIUS exempli gratia TIMOTHEUM, LINUM, CLEMENTEM *Romanum* memorat: ENDIUS vero LUCAM, MARCUM, TIMOTHEUM, TITUM. Nec STORRIUM, HEINRICHSIUM aliosque dissentire, apparet ex eo, quod excitant *Col.* IV: 10 sqq. 2 *Tim.* IV, 11, 12. Et similiter iam cum OECUMENIO Interpretes iudicarunt antiquiores. Neque omnes tamen fugit difficultas cum hac sententia componendi testimonii quod Cap. II: 20, 21 legitur. Mirifice vero ad nodum expediendum se torquet CHRYSOSTOMUS. Maiori quidem cum fiducia OECUMENIUS, *ὅρα*, ait, *τὰ Παύλου σπλάγχνα, ὅτι καὶ τούτους ἀδελφοὺς καλεῖ;* sed hoc potius est novum animis iniicere scrupulum, quam veterem evellere. Equidem non intelligo, quomodo PAULUS a se impetrare potuerit, ut nomine eorum, quos sui ipsorum studiosiores dixisset, quam ut *Philippos* mitti possent, nunc *Philippenses* salutaret. Ergo alia ad difficultatem tollendam ingredienda videtur via, quam quodammodo iam monstravit THEOPHYLACTUS scribens: *Ἦσαν πλείους μετ᾽ αὐτοῦ, τάχα καὶ ἐκ τῆς Ῥώμης αὐτῆς ὄντες, οὐκ ὄντες μὴν τοιοῦτοι, ὥστε καὶ ἀποστόλων ἀναδέχεσθαι πράγματα.* Nimirum duplex, ut puto, genus adiutorum PAULI distinguendum est. Alterum constabat ex hominibus, quos Apostolus in familiaritatem receperat, ut eos itineris haberet comites et rei Christianae causa quoquoversus mitteret. Hoc in numero fuerunt LUCAS, MARCUS, TITUS, SILAS, prae ceteris TIMOTHEUS. Verum inter huiusmodi socios, cum hanc Epistolam scriberet, Cap. II: 20, 21 neminem, uno TIMOTHEO excepto, sibi affuisse declarat, *Philippensibus* cognitum, eorumque tam studiosum, ut *Philippos* mitti posset. Ergo res ipsa loquitur, tales non fuisse *τοὺς σὺν αὐτῷ ἀδελφούς*, quorum nomine *Philippenses* salutaret. Sed alterum quoque habebat adiutorum genus: urbium dico, in quibus ille cum comitibus suis com-

morabatur, incolas vel hospites, qui causam cum eo communem faciebant. Et huius generis nunc *Romae* erant LINUS, CLEMENS, EUODIA, SYNTYCHE, etiam EPAPHRODITUS, alii, pars *Philippensibus* cogniti, pars incogniti. Horum igitur ex ordine sunt *ἀδελφοί*, quorum nomine *Philippenses* salutantur.

Altera salutatio sic incipit: *Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, salutant vos omnes sancti:* id est *omnes* CHRISTI *sectatores Deo consecrati, quotquot Romae sunt.* PAULUS igitur ab adiutoribus suis multitudinem distinguit, ut *Rom.* XVI: 14, 15 alias sectatorum CHRISTI familias ab aliis. Cf. 2 *Cor.* XIII: 12. Nonnullos vero sigillatim memorat verbis *μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας*. Iam illud *μάλιστα δὲ maxime vero*, utrum significet, homines hic memoratos prae ceteris Apostolo mandatum dedisse, ut suo nomine *Philippenses* salutaret; an dicere tantum velit; hanc salutationem prae ceteris considerandam esse, in medio relinquere malo, quam asseverare, quod minus exploratum est. Sequentibus *οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας* MATTHIESIUS *milites Praetorianos* denotari putat. Et illo sane tempore, quo PAULUS *Romae* captivus esset, his interfuisse, qui CHRISTUM profiterentur, haud temere cogitur ex Cap. I: 13. Sed auctorem miror, si milites illos in mente haberet, perspicuitati non satis consuluisse scribendo *οἱ ἐκ τοῦ Πραιτωρίου*. Deinde valde dubito, an ipsa verba, secundum loquendi usum, interpretationem Viri Docti ferant. Aliud certe suadent loci a RAPHELIO, KREBSIO et LOESNERO allati. Imprimis comparandi illi sunt, in quibus Praepositio *ἐκ* Genitivum praecedit. Sic *Luc.* I: 27 et II: 4 MARIAE sponsum fuisse legimus *ἐξ οἴκου Δαβίδ*. Similiter IOSEPHUS (1) dicit *ἐξ ἐπισήμου σφόδρα οἰκίας ὄντα.*

---

(1) Locum mihi monstravit BRETSCHNEIDERUS h. v.

Praesertim notandum est, quod PHILO (1) de AGRICOLA scripsit: *Εἰ δὲ μὴ βασιλεὺς, ἀλλά τις τῶν ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας οὐκ ὤφειλε προνομίαν τινὰ καὶ τιμὴν ἔχειν:* ubi Interpres: *Imo etiam si rex non fuisset, familiaris tamen Caesaris non debuerat cum dignitate et honore accipi?* His igitur locis consideratis homines a PAULO induci videntur *ad familiam Caesaris pertinentes*, ut CAMERARIUS aliique, etiam Ecclesiae Patres, censuerunt. Nec graviter tamen reprehendam, si quis, vulgarem maxime sententiam sequens, *domesticos et libertos* memorari malit. Quod autem MATTHIESIUS ait, *Philippenses* nudam illam formulam *οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας*, ita explicare non potuisse, ut sibi cognatos aut domesticos *Caesaris* proponerent, nequidquam contenditur, si supra probatum est, eam se ipsam satis explicare. Ceterum Apostolus, cum horum hominum nomine *Philippenses* salutaret, *ἀνέστησεν αὐτοὺς*, ut monet CHRYSOSTOMUS, *καὶ ἀνέῤῥωσε, δεικνὺς ὅτι καὶ τῆς βασιλικῆς οἰκίας τὸ κήρυγμα ἅψατο.* Sed eadem simul omnique huius loci salutatione iis declaravit, se laudes eorum *Romae* celebrare. Cf. OECUMENIUS ad h. l.

VERS. 23.

Postremum PAULI votum secundum Editionem Receptam sic se habet: *Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν.* Fortasse tamen ex oratione expellendum est Pronomen *ἡμῶν.* Causam enim, cur Librarii haud pauci illud omiserint, reperire nequeo, cum alibi ab omnibus descriptum sit, uti *Rom.* XVI: 24. *Gal.* VI: 18. 1 *Thess.* V: 28. Verba quod attinet *τοῦ πνεύματος*, quae satis multi Veterum pro Adiectivo *πάντων* substituunt, pri-

(1) In *Flacc.* Opp. Tom. II. p. 522. MANG.

mo quidem adspectu commendari videntur eo, quod ad finem Literarum PAULI rarius leguntur. Sed recte viderunt STORRIUS et FLATTUS, Adiectivum *πάντες* hac in Epistola saepius eminere, quam ut hîc desiderium eius relinqui possit. Verisimile igitur est, homines ex 2 *Tim.* IV: 22, vel, ut putat MATTHIESIUS, ex *Gal.* VI: 18, hunc in locum transtulisse *τοῦ πνεύματος.* De interpretatione autem verborum disputandi otium mihi feci iis, quae monita sunt ad Cap. I: 2. Dicere vult PAULUS: *Favorem suum Dominus [noster]* IESUS CHRISTUS *vobis omnibus impertiat.* Atque ita Epistolam suam digne graviterque concludit.

INDICES.

LOCI

Scriptorum Sacrorum et exterorum, qui, data opportunitate, emendantur, explicantur, illustrantur.

VERBA ET RES,

quae attinguntur vel exponuntur.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 36 *Patre nostro et Domino*, IESU CHRISTO l. *Patre nostro, et Domino* IESU CHRISTO.

" " *Pater noster et Dominus*, IESUS CHRISTUS. l. *Pater noster, et Dominus* IESUS CHRISTUS.

" 41 Num vox *δέησις*, ubi illa sola legitur, generatim etiam *orationem coram Deo habitam* significet, dubium mihi factum est, postquam haec typis iam erant expressa. Locos certe hic allatos minus probare vidi, quam antea putassem. Cff. disputata ad Cap. IV: 6.

" 56 *quan opere* l. *quantopere*

" 59 accomodata l. accommodata

" 67 *Fratres!* l. *Fratres*,

" 72 STORRIUS sed l. STORRIUS, sed

" 83 expraemisso l. ex praemisso

" 85 ἀποκαραδοκια l. ἀποκαραδοκίᾳ

" 121 Col. III: 1 et alii loci. Add. imprimis 1 *Cor.* XV: 11, ubi structura orationis esse videtur: *Κηρύσσομεν οὖν οὕτω, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ἐκεῖνοι: quae cum ita sint, ego atque illi pariter* CHRISTUM *praedicamus ex morte in vitam restitutum.*

" 182 PAUII l. PAULI

" 208 singularem l. singularum

" 212 diverticulo l. deverticulo

" 215 ter! l. .

" 222 THEODORETUS. l. THEODORETUS:

" 228 stare nequeunt l. stare queunt

" 244 respondere etiam l. respondere aliquoties

" 276 munere functus sit. Add. quod praeter PELAGIUM, supra p. 274 citatum, testantur ORIGENES, *in Ioann.* Tom. IV. p. 153. HIERONYMUS, *de Vir. Ill.* cap. 15. PHOTIUS *Biblioth.* Cod. 113.

" 297 ἐφ' ῳ l. ἐφ' ᾧ

" 314 δαπανήματα l. δαπανήματα.